

PER ILLUSTRI PER MAGNI FICO GENE-
ROSISSIMA ATQUE EXCELENTIE.
SIMO DOMINO

DR. DANIELI LUDOLPHI
LIBERO BARONI A DAN-
CRELMANNA

SACRE REGIE MAESTATIS IN PRUS-
SIA MINISTRO ATQUE CONSILIARIO
STATVS ET KEI MILITARIS INTIMI,
GENERALI HERUM BELLICARUM
COMMISSARIO, GENERALI HERUM ECCL.
SIASTICARUM DIRECTORI, ATQUE PRESI-
DI CONSISTORII BEROLIENSIS d.c.

DOMINO SIC GRATIOSISSIMO
PATRONO SUMMO

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Librum hunc
Humillima cum devotione
animi Gefervantibus suis
continguit affectum
tunc
d. 27 Octobris
A. 1704.

Hc. 8

M. PAULI RABEN,
Professoris Regiomontani,
**PRIMITIÆ PRO-
FESSIONIS LOGI-
CO-METAPHYSICÆ,**
SIVE
COMMENTARII
IN LIBRUM CATE-
GORIARUM ARISTOTELIS,

Lectionibus publicis primi semestris à Professione
hac suscepta in calamum non modò Auditoribus suis
dictati, sed & novem Disputationibus publicis ventilati,

NUNC IN USUM STUDIOSÆ JUVENTUTIS
AUCTIORES RECLUSI,

Præmissò ex Discursibus in Commentarios hosce Procœmiō
de Authore libri Categoriarum, & de Distinctione librorum
Aristotelis in Exotericos & Acroamaticos.

ET ADDITA APPENDICE GEMINA:

I. Orationis de Novellis Philosophis eorumq; Philosophiâ, Præfatiōnīs loco ante Disputationem Inauguralem pro LOCO novæ hujus Professionis publicè habitæ.

II Præfationum Disputationibus aliis publicis antehac præmissarum, in quibus singulis qvæstio aliqua Philosophica dilucidè discutitur.

CUM INDICIBUS NECESSARIIS.

REGIOMONTI, Anno MDCC IV. Ex OFFICINA,
Privilegiō SAC. REG. MAJ. confirmatā, GEORGIANA, ejusq; Sumptibus.

SAC. REG. MAJ. IN PRUSSIA
SUPREMIS
IN REGIMINE PRUSSICO
CONSILIARIIS,
VIRIS

PER ILLUSTRIBUS, PER MAGNIFICIS, GENEROSISSIMIS
AC EXCELLENTISSIMIS, DOMINIS,

* * * * *

DN. OTTONI WILHELMO
à Verbandt/

Curiæ Provincialis Magistro & Prussici
Ordinis Eqviti

Hæreditario Domino in Liesken, Nauten, Grescheinen,
&c. &c.

* * * * *

DN. CHRISTOPHORO
ALEXANDRO à Rauschen/

Supremo Burggrabio ac Tribunalis Præsidi,
Prussici Ordinis Equiti,

Hæreditario Domino in Eijerwagen, Kirschnebnen, Nadrau,
&c. &c.



* * * * *

DN. GEORGIO FRIDERICO
à *Kreyßen*/

Cancellario ac Feudorum Directori,
Prussici Ordinis Eqviti,

Hereditario Domino in Westlinen, Pohren, Wesselschæfen,
&c. &c.

* * * * *

DN. CHRISTOPHORO
COMITI à *Wassenrodt*/

Supremo Mareschallo, Prussici
Ordinis Eqviti,

Hereditario Domino in Pachollen, Irgelack, Pogirnen,
Preckelwitz, Wilkühnen, Altstadt,
&c. &c.

DOMINIS
AC PATRONIS MEIS
GRATIOSISSIMIS,
PROSPERITATEM OMNIGENAM!

VIRI
PER-ILLUSTRES, PER-MAGNIFICI,
GENEROSISSIMI, ATQUE
EXCELLENTISSIMI,
DOMINI AC PATRONI
GRATIOSISSIMI.

VOBIS debebantur pimitæ hæ Lectionum
mearum publicarum in noviter ab
AUGUSTISSIMO, SE-
RENISSIMO, AT-
QUE POTENTISSIMO
REGE IN PRUSSIA,
collatâ mihi Professione Logico - Metaphysicâ, per pri-
mum ab eâ humillimè suscepitâ semestre exantlatarum.
Quod-

Quodsi enim gentes olim gratitudinem suam contestatu-
ræ primitias frugum Phœbo , earundem Autori, solen-
niter offerebant; quodsi Romæ antiquitùs votorum pri-
mitias in tholis, sive columnis & fastigiis sacrarum ædi-
um suspendebant: qui ego primitias hasce meas novæ
Professionis, non humillimâ mente, manu dovitâ offerre
maturarem Vobis , VIRI PER ILLUSTRES , PER-
MAGNIFICI, GENEROSISSIMI ATQVE EXCELLEN-
TISSIMI ? Qui gratosissimâ Tenuitatis meæ commen-
datione Authores fuitis collatæ mihi à SACRA
REGIA MAJESTATE Professionis hujus
novæ, qui columnæ estis Per-Illustres totius Regni hujus
Borussiaci, quas sacras esse oportet, ut reliquis SACRÆ
REGIÆ MAJESTATIS subditis, ita in primis
mihi devinētissimo servo atque Clienti vestro obēratissi-
mo. Agite ergo, VIRI PER-ILLUSTRES,
PER-MAGNIFICI, GENEROSISSIMI, AT-
QVE EXCELLENTISSIMI, DOMINI AT-
QVE PATRONI MEI GRATIOSISSIMI,
agite & admittite gratosissimè ut in tholis Per-Illustrium
Domuum vestrarum primitias hasce meas suspenidam, id
est, Nominibus Vestris Per-Illustribus inscriptas humillimè
deponam. Collustrate Phœbæo splendore Vestro easdem,
& sub Per-Illustrium Vestrorum Nominum clypeo adver-
sus malevolorum morsus & insultus tutas præstate: sub
tan-

tanto enim Patrocinio reliquum Professionis hujus tempus, in
commodum Academicæ Juventutis latus & felix transigam.
Faxit **DEUS OPTIMUS MAXIMUS**,
ut omnigenæ prosperitatis Phœbus Per-Illustres domus Ve-
stras perpetuō splendore irradiet in magnum Totius Re-
gni Prussici incrementum, Per-Illustrium Familiarum Ve-
strarum fulgorem interminum, nec non in gratiosissimum
patrocinium humillimi

PERILLUSTRIUM EXCELLENTIARUM VESTRARUM

Dabam Regiomonti Prusorum
ē Museo meo
Anno CHRISTI MDCCIV,

Clementis

M. PAULI RABEN,
Log. & Phil. Prim. P. P. Ord.
p. t. Decani.



Nomina eorum, qui particulam
aliquam ex hisce Commentariis publicè
Respondendo defendendam suscepserunt.

JOHANNES JACOBUS QVANDT, Reg. Pruss.
qui caput de Sede Categoriarum propriâ defendit.

ERNESTUS FRIDERICUS KESSELRING, Reg.
Prussus, qui caput de Definitione Categoriarum ven-
tilandum dedit.

JOHANNES LUDOVICUS BOYE, Reg. Pruf-
sus, qui caput de Genuino Categoriarum Numero de-
fendit.

DANIEL BOESE, Regiomonto-Borussus, qui
Caput de Categoria Quantitatis disquisitioni publicæ
subjicit,

JOHAN-

JOHANNES WILHELMUS KOCHIUS, Reg.
Prussus, qui de *Anteprædicamentis vulgo sic dictis*
disputavit.

CHRISTIANUS JOHANNES COCHIUS, Reg.
Prussus, qui de *Postprædicamentis vulgo sic dictis* di-
sputavit.

PAULUS LUCAS LAFARGVE, Reg. Borussus,
qui de *Categoriam Substantia* disputavit.

CHRISTIANUS DEUTSCH, Reg. Prussus, qui
de *Categoriam Qualitatis, ut ē ceteris Prædicamentis*
disputavit.

JOHANNES THEODORUS WAHRT, Regiom.
Borussus, qui de *Categoriam Relatorum* disputavit.

*Reliqua omnia nunc adjecta sunt in majorem
usum Studiose Juventutis.*

PRO-

PROOEMIUM IN COMMENTARIOS AD LIBRUM CATEGORIARUM.

§. I.

Ntequam ad ipsum librum Categoriarum fuisse paulò atque dilucidius explicandum nos accingamus, duo proœmii loco præmittere operæ pretium judicamus, quorum alterum authorem hujus libri genuinum concernit, alterum verò ejusdem conditionem, an scilicet ex numero sit liberorum Aristotelis Acroamaticorum, an verò Exotericorum. Quod ad prius attinet, contrarias de eo fovent opiniones viri docti, alii librum hunc Aristotelii vindicantes, alii non esse genuinum ejus feetum afferentes. Nos prioribus adstipulamur, atq; libri hujus verum Authorem esse Aristotelem statuimus, testimoniis atque autoritate optimorum ejus interpretum suffulsi. Ita namque Simplicius Proem. Comm. in lib. Categ. ισορθ̄ δὲ inquit, ὁ Ἀδεκας Θ. εἰ τῷ περὶ τὸ τάξις τὸν Αριστοτέλες συγχρημάτων, ὅτι Φέρεται καὶ ἄλλο τὸν κατηγορῶν βιβλίον, ὡς Αριστότελες, καὶ αὐτὸν Βεραχοῦ καὶ σώτομον καὶ τὸν λέξιν καὶ θεωρήσεσιν ὀλίγας θεωρέομέν, δέχεται δὲ ἔχον τὸν οἶνον τὸ μὲν ἐσι, h. e. Narrat vero Adrastus in libro de ordine Aristotelicorum librorum, ferri etiam alium Categoriarum librum, nisi Aristotelis, & ipsum bonum & concisum dictione, paucis differentiis divisionibus, habentem principium: Ens aliud quidem est. Et rursus: ὅτι δὲ γνήσιον τὸ Φιλοσόφων τὸ βιβλίον, μαλισχοῦ δὲ τὸν εἰνοιῶν πυκνότητα, καὶ τὸ συνεχεμένον τῆς Φράστεως δηλοῖ καὶ τὸν νοερὸν τὸν Αριστοτέλες πεπίστωτο δύναμιν. Καὶ αὗτος δὲ μέριντα τὸ βιβλίον εἰ ἄλλοι δέκα κατηγορεῖσαν αὐτὸν καλῶν οὐα μη ὕστοντος τὸ δέχεται μηνονίνθι αὐτὸν, ἀλλὰ δημιγερῷ ἔχοντο. Ηὐτὸν καὶ ἐπέντε νοθέαν καὶ τὰ συγχρηματα, εἰ δις μέριντα τέττα, η μηδὲ τέτο διθετῶν. Άλλα καὶ διασποράς τῶν ἑταῖρων αἴτω, ὡς γνήσιον απεδέξαιτο τὸ βιβλίον,

30

i. e.

i e. *Quod autem germanus Aristotelis liber sit* (hic scilicet, quem interpretes judicarunt esse Aristotelis, & ab altero ei simili discreverunt) *maxime quidem Sententiarum frequentia, & stylis conformatum, secundum Aristotelis intellectivam facultatem progredivens indicat, tum quod ipsemet libri in aliis meminit, decem predicamenta eum vocans, ne suspicaremur eum libri Archytae meminisse, qui aliam habet inscriptionem. Vel ergo & eos libros, in quibus hujus mentio sit, spurios esse necessum est, vel neque hunc spurium esse dicere. Ad hac & praestantiores ejus discipuli, ut germanum hunc librum receperunt. Ammonius quoque Comment. in Categor. ita scribit: Αριστολές Φασὶν ἐν τῷ μεγάλῳ βιβλιοθήκῃ ἐντητόν αὐτούτων μὴ τεστασίους βιβλίας. Κατηγοριῶν δὲ δύο. Συζήθη δὲ τὸ ὅπερ τῶν ἐξηγηθῶν, κατηγοριῶν μὴ τότε ἔναι γνήσιον τὸ Αχειροτέλειον. Αὐτούτων δὲ τέσσαρα, συζήθη δὲ σκοτεινὰ νομιμάτων καὶ τὸ Φερότεως καὶ τὸ διεῖ ἐν ταῖς ἀλλασσαῖς περιγραφαῖς μεμνῆσθαι τέτοια βιβλία τὸν φιλόσοφον, Sanè aījūn in magna Bibliotheca (Alexandrina scilicet) inventos esse Analyticorum 40 libros, Categoriarum vero duos, iudicatum autem ab interpretibus Categoriarum hunc (quem habemus) esse legitimum Aristotelis, Analyticorum vero quatuor, id est censuerunt; tum ex concepcionib, tum ex dictione, & quod Philosophus semper ejus in aliis scriptis meminerit. Et post multa: ἐτι δὲ γνήσιον τὸ Φιλοσόφει τὸ βιβλίον πάντες μαρτυρῶσι, δηλοῖ δὲ καὶ τὸ Φερότειον, καὶ τὸ τὸν φιλόσοφον ἐν ἀλλασσαῖς περιγραφαῖς μεμνῆσθαι τὸ συγγεγμένον. Δύο δὲ ὡς ἐξηγητέοντα βιβλίαν κατηγοριῶν ἐνεργεῖταιν χεδὸν θρησκευτικῶν πάντα, καὶ τὸ αὐτὸ τὸ περιουσιον, ἐτι δὲ τὸ ἐτέρον η δέχεται τῶν οἰων τοῦ μῶμον μηδέ εἴσι, τὰ δὲ σωμάνυμα, ἢ τις χεδὸν η ἀντή εἴσι, τὸ περιουσιον βιβλίῳ, συζήθη τότε γνήσιον εἶναι τὸ φιλοσόφει τὸ βιβλίον τῶν πάντων ἐξηγηθῶν, Verum autem Aristotelis librum esse omnes attestantur; sed elocutio quoque declarat: Et quod in aliis libris hujus mentio fiat à Philosopho. Cum autem, ut dictum est nobis duo Categoriarum libri essent inventi, qui ferme in rebus omnibus similes erant, & item in proximio, cum alterius hoc esset initium, eorum, que sunt partim homonyma, partim synonyma sunt, que verba ferre sunt eadem cum iis, que libri hujus principio continentur: hunc verum Philosophi esse librum, est ab omnibus interpretibus iudicatum. Imò testi-*

3

testimonium hujus rei exhibet quoque Lucianus sic in Demonate scribens: εἰδὼς γὰρ αὐτὸν παγκάκιστον μὲν ὄντα, καὶ μυέλα
κακὰ ἔργαζόντων, τὸν Αἰγαστότελη δὲ, καὶ διὰ σόματος αὐτὸς
τὰς δέκα κατηγορίας ἔχοντα ἐρμῆν, ἐφη διληθᾶς ἔξιος ἐπειδὴ^{το} δέκα
κατηγοριῶν. Cum non ignoraret (Demonax) illum (nempe Hermi-
num Peripateticum) exiremè malum esse innumeraque flagitia desi-
gnare: Aristotelem autem ac Categorias ejus i. e. predicamenta sem-
per in ore habentem: Sanè, inquit, Hermine, decem te κατηγορεῖ-
ας free accusationibus hand indignum esse arbitor: ludens nimurum
ambiguitate vocis κατηγορεῖσθαι. Confirmant quoque id abundè
Commentaria, quæ optimi quique interpres, & ipsi Aristote-
lis discipuli, in librum Categoriarum reliquerunt: de quibus pro-
lixè Simplicius in primordio Comm. sui in hunc librum videri
potest; præter quem & Galenus discipulum quendam Aristotelis
Pasticratem Andronicum, natum ex Bonæo Rhodio fratre Eude-
mi in librum hunc κατηγοριῶν scripsisse memorat in libro *de li-
bris propriis*.

§. II.

Magis confirmabitur hac in re, si argumenta eorum, qui
contrarium statuunt distinctè solverimus. Sic autem i. sententi-
am probare illi suam nituntur. Inter media, inquiunt, quibus
discernuntur genuina authorum scripta, à notis & spuriis, hoc
quoque est, *diversitas & similitudo stylis*. Si enim stylus non
sit idem in aliquo libro controverso cum itylo, qui in aliis indu-
bitatis libris existit, signum est, non esse eum librum genuinum
illius Authoris factum. Jam autem Stylus in libro Categoriarum
prorsus est diversus ab eo, quó utitur Aristoteles in libris aliis in-
dubiosis. Nam in reliquis libris est concisus, & propter sententi-
arum πυκνότητα obscurus. Sic namque Ammonius præfat, in li-
brum Categoriarum Aristotelis: *Genus scribendi Aristotelis*, inquit,
utique est locutione accuratâ perpolitum, oratorias autem exornatio-
nes semper Philosophus fugit, atque id solum intuetur, ut rerum na-
turam sub oculos subjiciat. Sed sep̄ suppressum genus est, & per-
obscurum. In libro autem Categoriarum, pergunt, est flavius &
luxuriosus. Igitur inde patet, quod genuinus Aristotelis factus
non existat. Verum p. (1) ita quidem est, communiter hoc
)

4 constituitur dignoscendorum librorum alicujus Autoris criterium ; at neutquam illud est ita firmum , ut ei indubitatè inniti liceat . Nam α . stylus aliquis vel elegantissimus per imitationem ita effungi potest , ut vix ac ne vix quidem discerni queat , quod verum esse multi viri docti , qui Ciceroniani esse voluerunt , ostenderunt . Idem quoque Soranus Cous accidisse testatur in Hippocratis libris dijudicandis sic scribens : *De scriptis enim ejus multa fuit discordia , alii alia opinanib; quare facile non est de ipsis pronunciare , quia multa causa offuscant iudicium . Primum nomenclatura , secundò quia potest characteris phrasis servari . β . ejusdem Authoris stylus & etate & proposito & materiâ variari potest . Alius quippe est Platonis stylus in Phædro , quem adolescentis scriptis ; aliis in libris de Republ. aliis denique in Timæo . Hanc causam itidem adfert Soranus Cous , quando duabus istis rationibus modò citatis tertiam hanc de libris Hippocratis addit : Tertiò , quia unus etiam aliquando validius , aliquando debilius ob etatem conscribere posse . Possunt etiam alia cause dici . H. I. Id quod & circa ipsum hunc librum Aristotelis occurrit : Nam duplicitis generis libros conscripsit Aristoteles , Exotericos nempe & Acroamaticos , in quibus omnibus non eundem observat stylum , sed in Exotericis stylus ejus aliquantum fluidior est & uberior , quemadmodum ex libro de mundo ad Alexandrum , & ex problematum Sectionibus videre est ; In acroamaticis contrà concisor est & obscurior : quamvis non semper , neque in omnibus æquilater . Et de his quoque intelligendus est locus citatus Ammonii , qui nobis nihil obstat , cùm liber Categoriarum non Acroamicus sit , sed Exotericus , ut mox videbimus . Sed (2) neque ita simpliciter stylus in hoc libro Categoriarum à stylo in ceteris libris differt , ut prorsus sit aliis atque luxuriosus adeò , sententiarumque copia destituatur : contrarium namque Ammonius pariter atque Simplicius testantur , quando expressè propter πυνότητα sententiarum , & stylum genio Aristotelis convenientem , genuum ejus fœtum librum hunc esse , evincent . Ita namque Simplicius in Procem . Comm . ad librum Categ . *Quod autem , inquit , germanus Aristotelis liber sit , maximè quidem sententiarum frequentia , & stylus contortus , secundum Aristotelis intellectivam facultatem**

enitatem progrediens, indicat. Ammonius verò Comm. in Categ. sic scribit: Verum autem Aristotelis librum esse omnes attestantur; sed elocutio quoque declarat, H. I. Quocirca firmò stat tālō sententia nostra: Aristotelem verum esse libri Categoriarum Authorem.

§. III.

Deinde II. & hinc suæ opinionis fundamentum quærunt, quod Archytas Pythagoricae sc̄ptæ Philosophus Categoriarum inventor celebretur, & librum quoque de Categoris scripserit, quem propterea sub nomine Aristotelis postmodum circumtulerint. Verūm (1) committitur hīc fallacia Ignorat. Elenchi, nos enim hic non de inventore Categoriarum, sed de libro Categoriarum, qui inter Aristotelis opera exstāt, disceptar̄us; hinc nihil obstat nobis, etiamsi Archytas Categoriarum inventor existat, aut saltem ante Aristotelem Categoriarum notitiam habuerit. (2) Verūm quidem est, quod librum de Categoris Archytas scrips̄erit, at hunc ab hocce Aristotelis sc̄ptu interpretes jam discreverunt, quemadmodum §. I. abundē ostensum est, adeò ut & secundæ hujus objectionis solutio nequeat esse obscura.

§. IV.

Sed III. ex antilogiis etiam assertum suum firmare nituntur. Dicunt multa deprehendi in libro Categoriarum, quæ non consonant iis, quæ Aristoteles in libr̄is Metaphysicis, aliisque, qui indubitate sunt, docet; at alterum τεχνής & κετής, quō dijudicare solent authorum libros viri docti, esse sententiarum ὀμοψηφίας ac dissontiam: Si enim, quæ in libro dubio ac controverio occurunt, aduersantur iis, quæ habentur in libr̄is indubiis, indicio id esse, quod ille liber non sit genuinus, quia non facilè præsumitur, virum doctum sibi ipsi contradicere. R. Et hoc criterium non potest simpliciter admitti. Nam (1) certum quidem est, quod non ita facilè liceat præsumere de viro docto, quod sibi contradicit, experientia interim abundē testatur, etiam viros doctos & alias famigeratissimos sibi contradixisse, quemadmodum alibi à nobis fusē fatis hoc ostensum est, nempe in Disp. I. de Contrad. Arift. apparent. §. I. & seqq. itemque in Corollariorū istius disput. imò & in eodem libro ubi contradicere aliquos

allegatis locis manifestum est. Quodsi itaque indubitata fides habenda esset huic criterio, multi libri indubitati forent rejiciendi tanquam spurii & supposititii. (2) Negari non potest, quod aliqua deprehendantur in libro Categoriarum, quæ contradicunt iis, quæ in aliis libris occurrunt; at φανοδόξως & apparenter, non verè & άληθῶς, quemadmodum pluribus contradictionibus apparentibus, quas in Disputationibus de contradictionibus etiam solvimus, comprobare licet. Sed (3) etiam reverà aliqua sibi contradicere in hoc libro & libris aliis concedimus; interim necdum tamen aliquid contra librum Categoriarum concludi potest. Jam ante enim monitum est, duplicitis generis libros scripsisse Aristotelem, alias Exotericos, alias Acroamaticos: in his ex propriis sententia de rebus secundum ipsam eorum essentiam tractat, in illis vero secundum communem aliorum opinionem, ἐκ τῶν δοκεύων, sive ut Ammonius ait, καὶ ἔνοσαν i.e. secundum famositatem aut vulgarēm opinionem. Et hinc sit, ut in Exotericis talia assumat, quæ ipsem rejicit in Acroamaticis; ast inde prorsus concludi nequit, illos non esse Aristotelis. Imo (4) si inde quid colligere velimus, sequeretur etiam ipsos illos libros, qui indubii sunt, non esse Aristotelis. Nam & hoc Aristoteli usuratum est, ut quoque in libris acroamaticis aliqua assumat, ex aliorum sententia, licet in se falsa sint, si scilicet nihil ad rem presentem, circa quam occupatur, attineant, quæ tamen in alio libro acroamatico & indubio accuratè de ista agens rejicit, quemadmodum multis id exemplis declarari posset, sufficiant autem hanc vice sequentia. Nempe lib. I. Meteor. cap. 7. principii loco assumit, illam Platonis hypothesis, visionem fieri per emissionem radiorum, quam tamen ipsem alibi refellit, adeoque sibi contradicere videtur lib. de sensu & sensib. c. 2. item lib. I. Ethic. cap. I. divitias finem Oeconomiae esse dicit ex sententia itidem Platonis, lib. a. I. Oeon. c. 1. felicitatem domesticam ejus finem facit, cuius instrumentum sint divitiae. Ex illo igitur κερτηγῷ adversus nos concludi non potest.

§. V.

Amplius IV. hinc etiam probare assertum suum satagunt, quod Ammonius pariter atque Simplicius in verbis antè allegatis testen-

testentur librum hunc Categoriarum controversum & dubium fu-
isse, propter alium, ei valde similem, & ab interpretibus modo
judicatum esse Aristotelis. Verum neque Ammonius, neque
Simplicius, nobis hoc ipso aduersantur, sed potius sententiam
nostram confirmant. Nam (1) dicit Ammonius in ipsa illa Bi-
bliotheca, in qua duo inventi sunt libri Categoriarum, quadra-
ginta quoque libros Analyticorum esse repertos, igitur sequere-
tur, neque eos, quos habemus Aristotelis libros Analytics, esse
verè Aristotēlis, id quod tamen non solum huic, sed omnibus
aliis interpretibus, est adversum, qui ex unico hocce scripto
ipsum Aristotelem, cū Leonem ex ungue semper judicārunt &
agnoverunt. Digna inter alia sunt, qua in hanc rem allegen-
tur verba Monlorii, qui ita scribit: *Catera quidem, qua scriptit
Aristoteles, ejusmodi sunt, qua si percant, possint ab aliquo docto
Philosopho iterum in lucem proferri, qua autem scriptit de arte de-
manstrandi, si semel excidissent, neminem fore arbitror tam ingenio-
sum, qui omnia de integro restitueret, in orat. quam exposit. Ana-
lyt. premisit.* Igitur neque exinde quod duo inventi sunt libri
Categoriarum, hic, quem habemus superstitem, propterea spurius & non verus esse Aristotelis fœtus judicari potest. Deinde
(2) dicit quidem uterque allegatus Interpres duos Categoriarum
libros inventos esse in illa Bibliotheca, quod ipso redditus est hic
liber controversus & dubius; at statim subjiciunt, ab interpreti-
bus & discipulis Aristotelis, hunc, quem habemus, pro genuino &
vero eius fœtu esse receptum, itemque variis rationibus id proban-
t, quemadmodum ex propriis eorum verbis §. 1. allegatis ma-
nifestum est. Neque ullius est momenti, quod in objectione di-
citur, tantum ab interpretibus hunc librum pro Aristotele judi-
catum. Nam α. à quibusnam ergo judicandis fuit? An ab Ari-
stotele? ille non erat amplius in vivis, ut ipse testimonium per-
hibere posset. β. Hoc pactō & aliorum Authorum scripta re-
jicienda forent, quod de iis testimonium perhibeant alii σύγχρο-
νοι. γ. ostendunt illi interpretes multis rationibus, quod hic sit
liber ejus, hoc certè sufficere potest. Imò δ & ad allegationem
hujus libri ab ipso Aristotele in libris aliis factam provocant. En-
testem ipsum Aristotelem, Sed (3) quod libri duo Categoriarum

sub



sub nomine Aristotelis fuerint reperti, id mirum planè non est. Nam olim plurimi alii libri circumferebantur sub nomine Aristotelis, iisdemque titulis insigniti, ut majus pretium lucarentur, quoniam Ptolemæus Pergami Bibliothecam intruens, ampla præmia iis proposuerat, qui Aristotelicum quandam librum essent allati, inde siebat, ut multi falsarentur libri, & Aristotelis nomine circumferrentur? ast inde tamen neutquam veri Aristotelis libri ab Andronico recogniti & in ordinem redacti, sunt rejecti & pro spuriis habiti. Igitur neque hic Categoriarum liber propterea repudiari potest, sed optimò jure Aristoteli à nobis vindicatur, donec evidenter contrarium fuerit ab aliis ostensum.

§. VI.

Insuper V. hōc modō sententiam suam probare nituntur. *Ipse*, inquit, *Ammonius & Simplicius* partem illam *Libri Categoriarum*, que communiter à recentioribus Philosophis postprædicamenta appellantur, ad hunc librum non pertinere testantur. Ille quidem his verbis: *Quod non sit hac seclio à scopo Categoriarum separata, ut quidam existimārunt*. Hic verò inter eos numerat Andronicum, ita ajens: *Nam aliqui, inter quos est Andronicus, præter libri proposum ejum ab aliquo adjecta hac esse*. Fuit autem, pergit, Andronicus primus Aristotelicorum librorum & Philosophiæ Aristotelicæ instaurator, itaq; & optimè ejus judicio acquiescimus. Quodsi autem pars illa non est Aristotelis, ipse integer liber suspectus merito habetur. Verum qz. (1) non dicunt Ammonius & Simplicius, quod particula hæc non sit Aristotelis, sed quod ita de eadem opinentur alii, quamvis ipsi contrarium afferant, ut perspicue satis patet ex verbis Ammonii, qui cap. 1. docet, quod non sit illa seclio à scopo Categoriarum aliena, quemadmodum alii existimārint, adeoque eorum opinionem rejicit. (2) posito (sed non concessō) particulam hanc esse ab aliquo adiectam, nihil tamen id sententiæ nostræ derogat, cum prorsus inde non sequatur, ipsum totum librum esse supposititum. Quot enim prostant optimorum Authorum monumenta, quibus hinc inde aliquid admisuerunt otiosæ aliorum manus? At quis propterea ipsa illa monumenta rejicit ut spuria? Igitur neque ex hac ratione ipse liber Categoriarum ceu supposititius & Aristotelem autorem non agnoscens repudiari potest.

§. VII.

§. VII.

Denique VI. sic colligunt pro opinione sua. Reddit, inquiunt, librum hunc valde suspectum hoc, quod in Metaphysicis libris triginta & pluribus vicibus Categorie nominentur, & earum aliquot non semel enumerentur lib. 1. etiam Topic. c. 9. omnes recensentur, nusquam tamen, aut hic aut aliis locis hic liber allegetur. Resp. (1.) nullibi apud Aristotelem hunc librum nominari & citari, non est ita indubium: vidimus enim Simplicium & Ammonium contrarium testari, & illum quidem expressè dicere, quod Aristoteles hunc librum citet, sub nomine decem prædicamentorum. Sed (2.) etiamsi nullibi citaretur hic liber ab Aristotele, tamen inde non posset firmiter concludi, illum non esse ejus librum: quot enim sunt Scriptores, qui sua scripta in aliis non citant? Nemo tamen ea propterea rejicit. Neque hoc quicquam valet, quod dicatur, suspectum tamen reddi hōc ipsō librum Categoriarum: hoc enim ut ut adeō non negaverim, quoniam vix alias reperitur Aristotelis liber, qui non deprehendatur in aliis citatus; nihilominus tamen propterea non sequitur eum esse nothum & spurium. Sit suspectus, dummodo non spurius. Quis ignorat, multa esse suspecta, quæ tamen vera sunt.

§. VIII.

Sic evictō hōc, quod liber Categoriarum sit verus atque genuinus Aristotelis fœtus, sequitur ut dispiciamus, qualenam ejus sit scriptum, an Acroamicum an Exotericum? Non enim unusmodi sunt libri, quos nobis reliquit, sed alii quidem Acromati ci, alii Exoterici; quō de discrimine librorum paucis adhuc præfari placet. Tria autem circa illud notare juvat. *Primum* est hoc, antiquissimos Scriptores evidenter nobis de divisione bac librorum Aristotelis testari. Ita namque Cicero lib. 5. de fin. bon. & mal. num. 12. ubi de Aristotele, Theophrasto & aliis Peripateticis agit, loquitur: *De summo autem bono duo genera librorum sunt, unum populariter scriptum, quod ἐξωτερικόν appellabant: alterum limatus, quod in Commentariis reliquerunt: non semper*

)ο()ο(

idem

idem dicere videntur. Et lib. 4. Epist. ad Atticum, epist. 16:
 Itaque, inquit, cogitabam, quoniam in singulis libris utor proemii,
 ut Αριστοτέλης in iis, quos ἔχωτε ψήφισε vocat, aliquid efficere, ut non
 sine causa ipsum appellarem. Strabo autem, qui sub Tiberio Im-
 peratore vixit, lib. 13. Geographia in medio, hæc de libris Ari-
 stotelis annotat: *Usu* venit Peripateticis antiquis, qui post Theophras-
 tium vixerunt, cum omnino libris carerent, paucosque duntaxat, pre-
 cipue Exotericos haberent, ut nullâ de re, exquisitè tractando eam,
 philosophari possent, sed tantum de propositis disputarent, μηδὲν ἐχειν
 φιλοσοφῶν περιγραφιῶν, ἀλλὰ θέσιν ληκυτίζειν. H. I. Περι-
 γραφιῶν φιλοσοφῶν vocat ex rebus ipsis, seu ex propriis cu-
 jusque rei principiis aliquid tractare Philosophorum more, & hoc
 Acroamaticis convenit, θέσιν autem ληκυτίζειν ipsi est, proble-
 mata Dialectica ex probabilibus pertractare atque ventilare. Ex
 quibus liquidò apparet, librorum, quos Aristoteles & Theophras-
 tius reliquerunt, aliquos exquisitè & limatè suisse conscriptos,
 quos Acroamaticos vocant; alias vero Exotericos populariter &
 καὶ δόξαν adornatos. Plutarchus insuper, qui floruit sub Trajano,
 in vita Alexandri, ita hanc in rem scribit: *Videtur autem*
Alexander non Ethica modo & Politica precepta percepisse, sed &
occultas illas, & graviores disciplinas, quas Philosophi Acroamaticas
& Eopticæ communiter nuncupant, neque in vulgus efferebant, anti-
gisse. Qum enim jam in Asiam transiisset, atque ad se esset dela-
*tum, libros de his ab Aristotele editos, Philosophia nomine expo-*s*ta-
lans, scripsit ad eum epistolam, cuius hoc est exemplum: Alexander
Aristoteli salutem dicit. Quod disciplinas Acroamaticas vulgaveris,
non recte abs te factum est. Quā enim re nos præstabilitus alii, si
he, in quibus instituti sumus, omnibus promiscue erunt, disciplina?
Ego sane mallem optimarum rerum scientiā, quam potentia excellere.
Vale. Hanc ejus ambitionem, ut leniret Aristoteles, excusat sē, in-
dicens disciplinas istas, ita editas, ac si non edita essent. Aulus Gel-
lius porrò, qui & ipse sub Trajano vixit, initio Seculi II. à C. N.
perspicuè prorsus hanc rem inculcat his verbis lib. 20. Noct. Att.
c. 5. Commentationum suarum, artiumque, quas discipulis tradebat
Aristoteles Philosophus, Regis Alexandri Magister, duas species
*habu-**

habuisse dicitur: alia erant, que nominabat ἐξωτερικὰ; alia, que appellabat ἀνθεματικά. Εξοτερικὰ dicebantur, que ad Rhetoricas meditationes, facultatum, arguiarum, civiliumque rerum notitiam conducebant. Ανθεματικά autem vocabantur, in quibus Philosophia remotior subtiliorque agitur; queque ad natura contemplationes, disceptationesve Dialeticas pertinebant. Huic discipline, quam dixi ἀνθεματικῶν, tempus exercenda dabat Lyceo matutinum, nec ad eam temere quemquam admiscebatur; nisi quorum amē ingenium & eruditioris elementa, atque in discendo studium laboremque explorasset. Illas verò ἐξωτερικὰς auditiones exercitiumq; dicendi eodem in loco vesperi faciebat; easque vulgo juvenibus sine delectu prabebat, atque eum δελπὼν περιπατοῦ (pomeridianam deambulationem) appellabat, illum alterum suprà ἐωδιών (matutinam scil. deambulationem:) Utique enim tempore ambulans differebat: librosque suis earum rerum omnium commentarios, seorsim divisit, ut alias Exoterici dicerentur, partim Acroatici. Hinc subjicit Epistolas Alexandri atque Aristotelis. Acroaticos cùm in vulgus ab eo editos Rex Alexander cognovisset, atque eā tempestate armis exercitam omnem propè Assam teneret: Regemque ipsum Darium præliis & victoriis urget: in illis rāmen tantis negotiis literas ad Aristotelem misit, non eum rebē fecisse, quod disciplinas ἀνθεματικάς, quibus ab eo ipse eruditus foret, libris foras editis invulgāset. Nam quā, inquit, aliā re præstare ceteris poterimus, si ea, que ex te accepimus, omnium prorsus sicut communia? Quippe ego doctrinā anteire malim, quā copias atque opulemī. Rescripsit ei Aristoteles ad hanc sententiam. Acroaticos libros, quos editos quereris, & non proinde ut arcana absconditos, neq; editos scito esse, neq; non editos, quoniam his solis, qui nos audiunt, cognobiles erunt. H. I. Quibus conformia prorsus de hisce epistolis antea jam ex Plutarcho sunt allata. Eandem librorum Aristotelicorum divisionem inculcant quoq; antiqui ejusdem interpres, ex quibus brevitatis causa, Ammonium modò atque Eustratium adducere placet. Ille Comm. in lib. Categ. &c quidem in proclamio: Eorum, inquit (commentariorum) qua ordine confecta & studiō conscripta atque elaborata sunt, quedam sunt ἀυτοτεχνῶν, in quibus ipse ex sua persona loquitur, ut limatiū conscri-

scripta; que ἀκροαματικὰ nominantur. Alia Δελογυμὰ & popu-
lariter scripta, que Exoterica vocantur. Eorum vero in quibus ex
sua loquitur persona & acroamatica sunt, alia ad contemplationem,
alia ad actionem pertinent, alia organica dicuntur. Hic vero in
Comment. ad lib. 1. Ethic. cap. 13. ita scribit: *Ex operibus Ari-
stotelis alia ad discipulos eius scripta sunt, qui ad eum audiendum si-
mul conveniebant, que ipse in publicis Scholis differebat aique expo-
nebat; alia privatum ad aliquos exirfiscus, argumento illi accom-
modata, quod unusquisque requiserat.* Hac Exoterica, quasi exter-
na dixeris, sive extranea, quia unumquodque ex ipsis ad privatum
aliquem extra publicum auditorium compositum fuit. Quoniam igit-
ur in his diversa quedam de anima pro tempore ad quæstiones pro-
positas dicta sunt, ad ea nos relegat, ut post ad præsens negotium,
utilia futura, monetque ut illis hic quoque ad rem facientibus uiatur.

§. IX.

Alterum, quod circa divisionem hanc librorum Aristotelis
in Acroamicos & Exotericos annotari meretur, est ipsum di-
scrimen horum librorum, in quo nempe illud sit positum? Ubi
quidem nemini non constat à quatuor potissimum rebus sermo-
num pariter atque librorum peti discrimen. Initio à materia pro
cujus varietate alias v. gr. sermo alias liber est de Deo &
rebus divinis, alias de rebus naturalibus, alias de moralibus, & ita
porrò. Deinde à fine, qui duplex est, alias & seu *cujus*, cuius
nempe producendi aut acquirendi, vel etiam comparandi gratiâ
cætera sunt vel fiunt, veluti in Medicina sanitas aut conservan-
da, aut producenda, in arte pescatoria pisces in cibum acquirendi
&c. alias & seu *cui*, cui scilicet bono prior ille finis cedit, uti
in Medicina arte est homo æger, in pescatoria homo in cibum
sibi pisces acquirens. Hinc à modo considerandi, qui duplex est,
logicus & apodicticus, quorum illò res ex probabilibus & com-
muni bus principiis dialecticè tractatur, hòc vero ex propriis &
primis principiis enucleatur. Tandem à λέξι vel dictioris genere,
quod vel concisum & obscurius paulò, vel fusus & planus exi-
git, similique modò aliò distinguitur. Jam quod (1) materiam
con-

concernit librorum Acroamaticorum atque Exotericorum, haec in se & simpliciter eadem est, neque inde eorum discrimen ita simpliciter depromi potest. Quemadmodum enim in libris Acroamaticis scientias tam theoreticas, quam practicas atque effectivas tradidit Aristoteles, adeoque de rebus non modo divinis atque naturalibus, sed & organicis disputavit: unde & Ammonius in verbis §. 1. citatis dicebat, *eorum, que acroamatica vocantur, alia ad contemplationem, alia ad actionem pertinere, alia organica dici:* ita pari ratione de his omnibus & in libris Exotericis cunctem egisse, & non modo morales, sed naturales quoque & Logicas pertractasse materias antiquorum testimoniis probatur. Ita namque in illis egit Philosophus v. g. de anima, in Dialogo nempe de anima ad Eudemum Cyprum familiarem suum, quem citat Themistius Comm. in III. de Anima text. 37. & Simplicius in lib. I. de Anima cap. IV. Cic. lib. 1. de Divinat. & Plutarchus in vita Dionis, nec non in Consolat. ad Apollon. Egit in iis quoque de Philosophia, item de bono, aliisque annexis, in tribus nempe libris de Philosophia, quos Vellejus citat apud Ciceron. de natura Deorum, & Laertius in vita Aristotelis, in quibus summatum complexus fuit ea, quae in sermonibus à Platone accepterat, itemque Pythagoræ dogmata nonnulla. Simplicius Aristotelem ipsum per τὰ περὶ Φιλοσοφίας lib. 1. de Anima text. 26, hos intelligere libros existimat in Comm. sic inquiens: *De Philosophia nunc ea intelligit, que de bono ipso ex Platonis colloquis memoria mandavit, in quibus recenset Pythagoricas Platonicasque de Eritibus opiniones.* Similia leguntur apud Philoponum in Comm. eiusdem loci. Exotericos autem fuisse libros hosce vel ex solius Ciceronis verbis intelligitur, quibus lib. 1. de nat. Deor. ita ait: *Aristoteles in tertio de Philosophia libro multa turbat: modo enim menti tribuit omnem divinitatem, modo mundum Deum esse dicit, modo quendam alium proficit mundum &c.* At in Acroamaticis scriptis nihil turbat Philosophus, sed cuncta limatè & ordine decente pertractat: Exotericis igitur annumerandi libri isti, de Philosophia, quos citat Tullius. Pertinent autem eò & Sectiones Problematum, in quibus non solùm de Moralibus agitur rebus, ut

de metu & fortitudine, temperantia & intemperantia, justitia, prudentia, &c. veluti Sect. 27. 28. 29. 30. sed & de naturalibus quamplurimis v. g. de ventis, nive, pruina, odoribus, saporibus, coloribus, & sexcentis aliis, imo & de rebus Logicis, quò referenda sunt ista problemata: Cur in perorando homines magis gaudent exemplis, quam Enthymematis? Cur in εργασίαις non sit ἀδολεξία? de quibus agitur Sect. 18. probl. 2. 3. 8. Et hinc Alexander Aphrodis. Comm. in 1. Top. 14. de Exotericis ita scribit: Εν οἷς πλείστη καὶ τὸ θεωρικόν, καὶ ταῦθεν Φυσικῶν (adde & τὸ λογικῶν) εὐδιέξως λέγεται: In quibus multa & de moralibus & de naturalibus atque Logicis rebus probabiliter dicuntur. Ut adeò eadem fuerit librorum Acromaticorum atque Exotericorum materia. Quod Cicero etiam clare satis indicat, quando Peripateticos de summo bono non semper idem dicere ait, èo quod duo sint apud illos de eo librorum genera, unus populariter scriptum atque εἰρηνεῖον, alterum limatus, in citatis §. I. verbis. Quocirca differunt librorum Acromaticorum atque Exotericorum ita simpliciter atque absolutè in materia subiecta positum non est. Nihilominus tamen certà ratione etiam discriminari illâ ab invicem possunt. Nimurum quoniam libros Exotericos in usum non domesticorum suorum Auditorum, sed quorumcunque etiam ex vulgo scripsit; hinc licet de omni generis rebus eosdem adornarit, præcipue tamen in iis de rebus moralibus & Politicis egit, utpote, cum vulgus & auditores extranei isti, non tam in rerum naturalium atque divinarum, quam moralium & Politicarum meditatione versentur. Indè quippe nullibi magis ταῦθεν εἰρηνεῖον λέγεται vel sermonum ad exotericos & promiscuos quoque auditores habitorum meminit, quam in Ethicis & Politicis, veluti 1. Ethic. 3. & 4. 3. lib. 6. Ethic. 4. 1. Eudem. 6. & 8. 2. Eudem. 1. & lib. 5. cap. 4. lib. 1. Polit. cap. 5. lib. 3. cap. 6. lib. 7. cap. 1. raro in aliis scriptis, veluti 4. Physic. 10. lib. 13. Metaph. 1. lib. 1. de eculo 9. & 1. de anima 4. Inde quoque Gellius εἰρηνεῖον Aristotelii dicta, ait, quæ ad rerum civilium notitiam, facultatem argutiarum & Rhetoricas meditationes (quæ Politico omnino conveniunt, ut cui sœpè publicè verba facienda & plebis animus oratione

one demulcendus) conducebant. *Αναρριπτικά autem, in quibus Philosophia remota, subtiliorque agitabatur, queque ad natura contemplationes, disceptationesve Dialeticas, quippe magis ad γρῶν, quam praxin conducentes perinebant, in verbis §. praecep. citatis.* Non enim verba hæc Gellii de materia librorum Exotericorum ἀνλᾶς accipienda, quasi eam solam tractaret in iis Philosophus, sed secundum quid, de materia præcipua & frequentiori atque communiori, de qua in primis & potissimum in libris Exotericis, accommodans se auditoribus eorum, Aristoteles tractarit. Idem quoque vult Galenus, quando in libro de Substantia facultatum naturalium dicit, Aristotalem quidem alia τοῖς πολλοῖς vulgo & promiscuis auditoribus, alia vero ἀνδροῖς τοῖς ἔταιροις, vel discipulis familiaribus & domesticis scripsisse. Nec aliter Plutarchi capienda verba, quibus §. praecep. Ethica & Politica præcepta contradistinxerit occultis & gravioribus disciplinis, quas Philosophi acromaticas & Eopticas communiter nuncupent. Sed progredimur ulterius & (2) finem librorum Exotericorum atque Acromaticorum consideramus. Hic prorsus est diversus in iis, tam finis *cuius*, quam finis *cui*. Finis quidem *cuius* in libris Acromaticis est scientia, in Exotericis opinio in animo lectoris gerenda. Id, quod vel ex ipso Aristotele probatur, qui lib. 13. Metaph. cap. 1. de ideis, quædam perulgata esse dicit, in Exotericis νόμος χάριν id est *opinionis ergo*: et si enim forte de ipsis sermonibus ad exotericos Auditores habitis illic sermo ipsi sit, res tamen eodem recedit: quoniam sermonum atque librorum Exotericorum eadem est ratio atque conditio. Sed confirmat idem Alexander, qui cit. antea loco de rebus Ethicis & Physicis τὰς δόξαν accommodatè agi dicit εὐτε τὴν Αἰγαλείην περιγράφειν τὴν εὐ τοῖς φυτοεργοῖς τὴν εὐ τοῖς εξωτεροῖς, in Dialetica, pariter & Rhetorica, nec non in Exotericis. Quanta autem sit differentia inter scientiam atque opinionem notum est. Finis *cui* in Acromaticis sunt genuini atque domestici scientiarum auditores, quos Aristoteles ἀναρριπτικά inīστι item τεπαιδευθῆσες appellat 1. Eth. 1. qui soli exquisita illius cognitionis, quæ scientia dicitur, capaces existunt; in Exotericis contraria sunt finis *cui* auditores
qua-

qualescumque & promiscui, qui scientiam exquisitam non querunt.
 Confirmat hoc testimonio suo non solum Ammonius in Prolegomenis ad librum Categoriarum, quando docet, quædam Aristotelis scripta dicta fuisse ἀκροαματικὰ Διὸς τὸ πεῖσμα γνησίας ἀκροατὰς ποιεῖθεν τὸν λόγον, eo, quod in illis sermonem faciat ad genuinos & domesticos auditores, quædam ἐξοτεχνὰ, Διὸς τὸ πεῖσμα τῶν πολλῶν γεγράφθαι ὠφέλαν, eo quod ad multorum vel multitūdinis promiscuae utilitatem ea scripserit; Sed & Philoponus hujus auditor Comm. in 3. de Anima, ubi docet, quinam apud Aristotalem sint ī ēπεις λόγοι his verbis: τὰς ἔπεις λόγοις λεγομένας λόγους, vocat vel non scripta colloquia sua cum sociis, vel exotericos libros, ex quibus sunt dialogi, ut Eudemus. Qui ideo Exoterici dicti sunt, quod non sunt scripti ad genuinos auditores, sed ad communem & vulgi utilitatem. Accedit quoque his Eustratus, qui libroram Exotericorum atque Acroamaticorum disserimen tradit: Illa quidem scripta Acroamatica dicta sunt, quoniam ad eos, qui in communi eum andiebant, directa sunt. Hæc verò Exoterica, quoniam unumquodque eorum, conscriptum est, ad quenpiam, qui aliquid quæsivit extrā communem auditionem, quæ ejus verba plenius jam §. præced. edimus. Dissentit quidem hic à prioribus: quod isti libros Exotericos eō dici arbitrentur, quod ad multorum utilitem ab autore scripti atque editi fuerint, hīc verò quoniam ad aliquem unum, qui inter discipulos non numeraretur miserit eos (id quod forte etiam interdum factum esse potest); in hoc tamen consentit cum iis, quod libri isti in usum τῶν ἔπεις λόγους ἀκροατούς h. e. eorum, qui inter genuinos & domesticos auditores Philosophia non numerabantur, fuerint scripti. Insuper (3.) quod modum considerandi concernit, ille pariter in libris Acroamaticis atque Exotericis est prorsus diversus atque distinctus. Scilicet, quædammodum vel ex §. præced. jam innotescit dupliciter res aliqua considerari atque pertractari potest. Vel a. Φυσικῶς atque πεγγυματικῶς, ut fert natura cujusque rei, & ex propriis ipsius principiis atque causis, itemque non secundum communem quandam rationem, sed accuratè atque exquisitè, unde & ἀκελλῶς atque διαδικτικῶς sic tractari dicitur. Vel

Vel β. λογικῶς, quod & Διαλεκτικῶς dicitur, si ex communib[us] quibusdam & endoxis i. e. talibus, quae consentanea sunt opinioribus hominum, & videntur vel omnibus vel plurimis, vel sapientibus, inque vel omnibus vel plurimis, vel præstantissimis, si item παχυλῶς seu ruditer ut Eustratius loquitur in 1. Ethic. 1. vel ut Philoponus in 1. Metcor. 1. Θπιτολῆς superficietens, aut denique ut Aristoteles passim ὡς τύπῳ secundum communem quādā rationem & rudi minervā tractetur. In libris acroamaticis priorem Aristoteles seētatus est considerandi modum: finis enim cuius in iis erat scientia producenda in animo auditoris genuini atque domestici; at scientia non ex rudi aliqua consideratione emergit, sed accuratam requirit disceptationem, quā singula exquisitē atque minutatim, ex propriis insuper principiis & causis, pertractantur. In Exotericis verò posteriorem modum tenuit: quoniam eos in usum communem τὰν ἔξωθεν vel exotericorum & qualiumcunque auditorum, ipsius etiam vulgi conscripsit; at hi non sunt capaces argumentorum ex propriis principiis & causis ipsarum rerum, juxta lib. 1. Rhet. cap. 1. opinio quoque, quae finis cuius est librorum Exotericorum, non ex propriis principiis nascitur, sed ex propositionibus communibus & probabilibus. Unde & Dialecticus, qui & ipse pro fine habet opinionem, ut colligitur ex 1. Top. 14. §. 7. ex endoxis seu probabilibus concludit, docente ipsomet Aristotele 1. Top. 1. 1. Rhet. 2. Vera hæc esse, quæ de modo considerandi in libris Exotericis atque Acroamaticis ab Aristotele observata dicta sunt manifestum redunt testimonia antiquissimorum scriptorum, Ciceronis, Strabonis, Plutarchi, & aliorum jam §. 8. citatorum, unde ea repete-re, aut plura cumulare, supersedemus. Denique (4) quod ad λέξιν vel dictionis atque orationis genus attinet, hoc itidem aliud in Acroamaticis, aliud in Exotericis occurrit. Aliud siquidem λέξιως genus accommodatum est ad scientiam, aliud ad opinionem: aliud querunt genuini scientiarum atque Philosophiæ domestici auditores, aliud ὡς ἔξωθεν seu profani i. e. qualescumque & promiscui ex ipso etiam vulgo auditores; igitur aliud etiam seētatus est dictionis genus Aristoteles in Exotericis, ad opinio-

)ο()ο()ο(

nem

nem tendentibus, aliud in Acroamaticis ad scientiam collimantibus scriptis. Nempe in illis sine dubio ad popularem captum plenius planiusque de rebus propositis differuit prolixiore orationis ambitu usus; at in his, quia res ipsi erat cum πεπαιδευθόντες & eruditis auditoribus, brevius & contractius cuncta proposuit, quasi apud peritos signans potius quam latius expandens. Id quod vel ex response Aristotelis ipsius ad epistolam Aléxandri §. 8. ex Gellio adducta patescit. Cum enim apud Magistrum per literas conquestus esset Rex ille, discipulus & auditor quondam ejus, quod disciplinas acroamaticas, quibus ab eo eruditus fuerat, scriptis foras editis divulgasset, respondit, ita divulgas librorum editiones esse, ut tamen cuivis non patarent, sed iis solam qui eas ex ore ejus audivissent. Utut enim Aristoteles Philosophiam suam non occultarit ænigmatibus, symbolis & allegoriis, quemadmodum Ægyptii *naïs hieroglyphicus*, unde Apollo Pythius λοξίας dicebatur, nec fabulis ut Poëtae, Orpheus, Homerus atque alii; aliò tamen modò eam obscuravit, nempe singulari verborum proprietate & dicendi genere conciso atque difficultiori. Id quod fuisse non solum in Prodromo suo B. Zeidkerus ex Interpretibus quibusque optimis confirmat, sed & pro difficultate hac in lectioне Aristotelis minuenda integrum suam Introductionem conscripsit. Nobis sufficit hōc loco brevibus, clarè tamen satis, discrimen librorum Exotericorum atque Acroamticorum ostendisse.

§. X.

Tertium atque ultimum, quod circa divisionem hanc librorum Aristotelicorum observandum est, ipsos in specie libros Acroamaticos atque Exotericos concernit, *quinam in operibus Aristotelis, que hodie nobis supersunt, isti existant?* Habentur omnes ejus libri superstites in Editione Graeco-Latina in fol tam Gvilelmi Duval de anno 1519. que optima est, quam Hacij Cosiuboni tum Lrigduni, tum Aurelia Alsburgi, que poterat, & ob typum & ob meliorum versionum,

sionem, & quod aliqui libri in priore prorsus sine versione occurrant, aliasque ob causas praferenda, item in Editione Graeca Sylburgii in quarto omnibus palmam præripiente, nec non in editione Pacii in 8vo, quæ itidem duplex, ex quibus major præstat minori. Ac euidem an liber de Mundo, libri Ethicorum ad Eudemum & Magnorum Moralium, liber item de Rhetorica ad Alexandrum, unà cum libris de plantis, porrò & liber de Virtute, de Coloribus, de Ventorum regionibus, & liber de Mysteriis Ægyptiorum sint Aristotelis, adhuc sub judice lis est: quanquam liber quartus, quintus & sextus Eudemiorum verbetenus coincidant fermè cum libro quinto, sexto & septimo Nicomachiorum, qui pro Aristotelicis ab omnibus agnoscentur. Liber autem Categoriarum & Problematum reverà sunt Exoterici, quemadmodum extra controversiam positum est fermè apud omnes. Ac de libro Categoriarum, de quo in primis hic solliciti sumus, id evidens vel hinc est, quod Aristoteles *ἀρεβάτας* in codem non secesserit: inde enim definit quidem æquivoca strictè dicta, quotuplicis autem generis in universum sint æquivoca non ostendit, quod tamen accurata & scientifica tractatio requirit, synonyma in latiori sensu definit, quot modis autem sumuntur itidem nec verbo indicat. Entium divisionem quadripartitum ex combinatione vel potius confusione subjecti *ἰκέτες* & *ἄλλοι* tradit, & multa non ex propria, sed communi aliorum sententia proponit, quemadmodum circa ipsius hujus libri dogmata videbimus, & vel ipso quoque Ammonius Comment. in cap. 5. hujus libri monet his verbis: *Dicimus b. I. propositum esse Aristoteli non agere de Entibus, quatenus sunt Entia, sed quā significantur ab hominum multitudine, neque esse de iis ex propria ipsis sententia differunt.* Itemque Simplicius, qui cùm in Categoría Substantiæ dixisset Aristoteli sermonem esse non de intelligibili sed solum de sensibili & composita substantia, rationem hanc subdit: *Non enim dicitur in conservudine & conversatione, neque nota est vulgo illa (intelligibilis substantia) sed hec magis, sensibilis tempe.* Et paulo ante sub fin. Comm. in Antecau-

τεgorias:

tegorias : *Manifestum est*, inquit, *quod differat de sensibilibus,*
circa quae & vulgus considerationem instituit. Quibus nihil ali-
ud significat, quam librum Categoriarum esse Exotericum,
quoniam libri Exoterici ad captum vulgi scribebantur. Ad-
dit quidem Simplicius hisce libris Exotericis & libros de Hi-
storia Animalium; at minus recte. In his enim de rebus pro-
positis nihil concluditur, sed τὸ ὄτι σολῦ de omnibus nudē re-
fertur, & quidem satis accuratè, teste ipsō Aristotele lib. 5.
Hist. Anim. c. 6. & 4. Part. Anim. c. 13: τὸ ὄτι enim prius co-
gnoscendam, ut postmodum causæ eò melius investigentur at-
que intelligantur, que tandem in libris de Partibus & de Ge-
neratione Animalium traduntur. Idem & de libro Mirabili-
um Auscultationum dicendum: non enim nisi Historicè in ea-
dem commemorat quæ ab aliis tradita aut in scripta relata de-
prehendit. Residui libri omnes sunt Acroamatici, licet de
libris Topicis, Rhetoriciis, Poëtico & Politicis nonnulli dubi-
tent, & Exoterici annumerare eos malint: quorum tamen o-
pinionem aliâ occasione examinandam sumemus. Hoc loco
sufficere possunt, quæ hactenus de divisione librorum Aristoteli
in Acroamaticos & Exotericos dicta sunt: qui prolixio-
rem cognitionem desiderat, Prodromum Introductionis in Ari-
stotelem Beati Zeidleri adire poterit, in quo fusissimè materi-
am hanc de libris Aristotelis Exotericiis atque Acroamaticis per-
tractavit. Nos ad explicandum ipsum librum Catego-
riarum progredimur. Esto itaque

PARS

PARS PRIMA
DE
VULGO SIC DICTIS ANTE-
PRÆDICAMENTIS.

CAPUT I.
DE
HOMONYMIS seu AEQVIVOCIS.

§. I.

Hividitur liber Categoriarum communiter in tres partes: In Anteprædicamenta, Prædicamenta ipsa, & Postprædicamenta. Primò itaque loco in explicatione hujus libri, Anteprædicamenta, seu ea, quæ in prima libri parte proponuntur, expendamus. Proponuntur autem in eâdem nobis definitiones, regulæ atque divisiones aliquot, quæ singula consideranda veniunt. Ex definitionibus prima est Homonymorum, quæ ita sonat: Ὡμονύμα λέγεται, ὅν ὄνυμα μόνος κοινὸν, οὐ δὲ καὶ τὸ ὄνυμα λόγος τῆς στίας ἐτερός, Homonyma vel Aqvivoca dicuntur, quorum solum nomen commune est, omnis vero essentia juxta illud nomen est diversa. In hâc definitione dicitur I. Homonyma λέγεται, non εἰνι vel ἔστιν, quoniam hic definiuntur res, quæ homonymæ appellantur, non vero ipsa vocabula homonyma; at vero res ipsæ in se non sunt aqvivocæ, sed etenim saltem aqvivocæ existunt aut appellantur, quatenus voces aliquâ plura designante exprimuntur, ut ait Boëth. lib. i. Comm. in Prædicam. Voces enim cum Symbola sint τὰν νοητάτων seu notionum vel conceptuum animi, his autem mediantibus, ipsarum quoque rerum, res autem infinitæ existant voces finite & certò numerò inclusæ, hinc sit, ut res plures diversæ prorsus naturæ atque essentiæ unò nomine exprimantur, atque sic Homonymia exoriatur, docente ipsò Aristotele Lib. Soph. Elench. cap. 1. Et

A

hâc

hac de causâ maluit Philosophus h. l. in definiendis rebus æqvivo-
cis uti voce λέγεται, quam ēstiv. Dein II. dicitur in definitione:
Homonyma μονον τὸ ὄντα seu solum nōmen habere commune.
Ubi (1) notandum, vocem ἀθεματ@ non strictè sumi, quatenus
verbo contradistinguitur, sed latius pro omni voce significativa, &
verbū & participium & alia sub se comprehendente, quæ signifi-
catio passim apud authores occurrit: dari enim verba quoq; æqvivo-
voca, item participia, adverbia, notiorum est, dum perdo v. gr.
significat tum amitto, tum corrumpo; puto notat & opinor & seco
amputo, veluti putare ramos arborum, elevo item designat idem
quod extollo & quoque contrarium minuo &c. (2) quando no-
men commune vel idem hic habere dicuntur Homonyma, non at-
tendendum ad formale, seu sensum & significationem nominis:
hanc enim non habent æqvivoca communem & eandem; sed ad
materiale, h. c. ad literas, accentum, genus, spiritum, casum, &
catera accidentia Grammatica: hac namque nōmen aliquod vari-
are & diversum reddere possunt. Hinc arbor & turba hominum
non possunt dici æqvivoca, licet commune videantur habere no-
men, quod est populus: hoc quippe res quidem diversas denotat,
quod unum est Homonymias requisitum, propter quod & in plu-
rali definiuntur Homonyma; ast secundum materiale spectatum
non est idem sed nōmen diversum, quod tamen itidem ad homo-
nymiam exigitur. Pari ratione ara & hara, abitus & habitus, mer-
ces mercium in plurali, & merces mercedis in singulari, ut & hæc
ficus pro arbore, & hic fucus pro morbō, non dicuntur æqvivocē
de rebus, quas significant, diversis, quia tūm literæ, tūm numerus,
tūm genus in iis variat, quæ tamen omnia materiale nominum
concernunt. Non aliter effero, quatenus significat idem quod ex-
porto, & rufus quatenus notat idem quod ferum redito, non est
vox æqvivoca, quia est diversa conjugationis verbū, priori qui-
dem in sensu teriæ, posteriori autem primæ conjugationis. Et
hōc ex capite quoque Sophismata, in quibus ejusmodi vocabula oc-
currunt, non ad Fallaciam æqvivocationis, sed accentū aut figuræ
dictionis reducuntur. V. g. vulgare illud:

N. malum est appetendum

O. pomum est malum

Ergo N. pomum est appetendum,

fal-

fallaciam continet non æqvivocationis, sed prosodiae, quia accentus diversus nomen diversum facit. Item hoc Sophisma:

O. Episcopi sunt ordinati,

Q. Afini sunt Episcopi,

Er. Q. Afini sunt ordinati.

non ad fallaciam æqvivocationis, sed figuræ dictionis reducitur, quia casus & numeri hic diversi vocem variant, dum *Episcopi* in majori est nominativus pluralis, in minori autem genitivus singularis. Et ita porrò. Amplius III. dicuntur Homonyma esse, quorum λόγος τῆς ἔστιας εἰνί εἴτε φῶς, id est, quorum definitio est diversa: definitio enim est λόγος τῆς ἔστιας, oratio essentiae, sive λόγος τοῦ τι ἣν ἔνεστι σημαῖνων, oratio explicans esse vel essentiam rei, ut dicitur lib. I. Top. cap. 5. Sic lupi nomine intelligitur tum fera bestia voracissima, tum instrumentum quod ex profundo aqua fluminis vel fontis tripodem immersum extrahimus, cuius utriusque diversa quoddam sit definitio, manifestum est. Jus & legem & offam notat, ex quibus aliter longè lex, aliter offa definitur. Et ita porrò. Quanquam hic per definitionem non strictè sic dicta & omnibus partibus numerisque absoluta præcisè intelligatur definitio; sed latius vocabulum definitionis sumatur, prout eō nomine & qualisque venit descriptio. Nam & in singularibus itemque accidentibus obtinet locum æqvivocatio: ut quando Ajax dicitur & de Telamonis filio, & de Locrensum Rege, acutum & de oratione, & de sono, & de gladio; at nec singularia nec accidentia accurata definitione explicari possunt. Neque est ut dicas: Aristoteles tamen hinc voce ἔστιας utitur, quæ substantiam denotat, & accidenti contradistinguitur, proinde æqvivoca in accidentibus occurrentia hinc non videntur in considerationem venire, sed tantum æqvivoca in substantiis obtinentia, & per consequens hinc per λόγον ἔστιας omnino definitio accurata intelligitur: λόγος enim sæpius Philosopho idem est atque definitio, adeoque λόγος ἔστιας erit definitio substantiæ, quæ utique accurata definitio est, substantia enim accuratè definiiri possunt. Non est, inquam, ut ita objicias. Nam, (1) positò hinc tantum æqvivoca in substantiis occurrentia definiri, nihil tamen te juvabit hoc, neque propterea statim sequetur, per λόγον ἔστιας intelligi definitionem accuratè sic dictam, quia & in

4

substantiis singularibus sessitat æqvivocatio, ut patet exemplum Ajacis modò allatò, itemque Alexandri, qui non tantum Regem Macedonum Philippi filium, sed & fabrum istum Apostolo Paulo inimicum denotat, cuius meminit ipse ad Tit. IV, 14. ast singulares substantias posse accuratè definiri nonnisi ἀπογένετος afferet. Sed (2) petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, dum dicitur, tantum substantias æqvivocas hic definiri, non etiam accidentia: quā de causā enim excluderentur accidentia æqvivoca? Ratio certe illa, qua speciem quandam conciliare sententiæ huic videri possit, nullius est momenti. Ut ut enim vocabulum ἔστιας idem notet quod substantia accidentibus contradistincta, sàpè tamen quoque idem significat quod quidditas & essentia cujusque rei sive substantiæ sive accidentis, qua definitione explicatur, quemadmodum ex V. Metaph. VIII. abunde constat. Itemque utut λόγῳ aliquando Philosopho pro integrâ usurperur definitione, tamen non raro idem est, quod oratio. Veluti quando propositionem definit, quod sit λόγος, i. e. oratio affirmans vel negans aliquid de aliquo, lib. I. Prior. 1. nec non Syllogismum, quod sit λόγος, h. e. oratio, in quā positis quibusdam diversum quid à positis ex necessitate infertur propter positam lib. I. Top. c. 1. Qvapropter licet concedamus verba hæc λόγος τῆς ἔστιας etiam hanc sustinere posse significationem, quā idem denotet, quod definitio substantiæ, tamen quod h. l. ita sumantur, id est quod probandum erat. Nos contrarium fatis aperè probavimus. Qvò accedit (3) quod propterea quoque veteres Aristotelis interpretes, Ammonius & alii vocabulum ἔστιας hic non per substantiam, sed essentiam qualemunque sive substantiæ sive accidentis interpretentur. Qvanquam (4) ut nihil taceamus, Simplicius in hunc locum observet, veteres verba illa τῆς ἔστιας non legisse, neque in omnibus reperiri exemplaribus Andronicus & Boëthius testentur. Sed quicquid sit, si verba ita τῆς ἔστιας omittantur, vox λόγος sola idem quidem denotabit quod definitio, ast non accuratè sic dicta, verùm in genere quavis definitio, sive accurata ea sit, sive qualisunque tandem def. riptio, ob rationem initio allatam. Denique IV. dicitur in definitione, quod λόγος ille ἔστιας vel definitio sit diversa, καὶ τέρομα secundum illud ipsum commune nomen, quod probè observardum est. Alias enim, si respectu alijs cujusdam

3

dam nominis definitio tradatur, æqvivoca non habebunt diversam, sed potius eandem definitionem. Sic Ajax de Telamonis filio & de Locrinium Rege dicitur, quodsi itaque hos duos homines non secundum illud nomen commune Ajacis, sed secundum aliud, v. g. hominis, definieris, eandem habebunt definitionem, uterque enim est animal pedestre bipes; at si juxta illud ipsum nomen definias eos, apparebit diversam esse eorum descriptionem: alter quippe ex his erit Salaminius, Telamonis filius, antagonistæ Hectoris, alter verò Oileus Locrinium Rex & hastæ vibranda peritissimus. Ex quò patet, eadem posse esse æqvivoca & quoque univoca pro diverso respectu ad diversum nomen: duo enim prædicti homines sunt æqvivoca respectu habitò ad nomen Ajacis, univoca verò respectu habitò ad nomen hominis. Sic lupus fera crudelior, & lupus pisces aliorum insidiator, sunt æqvivoca respectu nominis lupus, univoca verò quoad nomen animalis. Quid autem sint univoca, mox videbimus.

§. II.

Sunt autem æqvivoca duplicitis generis, alia strictè sumpta, quæ διὰ τύχης seu casu facta dicuntur, eò quòd sine certâ aliquâ ratione fortuitò ad plura significanda rebus imposita sint. V. g. ius quatenus legem & quoque offiām notat, lupus quatenus animal vorax & instrumentum adūcum designat, quòd vase, quæ in puteum forte ceciderunt, extrahuntur, & harpax itemque harpago aliàs dicitur. Item puto, quatenus significat & opinari & secare vel amputare, κόρος & ὁ δομ & puerum & juvenem & scopas quoque notat, quibus everritur domus. Et ita porrò. Aristoteles appellat hæc æqvivoca πολὺ διεσγκότα, id est, multùm distantia seu valde remota lib. 1. Top. c. 16. §. 3. in quibus facilè apparet homonymia; eò quòd valde à se invicem distent. Et hæc modò cum Aristotele definitivus: unde & priora exempla duo pro declaranda definitione illà adducebamus. Alia minus strictè, quæ διὰ δι-
avivias seu ratione vel consilio facta appellantur, quia ratio reddi potest, ob quam ad plura significanda rebus imposta sunt, qua ratio fundamentum appellationis existit. Sic pes est æqvivocum, quatenus & de homine & de lecto dicitur: uti enim pes est fulcrum hominis, ita & ledi, ob hanc rationem, & his diversis rebus signi-

6

sicandis hoc vocabulum est inditum. Homonyma autem hæc consilio facta rursus non sunt uniusmodi, sed totuplicia existunt, quotuplex est ratio appellationis istius. Namirum 1. quædam homonyma consilio facta sunt καθ' ὁμοτητα sive secundum similitudinem, ut homo vivus & pictus, oculus qui est in homine & oculus lapideus dicuntur æquivocè lib. IV. Meteor. cap. ult. lib. I. Pol. cap. II. Dein 2. dicuntur aliqua κατ' ἀναλογίαν vel secundum proportionem: Differt proportio à similitudine, quod hæc & inter duo sit, proportio autem propriè sic dicta nonnisi inter quartuor, juxta lib. V. Elem. Euclid. definit. III. Quando scil. termini ita sunt comparati, ut, quæ est ratio primi ad secundum, eadem sit tertii ad quartum: Tum enim nomen primi imponi solet tertio, & nomen tertii primo, atque inde oritur homonymia, cuius fundatum est analogia. Ita intellectus ἀναλογίας & æquivocè oculus animæ dicitur; quemadmodum enim se habet oculus ad corpus, ita intellectus ad animam, ut ipse Aristoteles expresse docet lib. I. Eth. c. IV. Ulterius 3. defini solet ejusmodi homonymia μήπερ à memoriam, ut quando Parentes atavorum nomen liberis suis imponunt ad conservandam memoriam eorum. Sed & 4. ἀν' ἐλπίδος vel à spe hujusmodi oriuntur homonyma, ut si quis spem de filio suo concipiens, quod sit insignis futurus Philosophus, Platonis vel Aristotelis nomen ei imponat. Denique 5. & æquivoca quædam dicuntur κατ' οὐνόματα τὴν κανόνην ἀρχὴν καὶ τέλος κανόνην, h. e. secundum principium commune itemque finem communem, quæ communia περὶ τὸν καὶ ἄριστον εἶναι dicuntur, in quibus datur primum aliquid, à quo reliqua omnia dependent tanquam à principio suo, aut ad quod tanquam ad finem omnia referuntur, v. gr. substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio &c. dicuntur entia, ita tamen, ut substantia sit primum enī, à quo reliqua dependent tanquam à principio suo; item animal, pharmacum, diæta & urina dicuntur iāna, ita tamen, ut animal primò dicatur sanum, ad cuius sanitatem ceu finem etiam communem reliqua omnia referuntur. Sed de hisce communib[us] ad unum & ab uno fusiū post Synonymorum explicationem dicimus.

§. III.

Est autem hæc definitio pariter atque distinctio rerum æquivocarum,

2

carum, quæ vulgò æqvivoca æqvivocata appellantur; at facile in-
de & definitio atque distinctio vocum æqvivocarum, quæ æqvivoca
æqvivocantia dicuntur, colligi potest. Nimirum vox æqvivoca est,
quæ de rebus pluribus ita dicitur, ut eam solam communem eæ
habeant, definitio vero juxta eandem sit prorsus diversa. V. g. vox
lupi dicitur de animali quadrupede voracissimo, Germ. ein Wolff/
& de harpagone vel instrumento, quod ex profundo aliquid extrahi-
mus, quæ quod solam vocem lupi communem habeant, definitio-
nem vero juxta eandem prorsus diversam, manifestum est. Distin-
ctio æqvivo.orum æqvivocantium in casu & consilio facta, & ho-
rum rursus distinctio in sua significata simili ratione, facile mu-
tatis mutandis, adornatur, ut opus non sit prolixitate hic ullâ.

S. IV.

Homonymis opponuntur Heteronyma, seu ut Boëthius latinè
vertit, diversivoca. Hæc sunt, quæ & nomen diversum habent, &
secundum diversum illud nomen diversas quoque definitiones. Ta-
lia sunt descensus & ascensus in scalâ: non enim hîc tantum duo
diversa nomina sunt, sed & diversa definitio vel descriptio, aliter
namque ascensus describitur, scil. motus pedum sursum, aliter de-
scensus, nempe motus pedum deorsum. Duplia autem sunt He-
teronyma; quædam enim nomen quidem & definitionem diversam
habent, re ipsâ tamen convenient & in eodem sunt subjecto; quæ-
dam vero non tantum nomine & definitione, sed & subjecto diffe-
runt. Hæc dicuntur ētego seu diversa, illa in specie Heterony-
ma. Sic Heteronyma, ut dixi, sunt ascensus & descensus in scalâ:
utut enim hæc nominibus & definitionibus differunt, subjecto ta-
men convenient, in eadem enim scalâ ascensus fit & descensus.
Ētego autem sunt v. g. equus & canis: hæc enim præterquam quod
nomine & definitione differant, etiam subjecto sunt distincta, aliud
enim subjectum est equus, aliud canis. Nihil autem de Heterony-
mis b. l. Aristoteles ipse proposuit, (1) quia definitionem Homo-
nymorum & reliquorum, quæ in Antepradicamentis vulgo sic di-
cuntur, ob meliorem illorum intelligentiam tradidit, quæ
in ipsis Categoriis docuit, ad hanc autem non ita videtur necessa-
rium, ut exponantur Heteronyma. (2) quia intellectis homony-
mis etiam facile quivis, quid sint heteronyma, percipit: Si enim
quis

qui seūt homonyma esse, quæ commune habent nomen, diversam verò definitionem, is quoque statim intelligit heteronyma esse, quæ præterquam quod diversam definitionem habeant, etiam ipsò nomine differunt. (3) quia horum tractatio ad Grammaticos & Rhetores magis quam ad Logicos spectare videtur. Quarum priores duas rationes etiam Ammonius in Comm. ad lib. Categ. cap. 1. adducit: *De soli*, inquit, *equivocis ac univocis præceptionem* facit Aristoteles, quod solis *in predicamentorum explicazione* egeat - vel etiam quia perpetuus brevitatis amator est, per bac de ceteris quoque potestate docet. Et quidem cognitis iis manifesta & reliqua erunt, utpote opposita, est enim oppositorum eadem scientia. H. I. Nos tamen ea hic explicare voluimus; ut eò melius & facilius quis ea discernere nōrit, si quando de iis sermo incidat.

CAPUT II. DE SYNONYMIS seu UNIVOCIS. §. I.

Homonymorum definitionem excipit definitio Synonymorum, quæ ita describuntur: Συνώνυμα λέγεται, ἐν τῷ ὅρῳ κοινῷ, καὶ ἐν τῷ νόμῳ λόγῳ τῆς ἔστιας ἀντίος, Synonyma dicuntur, quorum & nomen commune est, & definitio juxta illud nomen eadem. Ubi 1. dicitur, Synonyma λέγεται, non εἰν, quoniam hic non definiuntur vocabula Synonyma, sed res, quæ dicuntur synonymæ vel univocæ: res autem in se & absolutè spectatae non sunt synonymæ, sed quatenus dicuntur, i. e. respectu certi alicuius nominis, quod appellantur. 2. dicitur λέγεται, in singulari, non λέγονται in plurali, non tantum de more Græcorum, sed & ut significetur, Synonyma licet multa sint, quoad nomen tamen, quod ipsis tribuitur, non multa, sed unum esse. 3. dicitur, quorum nomen commune est, scil. nomen formæ communis & generalis, quæ cum in diversis possit esse una eademque; inde etiam nomen ipsum exprimens hanc formam, iis est commune, V. g. homo, equus, canis, &c. habent commune nomen;

nempe

nempe animal: hoc enim communem formam exprimit, quae est anima sentiens, quam haec omnia participant. Nomen vero formæ specialis Synonyma non habent commune: ut enim haec est in illis diversa, ita quoque ipsum nomen, v. g. alia forma specialis est in equo, alia in cane, alia in leone, hinc & nomina diversa habent, ita ut equus non dicatur canis, sed equus, & canis non dicatur equus, sed canis, & sic consequenter. Quanquam interdum contingat, ut universalis ista natura planè sit ἀνάρυθμη & nomine caret, v. c. pandiculatio & oscitatio, itemque sternutatio, tussis & hujusmodi alia communi quidem natura gaudent, sed innominata. Vid. VII. Metaph. cap. VIII. 4. Dicitur, quod definitio essentiae eadem sit, nemirum essentiae non propria & specialis, sed communis illius, cuius nomen ante commune esse dictum est. Hinc enim s. additur in definitione, definitionem essentiae eandem esse non ἀπλῶς, sed καὶ τέτοια, secundum nomen istud commune, ut indicetur, non de quaunque definitione, etiam propria & specialis essentiae sermonem esse; sed de alia, nempe ejus essentiae, quam commune nomen significat, v. g. justitia & fortitudo sunt Synonyma: habent enim commune nomen, virtutis scilicet, & eandem quoque definitionem, illius scilicet communis nominis, eadem enim definitio virtutis & justitiae & fortitudini competit, cum utraque sit habitus in mediocritate consistens quoad nos relata, sicut eam vir prudens definierit. Alias enim propria & specialis naturæ definitio in iis diversa est: aliter namque justitia, aliter fortitudo in specie definiuntur.

§. II.

Sed observandum, quod quemadmodum variabant æquivoca, ita & synonyma non sint uniusmodi, verum alia (1) strictè & propriè sic dicta, que idem & nomen & definitionem juxta illud nomen eandem habent, si ut sint ὅπερ ὄνειρο τι, illud ipsum quoddam, quod nomine isto significatur. Talia synonyma sunt homo, canis, leo &c. quia his non tantum nomen animalis commune est, sed & definitio ejusdem, & quidem ita, ut unumquodque eorum sit ipsum illud quoddam: nemirum animal definitur substantia sensitiva à se ipsa mobilis, at & canis & leo & homo & reliquæ animalis species definitionem hanc participant, & quidem sic, ut singula sint ipsum

animal quoddam. In universum omnes species & omnia individua h. m. sunt synonyma, illæ respectu generis sui, hæc respectu speciei suæ. Conf. lib. 2. Top. c. 2. §. 1. Alia (2) latius sumpta, de quibus *Et nomen & definitio illius communis nominis essentialiter quidem dicitur, at non sic, ut illa sint ipsum illud quoddam, quod nomine isto significatur, sed ipsum tale quoddam.* Sic v. g. homo & gallus sunt Synonyma: quia hiis nomen bipedis & definitio quoq; hujus nominis competit essentialiter, non tamen ita, ut sint propriæ ὀπές ἡκέντι τι ipsum illud quoddam, sed ὀπές ἡκέντι τι ipsum tale quoddam, tale scil. animal quod bipes est, vel duos habet pedes. Et ita species omnes respectu differentiarum suarum synonyma nuncupantur. Hocque sensu differentias συνώνυμων vel univoco aut synonymicè prædicari de speciebus atque individuis ipse dicit Aristoteles lib. Categ. c. 5. §. 15. Alia (3) latissimè sumpta, quibus nomen & definitio quomodounque competit, licet non essentialiter, neque sic, ut sint ipsum quoddam, sed tale quoddam; Sic synonyma sunt Socrates, Plato, Alcibiades respectu capacitatis disciplinæ, risibilitatis & aliorum hujusmodi proprietatum; item mensa, sella, paries & similia alia subjecta respectu albedinis, quæ iis accidit, nomen tamen & definitionem iis communicat. Hoc partē subjecta omnium proprietatum atq; accidentium synonyma dicuntur. Unde & eō sensu Aristot. lib. I. Eth. c. 4. (al. 6.) albedinis eandem esse dicit definitionem in nive & cerussa, nimirum accidentaliter iis competenter.

§. III.

Ex quibus simul intelligitur, qualia definierit Aristoteles h. l. synonyma, & quomodo definitio ex ipso tradita sit intelligenda. Nimirum non definitiv synonyma in stricta significacione: quia, ut vidimus, etiam differentias συνώνυμων prædicari hoc ipso in libro cap. 5. §. 15. docet, traditamque hanc definitionem synonymorum iis applicat, quemadmodum obscurum esse nequit ex propriis ejus verbis quæ ita c. 1. sonant: *Inest autem substantiis & differentiis, omnia synonymicè ab eis dici ... itidemq; differentiarum definitionem recipiunt tam species quam individua: atqui synonyma erant quorum est nomen commune & definitio eadem.* At differentiae non prædicanter ita de speciebus atque individuis, ut hæc sint ipsum illud quoddam, sed tale quoddam, sive non in quid sed in quale quid de
iis

72

is prædicantur; igitur patet quod definitionem synonymorum non intelligat de synonymis strictè dictis, quoniam hæc in quid non in quale quid prædicantur. Sed nec intelligit eam de synonymis latissimè sumptis, quoniam eodem cap. 5. §. 3. & 4. eorum quæ de subjecto dicuntur, & nomen & definitionem subjecto attribui asserit, eorum autem quæ in subjecto sunt i. e. accendentium, definitionem subjecto, veluti definitionem albi corpori inesse negat his verbis: *Jam verò perficuum est ex dictis, eorum que de subjecto dicuntur necesse esse & nomen & definitionem attribui subjecto.* — Eorum verò quæ sunt in subjecto plenè sunt, quorum neq; nomen neq; definitio attribuitur subjecto; quorundam autem nomen nihil prohibet aliquando attribui subjecto, definitionem verò impossibile est. Ut album cum sit in subjecto, nempe in corpore, attribuitur subjecto, quia corpus album dicitur, definitio verò albi nunquam corpori attribuitur. Nimirum essentialiter: alias enim definitio albi, quæ nempe definitur *corpus colorum colore disaggregante visum*, ei omni competit accidentaliter, ut ipsum album ei inest accidentaliter, unde & lib. 1. Eth. c. 4. in nive & cerussa eandem definitionem albedinis esse dicit, ut §. præced. jam monuimus. Verba propria Arist. itidem hæc sunt: *Sin autem hæc quoq; sunt per se (bona) necesse erit definitionem in iis omnibus eandem declarari, ut in nive & cerussa albedinis.* Quocirca definivit synonyrna inlatiori significacione, & quando ea dicit eandem habere definitionem, intelligit eandem ipsis essentialiē esse vel essentialiter competere.

§. IV.

Est autem & hæc tum definitio tum distinctio rerum synonymarum vel univocarum, quæ univoca univocata, aliis participata appellantur, sed facile inde quoque definitio vocum synonymarum vel univocarum, quæ univoca univocantia itemque participantia appellantur, adornari potest. Nimirum (1) voces univocæ sive scilicet dictæ sunt, quæ ita nomen & definitionem juxta illud pluribus communiant, ut hæc sint *litteræ cūnōris*, h. e. propriæ illud ipsum quoddam. Hæc ratione genera & species tantum univoca sunt, quorum illa de speciebus, hæc de individuis ita prædicantur. (2) Latius univocæ voces dicuntur, quæ ita prædicantur de pluribus, ut definitio juxta illud nomen iis insit essentialiter, licet non sic, ut sint illud ipsum

quoddam, sed tale quoddam. Ita differentiæ de speciebus suis prædicantur, ut bipes de homine & gallo, quadrupes de equo, cane, leone, &c. Deniq; (3) latissimè dicuntur voces synonymæ, quæ ita prædicantur de pluribus, ut nomen & definitio juxta illud nomen iis quomodounque competat, etiam si non essentialiter neque in quid. Sic propria modò & accidentia sunt Synonyma, cùm & nomen & definitionem subjectis suis communicent.

§. V.

Synonymis opponuntur Polyonyma, quæ dicuntur, quorum una eademque est definitio, sed nomina diversa, v. g. gladius, ensis & machæra, hæc cum plura sint nomina, eandem tamen definitionem habent, unumquodque enim eorum nihil aliud est quam instrumentum aliquod, quod se quis adversus hostes tuerit. Dicuntur hæc πολυωνυμα, alias etiam Synonyma, at non Logica & huc spectantia, sed Grammatica, quæ ab his, quæ modò definitivimus, omnino differunt. Hæc enim sunt multa res habentes idem nomen & eandem definitionem, Grammatica verò Synonyma sunt multa nomina unam rem significantia. Nihil rursus de his Aristoteles in libro Categoriarum, easdem ob causas, ob quas in prædenti cap. heteronyma ipsum neglexisse diximus. Sed dicat quis: polyonyma annexanda fuissent homonymis, heteronyma verò synonymis, quemadmodum etiam expressè docet Ammonius Comment. in Cap. 1. Lib. Categor. *Reph.* Opponuntur quoque heteronyma synonymis, & polyonyma homonymis, neque id mirum est, quia uni eidemque rei pro diverso respectu diversa opponi possunt v. g. homini respectu habitu ad id, quod est animal pedestre, quod tantum per pedes se movet, opponuntur aves, quæ alii quoque, non tantum pedibus se movent, quæ tamen ipsi non opponuntur respectu habitu ad id, quod est animal bipes; at si spectetur ut animal bipes, ei opponuntur alia animalia, nempe quadrupedia, ut sunt canis, equus, &c. Pari ratione se res habet cum homonymis. In his duo occurunt (1.) nomen idem (2.) definitio diversa; pro diverso respectu ad hæc duo, diversa quoque homonymis opponuntur. Nimis si spectetur nomen, opponuntur iis heteronyma: cum enim in homonymis unum idemq; nomen sit, in heteronymis non est idem, sed diversum; ast si respiciamus definitio-

89

tionem & nomen simul, rursus homonymis opponuntur polyony-
ma, in his enim non tantum definitio non est diversa, sed & no-
men non est unum. Adeoq; jam perinde est, an polyonyma sy-
nonyms, an verò homonymis annexantur, quoniam & Synony-
mis opponuntur, quemadmodum paulò ante diximus. Interim ma-
luimus nos polyonyma jungere synonymis & heterónyma homony-
mis 1. quia heterónyma quandam convenientiam habent cum ho-
monymis, quoad definitionem nempe, quæ in utrisque diversa est,
at polyonyma licet opponantur synonymis, tamen itidem con-
veniunt cum iis quoad definitionem, quæ in utrisque eadem est. 2.
quia polyonyma etiam appellari sverunt Synonyma, nempe Gram-
matica, hinc ne quis polyonyma cum synonymis Logicis confun-
deret, conducibile putavimus præmittere explicationem Synonymo-
rum, & iis Polyonyma annexere.

CAPUT III. DE

VOCABULIS πρὸς ἐΝ ΚΑὶ ἀΦ' ἐΝΟΣ

Seu

DE COMMUNIBUS AD UNUM ET AB UNO.

§. I.

Diximus cap. primo, æquivoca alia esse casu, alia consilio
facta, consilio facta esse, quæ ob certam rationem pluribus
rebus sunt imposita, aliquot etiam rationes adduximus,
ob quas unum aliquod nomen sapè pluribus tribuatur.
Ex earum autem numero erant quoque illa, quæ à communi princi-
piō, à quo aliqua dependent, itemque à fine communi, ad quem
aliqua referuntur, desumitur, unde vocabula τεκτονικὴ ἀρχὴ
seu communia ad unum & ab uno originem trahere diximus, de qui-
bus ibidem quoque mentionem quidem injecimus, plene autem non
pertractavimus, quoniam non unius generis sunt vocabula hæc
τεκτονικὴ ἀρχὴ ἐνοτία, neque omnia ad homonyma, sed quædam eti-
am ad synonyma proximè accidunt, hinc melius esse duximus, si

prius homonyma & synonyma explicaremus, & tandem horum explicationi vocabulorum ὡς ἐν tractationem plenorem jungemus, ut eō distinctius natura eorum cognoscatur. Scil. vocabula ἀφ' ἑως vocantur, que non equaliter sed secundum magis atque minus de pluribus dicuntur, & de aliquo primario, à quo tanquam principio reliqua omnia dependent, & nomen illud trahunt. V.g. vox hæc, Medicum, dicitur & de arte Medica, & de homine medico, & de libro, & de scalpellō, & de diæta ac potionē Medica, verū ita; ut primariō ars dicatur Medica, reliqua autem, quotquot de nomine istō participant, à primo illo dependeant. Etenim homo dicitur Medicus, quia artem Medicam callet, Liber dicitur Medicus quia artis Medicæ præscripta continet, scalpellum dicitur Medicum, quia instrumentum artis Medicæ est, diæta dicitur Medica, quia est juxta præscriptum artis Medicæ, & denique potio Medica dicitur, quia ex præscriptō artis Medicæ est præparata. Vid. Lib. II. M. M. cap. XI. *Vocabula ὡς ἐν appellantur, que ita de pluribus dicuntur, ut ea ad unum aliquod seu finem, de quo primò dicuntur, referantur.* Tale vocabulum est sanum: dicitur enim & animal, & pharmacum, & urina & alia sana, ita tamen, ut ad unum aliquod seu finem referantur: animal nempe dicitur primò sanum, quia ipsam sanitatem in se habet, & ad hoc referatur atque propter illud sunt omnia reliqua, quæ dicuntur sana: Pharmacum enim dicitur sanum, quia potest operari sanitatem in animali, ad quam seu finem suum refertur: urina dicitur sana, quia indicativa est illius sanitatis, & ita porrò. Conf. Arist. Lib. IV. Metaph. cap. II.

§. 11.

Nonnulli hæc duo conjungunt & unum idemque faciunt, Ammonius vero (& cum eo ali) inter ea distingvit, ita inquiens: Differunt autem (vocabula scil. ad unum) ab illis que sunt ab uno, quod hoc dicuntur ab aliquo principio, illa ad quendam finem respiciant. Nos Ammonium ejusque affectas fecuti communia ὡς ἐν τῷ ἀφ' ἑως distincta fecimus & distinctè definitivimus. Nihilominus annotamus (i.) ipsum Aristotelem hæc duo sèpius promiscue usurpare: ita enim τὸ Μεδικόν vocat Commune ὡς ἐν lib. 7. Metaph. c. 4. ante fin. ex quo loco verba ipsa sequenti §. 3. allegabimus; hoc autem, si strictius & explicitè hactenus ratione velimus τὰ ὡς ἐν capere;

F 9

capere, non vocabulum τὸς ἐν fed ἀφ' ἐνεστὶ, unde & definitio-
nem τῶν ἀφ' ἐνεστὶ cōdem ceu exemplo illustravimus antē. Item
lib. 4. Metaph. c. 2, medicum & sanum ad τὰ τὸς ἐν refert (quo-
rum tamen prius ἀφ' ἐνεστὶ posterius autem τὸς ἐν est) ita inquiens:
Ens autem multipliciter quidem dicitur, ἀλλὰ τὸς ἐν τῷ μίαν
τινὲ φύσιν, verū ad unum unamque quandam naturam, non equi-
voce sed quemadmodum omne sanum ad sanitatem: quoddam eō
quod conservat, quoddam eō quod facit: quoddam eō quod signum sa-
nitatis: quoddam verò capax ejus; & medicinale ad medicinam: quod-
dam enim eō quod habet medicinam medicinale dicitur, quoddam
propterea quod naturā aptum ad eam sit: quoddam propterea quod
opus medicina sit: ita & ens multipliciter quidem dicitur ἀλλὰ πᾶν
τὸς μίαν δέχεται, sed totum ad unum principium. Ubi simul o-
mnia communia tam τὸς ἐν quām ἀφ' ἐνεστὶ spectatim dicta, appellat
ut nō nomine τὸς μίαν δέχεται. Describit quoque ea generatim
per τὴν τὸς τοὺς οὐρανούς, veluti 1. Eudem. c 8: ἐν ἔσοις ι-
πάρχει τὸ τούτους οὐρανούς, τὸν ἐσι τούτων τοῦ ταῦτα, In
quibus prius & postrius est, in iis non est commune quid præter ipsa.
Conf. lib. 1. de Gen. & Corrupt. c. 6, cuius verba seq. §. allegabun-
tur. Alibi tamen τὰ τὸς ἐν & τὰ ἀφ' ἐνεστὶ distinguit ab invi-
cē. Videlicet lib. 1. Eth. c. 4. (al. 6.) ubi ita scribit: Άλλ' πῶς
δὴ λέγεται; οὐδὲ τοῖς γε διπλοῖς τύχης ὁμοιώμοις; ἀλλὰ ἀφε-
γε τὰ ἀφ' ἐνεστὶ; ή τὸς ἐν ἀπαντά συνήσεται; ή μᾶλλον καὶ
έγκλησια, h. e. Sed quomodo dicuntur (bona)? Non enim similia
videntur homonymis casu fari. An quia ab uno sunt? An quia ad
unum omnia referuntur? An potius proportione? Atq; hinc sine du-
bio factum ut Ammonius & cum eo alii τὰ τὸς ἐν διπλοῖς τῶν ἀφ'
ἐνεστὶ quoq; distinxerint, quamvis si generalius voces hasce quis capere
velit, omnia exemplo Aristotelis utō appellare nomine possit. De-
inde (2) obseruamus & hoc, quod licet strictè & speciali in sensu τὰ
τὸς ἐν τῷ ἀφ' ἐνεστὶ capiantur, tamen quandoque coincident. Sic
enim v. g. Ens quatenus dicitur de Deo & creaturis, est vocabulum
τὸς ἐν, & simul quoq; vocabulum ἀφ' ἐνεστὶ: nam & omnes crea-
turae dicuntur entia, quia à Deo tanquam principio primo depen-
dant, & quia ad Deum tanquam finem ultimum tendunt: Deus
enim nti primum principium, ita ultimus quoque rerum omnium
finis existit.

§. III.

§. III.

Ex his autem innoteat, vocabula $\pi\alpha\tau\sigma\varsigma$ ἐν οὐ καὶ φ' ἐνός non esse simpliciter, sed quodammodo saltem aequivoca; absolutè enim & ἀπλῶς dicta aequivoca nihil prorsus præter solum nomen commune habent; ast hæc habent commune aliquod principium aut finem, aut naturam quandam, ad quam omnia significata, licet diversimodo, referuntur. Unde etiam Philosophus ea ab aequivocis ἀπλῶς sic dictis distinguit lib IV. Metaph. c. II. his verbis: *Enī autem multiplicitē quidem dicitur, ἀλλὰ πατέρες ἐν οὐ μίγνη τινὶ φύσιν ἔχοντες sed ad unum & ad unam quandam naturam, non aequivocē. Et Lib. VII. cap. IV: Nam, inquit, relitus est non aequivocē dicere neque eodem modo, sed quemadmodum medicinale cō quod πατέρες αὐτὸι οὐ ἐν ad idem quidem & ad unum non autem idem & unum & μὴ τοι ὅδε ὄμωνύμως, non tamen etiam aequivocē: nullum enim medicinale opus & ν.ο. dicitur aequivocē, εἰδὲ καθ' ἐν, ἀλλὰ πατέρες ἐν neque secundum unum, sed ad unum. Lib. I. de Gen. & Corrupt. cap. VI: Ferè igitur ut catena queque alia nomina λέγεται πολλαχῶς οὐ τὰ μὲν ὄμωνύμως, τὰ δὲ θάτερα πολὺ ἐτέρων οὐ τὰ πατέρεων, multiplicitē dicuntur, partim aequivocē, partim altera ab alteris prioribus, sic & cum tabitu res seſe habet.*

§. IV.

Patet quoq; simul ex his, quod vocabula illa neque sint Synonyma accuratè & strictè sic dicta. Nam (1) talia communem quandam naturam habent, quam æqualiter participant; at vocabula φ' ἐνός & πατέρες ἐν, quæ etiam genera πατέρες ἐν appellari solent, talem naturam non habent, sed immediatè in sua significata descendunt, quorum unum altero prius est. Ratio est, quia in vocabulis πατέρες ἐν οὐ καὶ φ' ἐνός unum aliquod primum est; jam autem si daretur una aliqua communis natura supra omnēs species posita, tum utique hæc natura esset primò illo prior, atque sic primò daretur prius, quod est absurdum. Dein (2.) in synonymis strictè sic dictis unum non ponit neque tollit alterum, sive ea sint genera sive species, quoniam & genus de omnibus speciebus, & species de omnibus individuis æquè primò dicuntur, & omnes species æquè primò genus participant, & individua æquè speciei subsunt: unde & lib. Categ. cap. 13. §. 3. generis species dicuntur naturā simul esse: quia nempe æquè

æquè primò genus participant. V.g. animal æquè primò dicitur de homine, cane, leone, neque positò leone ponitur homo, vel contrà, vel etiam sublatò leone tollitur homo, vel contrà, sed & homo sine leone, & leo sine homine existere possunt. Homo item dicitur æquè primò de Aristotele, Platone, Alcibiade &c. neque unò positò ponitur & alter, aut unò sublatò tollitur alter, sed Aristoteles sine Platone & contrà, itemque Alcibiades sine Aristotele vel contrà existere possunt. Contrà in vocabulis τοιούτων εἰναι οὐδέ unum ponit & tollit alterum: non enim æquè primò, sed secundum magis atque minus de suis significatis dicuntur, & ita ut secundum pendeat à primo, tertium à secundo & sic consequenter posterius à priori, adeò ut posterius absque priori existere non possit, sed pereunte priori, pereat & posterius. Sic numerus dicitur secundum prius & posterius de binario, ternario, quaternario &c. ita ut alter ab altero dependeat: nam ex binario pendent ternarius, ex ternario quaternarius &c, indeque positò ternariò ponitur etiam binarius tanquam prior, & positò quaternariò ponitur etiam ternarius tanquam prior, & sublatò binariò tollitur ternarius, sublatò ternariò tollitur & quaternarius. Item figura secundum dependentiam & secundum prius ac posterius dicitur de triangulo, quadrangulo, &c. positò enim quadrangulo necessariò ponitur & triangulum, & sublatò triangulo neque amplius existere potest quadrangulum. Sic quoque Ens de substantia & accidenti dicitur secundum prius & posterius, indeque positis accidentibus ponuntur quoque substantiae, & substantiis sublati tolluntur etiam accidentia: rursus vero & inter substantias ordo est, atque altera prior, altera posterior existit, altera alteram ponit atque tollit: Deus est prima substantia, & hanc sublatam nulla existeret substantia, reliquis autem substantiis positis ponitur & Deus, à quo omnes aliae dependent.

Conf. Ammonius Comm. in Porphyri. Isagor. cap. II.

§. V.

Utut verò vocabula haec τοιούτων εἰναι neque synonyma, neque æquivoca strictè sic dicta sint, nihilominus tamen notandum, quod quædam eorum propriùs accedant ad naturam synomorum, quædam propriùs ad naturam homonymorum, quædam prorsus tanquam media inter hæc interjecta sint: non secus atque colores qui-

C

dam

dam viciniores sunt albedini, quidam viciniores nigredini, quidam in medio horum positi, tam de uno quam de altero participantes. Ad naturam synonymorum proprius accedunt illa vocabula $\omega\epsilon\sigma\varsigma$ εν η η αφ' ενος, quae de omnibus speciebus secundum eandem naturam dicuntur, ita tamen ut in iis ordo sit, & altera alteram presupponat ac priorem agnoscat. Tale vocabulum est anima, quae dicitur de vegetativa, sensitiva & rationali, ita ut omnes eandem naturam participant & sint actus primus corporis naturalis organici, ordo tamen in iis datur, sic ut altera alteram priorem agnoscat & includat, v. g. sensitiva vegetativam, & rationalis vegetativam ac sentientem. Huc pertinet & motus lib. III. Phys. c. I. Figura item & numerus, vid. Euclid. lib. I. & VII. Elem. Ad NATURAM autem Εquivo-
rum proprius accedunt, quorum solum significatum primum forma-
liter & absolutè est tale, reliqua verò dicuntur talia externā tantum
denominatione & certà quādam relatione ad illud primum. Utī ME-
DICUM, ENS & SANUM, que exempla jam §. I. adduximus. ME-
DIE NATURÆ sunt, in quibus primarium illud eximiè & omnibus nu-
meris est tale, ceteri verò quidem etiam talia sunt, attamen debilius
& imperfectius. Sic natura & de sublunaribus & de corpore coelesti
dicitur, de illis tamen primariò, quoniam in iis natura clarissimè
conspicitur, cùm omni generi motū subjiciantur; de hoc autem se-
cundariò tantum, quia præter motum localem nullum habet, e umq;
non ratione totius, sed tantum ratione partium. Ita quoq; demon-
stratio & de demonstratione το^τ διότι & το^τ ὅτι dicitur; at illa hāc
est perfectior.

§. VI.

Quemadmodum autē dicta ratione communia $\omega\epsilon\sigma\varsigma$ εν Κ αφ'
το^τσι inter se differunt: ita quoq; diversā prorsū in iisdem pertractan-
dis proceditur ratione. Illa quae proximè ad synonyma accedunt,
quia unam naturam communem obtinent, hinc generalem quoq; ad-
mittunt definitionem, & in genere definitiuntur, ut patet exemplo ani-
mæ, figuræ, numeri &c. Illa verò quae proximè ad Εquivoca ace-
dunt, in genere definiti nequeunt, sed dupli ratione ipsorum indo-
les & natura exponit, per primariæ nempe speciei definitionem, &
per enumerationem omnium specierum, quemadmodum ita Philoso-
phia naturam in Cursu nostro Philosophico, tum in procēmio generali
Dialectices concisiū, tum prolixius in procēmio Metaphysices expli-
cavi.

caevimus, itemq; proprium in Disputatione peculiari de eodem, & Arist. civem lib. 3. Polit. c. 1. seq. Illa tandem que MEDIE sunt NATURÆ, distinctis definitionibus explicantur, uti fecit Arist. lib. Categ. c. 5. substantia tam primæ, quam secundæ definitionem tradendo, vel etiam primariâ in significacione definiuntur, uti fecit Arist. in Physicis naturam lib. 2. Phys. 1. & in Analyticis demonstratio-
nem 1. Post. 2. definiendo. Et ita porrò.

§. VII.

Scholastici communia hæc ab uno & ad unum eum Analogis confundunt, seu iis, quæ æquivocè dicuntur *κατ' ἀναλογίαν*, de quibus cap. I. dictum est, & distingunt in analoga proportionis, attributionis, & inæqualitatis. Analogæ PROPORTIONIS vocant, cum idem nomen est & ratio eadem, sed secundum proportionem seu similitudinem quandam. Ut riūs hominibus & pratis tribuitur per analogiam proportionis. Analogæ ATTRIBUTIONIS vocant ea, quærum quidem idem est nomen, & eadem quoq; ratio quoad primum, sed diversa quoad habitudines ad illud, ut animal, medicamentum, & pulsus sana dicuntur. Analogæ INAEQUALITATIS appellant, quorum nomen & definitio secundum illud nomen eadem est, sed inæqualiter tamen perfecta est in suis inferioribus. Verum 1. quod analogæ PROPORTIONIS attinet, nugantur, quia quod Græcis est *ἀναλογία*, id Latinis est Proportio: dicere itaque analogum proportionis idem est atque dicere analogum analogi, vel proportionem proportionis; hoc autem annon est nugari? Quanquam & in eo peccent, quod analogæ dicant secundum proportionem seu similitudinem eandem habere rationem, proportio enim & similitudo sunt distincta, quemadmodum in cap. I. jam ostendimus. Deinde 2. quod analogæ ATTRIBUTIONIS concernit, videt quisque, eos per hæc nihil aliud intelligere quam vocabula communia *τεχνές* ἐν *νόη* *αριθμοῖς*; at verò hæc inepit vocantur analogæ, analogia enim consistit in quatuor terminis, ita ut dicere possim, quemadmodum hoc se habet ad hoc, ita se habet illud ad illud, vid. lib. V. Metaph. cap. VI. lib. II. Post. cap. XVI. at verò communia *τεχνές* ἐν talem comparationem non requirunt, sed *χέστια* saltem & relationem ad commune aliquod principium vel communem finem; unde & communem quodammodo (non verò simpliciter talem, qualis est in

synonymis) naturam habent, & propterè in una quoque disciplinā tractantur, id quod non potest dici de analogis: cùm multa per analogiam dicantur, quæ tamen ad eandem scientiam non spectant: Sic inter unitatem & punctum intercedit analogia, neutiquam tamen ad eandem spectant scientiam, sed illa ad Arithmeticam, hoc ad Geometriam. Item analogia intercedit inter Regem & Solem, de illo tamen in Politica, de hoc agitur in Physica. Et ita porrò. Quanquam per accidens etiam fieri possit, ut de analogis in eadem tractetur Scientia, de quo conf. Cursus noster Philos. p. 49 s. Denique 3. quod analogia INEQUALITATIS attinet, illa ab univocis prorsus non differunt, nam omnia genera & species hāc ratione sunt analogā, quia v. g. aliud animal alterō est perfectius, & unus homo altero est præstantior; ast quis unquam Synonyma appellavit analogā? Erronea itaque & inutilis est hāc Scholasticorum doctrina, unde meritò rejicitur, & Aristotelis doctrina retinetur.

CAPUT IV. DE PARONYMIS.

S. I.

Tertia & ultima definitionum anteprædicamentalium est Paronymorum, que ita dicuntur, quasi *ωδη ὀνόματα* seu ab alio nomine denominata vel derivata, unde etiam derivativa appellantur. Definit ea h. m. Philosophus: *παρονύμια λέγεται, ὅτα διπό τίνος οἰκεῖοντα τὴν πλάσιον τὸν κατανοούσιαν ἔχει*, Paronyma seu denominativa dicuntur, quecumq; ab aliquo, ita ut casu different, nominis appellationem habent. Dicuntur paronyma I. appellationem habere *διπό τίν*, i. e. ab aliquo, scil. nomine abstractō vel primigeniō, ut à justitia & fortitudine, quæ sunt nomina abstracta, & instar formarum se habent, alia appellantur atque appellationem habent, ab illa quidem justus, ab hac verò fortis. Dein II. dicuntur paronyma ab iis nominibus, à quibus denominantur, *πήρων* seu casu, i. e. terminatione seu extrema syllabæ dissimilitudine differre: ita enim hic vocabulum casus sumitur: non ut Grammatici cō utuntur pro flexione & inclinatōne

one nominis, v. g. *justus à justitia*, unde denominatur *justus*, differt terminazione ultimæ syllabæ, itemq; *bonus à bonitate*, *callidus à calliditate*. Deniq; III. dicuntur paronyma secundum illud nomen appellationem habere, sive habere denominationem ab isto nomine abstracto, & nihil aliud de subjecto significare, quām inesse ei illud, quod nomine abstracto seu primigenio denotatur. Sic ligneum denominationem habet à ligno, & lignum statuē vel mensa, vel alii subjecto, de quo dicitur, inesse significat.

§. II.

Atque in hoc quidem natura paronymorum consistit, quæ ut eò facilius queat intelligi, solent distingvere inter DENOMINANS, DENOMINATUM & DENOMINATIVUM. Denominans dicitur forma ista vel qualitas sive abstractum illud, à quo aliquid denominatur, v. g. fortitudo, à qua aliquis denominatur fortis, albedo à qua dicitur aliquid album. Denominatum est ipsum subjectum quod denominatur. V. g. Socrates, paries. Denominativum est, quod utrumque comprehendit, nempe & formam denominantem & subjectum, v. g. albus & ipsam formam, albedinem nempe, & subjectum, in quo forma ista esse dicitur, connotat. Innotescit verò quoque ex his, recte ab Ammonio & aliis Comm. in h. l. quatuor præprimis conditions ad id requiri, ut aliqua sint paronyma *κοινωνίαν περιγραφά* seu communionem rei, ita ut denominatum vel subjectum parti ipet de forma denominante. Sic enim homo justus dici non potest, nisi participet de justitia, nec paries albus, nisi participet de albedine. 2. *Διαφορὰν περιγραφά* differentiam rei, quæ consistit in modo diverso essendi vel significandi: forma enim denominans, color v. g. simpliciter nudam aliquam rem denotat; denominativum autem v. g. coloratum, rem in subjecto aliquo significat. 3. *Κοινωνίαν ἐρώματά* communionem nominis, ut forma denominans & denominativum habeant quodammodo idem nomen, v. g. *justitia* & *justus* fermè iisdem constant literis, idemque sunt nomen. 4. *Διαφορὰν ἐρώματά*, differentiam nominis, ut scil. finali terminatione differant, quemadmodum anteā dictum est.

Sed & simul judicare hinc facile quivis potest de divisione illa paronymorum, quā Scholastici ea dividunt, (1) in paronyma.

voce tantum, (2) in paronyma significatione tantum, & (3) in paronyma voce & significatione simul. Voce tantum dicuntur, quæ cum denominante convenient in principiō, in fine verò vocis differunt, at rei cognitionem non habent. Ut vinosus & vinum, somnolentus & somnus, quorum illa significant vitia cum suis subjectis, quæ tamen abstracta non significant. Re seu significatione tantum vocant, quæ significatione quidem convenient cum denominante, nominibus autem differunt, ut si quis dicatur à virtute probus. Voce & significatione simili appellant, quæ & re significata & nominibus convenient, modò autem significandi & terminazione vocis differunt, ut pius à pietate, albus ab albedine &c. Nam ultima ex his tantum verè & propriè sunt paronyma, quæ definiuit Aristoteles, reliqua verò revera paronyma non sunt, cùm definitionem eorum non recipient, nisi forte æquivocè ita dicantur.

§. IV.

Minus autem veritati consonat, quod vulgo dicuat, prædicatio nem paronymicam & accidentalē esse eandem. Initio namque falsum est, à solō accidente paronymicē aliquid dici, quia & ab aliis paronymicā prædicatio exsurgit. Nempe 1. etiam à materiā parte essentiali suā Compositum dicitur παρωνύμως, ut arca à ligno lignea, à lapide lapidea, ab ære ænea, vid. VII. Metaph. c. IV., at minimè accidentaliter. Etsi enim esse ligneum, æneum &c. accidentalē sit areæ, poculo &c. est tamen ἔστιδες, si referatur ad arcam hanc, hoc poculum ex ligno, are &c. confectum. 2. à forma, ut animal ab anima dicitur παρωνύμως animatum, homo à ratione rationalis. 3. à parte integrante, ut avis ab ala alata, à penna pennata, homo à capite capitatus, à dentibus dentatus. 4. à differentiā. Ita ignis à calore calidus dicitur παρωνύμως, neque enim απλῶς ipse calor aut ipsum quoddam calidum est, sed ipsa quædam substantia mobilis, tali qualitate, calore, prædicta: item binarius à paritate par dicitur παρωνύμως; at differentia non prædicantur accidentaliter sed essentialiter; sanguis quoque hac ratione dicitur calidus à calore, & quidem ἔστιδες: Si enim sanguis calore sit destitutus, non est sanguis, nisi homonymicē, & cum additò sanguis effusus vel congelatus, vel aliò modò, quemadmodum manus abscissa propriè manus non est. Deinde neque omnis acci-

denta-

dentalis prædicatio est paronymica. Sic lupus dicitur famelicus, Petrus jejunus, abstemius &c. hæc quidem accidentaliter, at non paronymicè prædicantur. Ad id enim, ut paronymicè prædicetur quidpiam, requiritur nomen, unde deducatur paronymum, & quidem in eodem sensu; at unde hæc, famelicus, jejunus, &c. deduces? Forte dices famelicum à fame, jejunum à jejunio deduci; at minus rectè. Nam famelicus notat vitium naturale in lupo, secundum quod vorax valde est, fames autem tale quid non significat, sed potius constitutionem ventriculi illam, quâ appetit cibum simpliciter, jejunium verò significat abstinentiam voluntariam à cibô & potu, at jejunus minimè abstinentem à cibo notat, sed eum, qui post concoctum cibum priorem, aliud nondum assumpsit. Igitur hæc paronyma dici non possunt, quia cum abstractis allegatis re & significatione non convenient, quod tamen paronymorum est requisitum. Neque etiam est ut dicas, habere quidem talia paronyma nomen aliquod abstractum, sed id esse *αἰνόμενον*: nam eam ipsam ob causam, quid sit *αἰνόμενον*, exspirat paronymia, debet enim esse nominatum & usitatum, quia paronyma sunt, quæ *τύποι τύπος* ab aliquo appellationem habent, ut modò definita sunt. Et hinc quoque Author Lib. Categ. cap. VIII. §. 20. *Quædam*, inquit, *quia non sunt posita nomina qualitatibus, non possunt ab eis παρωνύμως λέγεσθαι denominari.* *Excipit*: Potest tale nomen fungi, ut Paronymia procedat. Verum hoc nihil est. Nam 1. si demum fungi debet, quomodo ab eo *τύποι τύπος* jam aliquid paronymicè erit deducendum, hoc autem in definitione paronymorum requiritur. Deinde 2. verum quidem est, quid aliquando necessarium sit *τύποτοποιὲν*, si non positum sit nomen, uti est lib. Categ. cap. VII. & XI.; at id solum Doctori Analytico competit, qui *περιγραφῆς* de rebus differit, non autem Dialetico, qui *λογικᾶς* populariter & ad captum vulgi discurrit, hic maximè cavere sibi debet à nominibus inusitatis. Inde namque Philosophus non semel in Dialeticiss *Appellare nos res oportet nominibus iis, quibus vulgus appellat lib.* II. Top. c. II. & VI. Top. c. II. Et inter vitia Problematum Dialeticorum recenset, *si à communi consuetudine loquendi discedamus*, lib. II. c. I.

§. V.

Sed verò quemadmodum negamus ad prædicationem paronymicam

micam reqviri, ut sit accidentalis: ita vicissim afferimus, reqviri semper ad eam, ut subjectum, de quo aliquid παρωνύμως dicitur, non sit illud ipsum, quod dicitur, sed solummodo tale quid. Sic justum παρωνύμως dicitur de Socrate, at non ita, ut sit ὅπερ ἔκεινό τι, ipsum istud quoddam, sed ὅπερ ἔκεινό τι, ipsum tale quoddam, nempe homo justitiā instrūctus. Hinc coloratum de albo non dicitur paronymicē, licet coloratum sit deductum ab abstracto, colore, quia non dicitur de albo ut ἔκεινό τι, sed ut ὅπερ ἔκεινό τι, album enim cùm sit species colorati, est ipsum quoddam coloratum: genus namque nullum de speciebus suis dicitur paronymicē, sed synonymicē, ut disertè docet Aristoteles lib. II. Top. cap. II. §. I. Qvodsi autem per album intelligatur non ipsum album in se, sed subjectum aliquod dealbatum, ut paries albus, tum coloratum concedimus paronymicē dici de albō; verū sic non est genus, neque dicitur de albo, ut album sit ipsum quoddam coloratum, sed tale quoddam, nempe tali qualitate, tali colore imbutum.

CAPUT V. DE DUABUS DIVISIONIBUS ANTE- PRÆDICAMENTALIBUS.

§. I.

Prior divisionum Anteprædicamentalium est τῶν λεγομένων, eorum quæ dicuntur, sive nominum & vocabulorum, quæ prædicantur. Τὰ λεγόμενα itaque, seu ea, quæ dicuntur, vel sine complexione seu compositione, ἀνεν συμπλοκής dicuntur, qualia sunt simplices voces seu termini rem simplicem sine affirmatione & negatione exprimentes, v. c. homo, bos, currit &c. vel dicuntur καὶ συμπλοκὴν cum complexione seu compositione, quæ conjunctum quid declarant, & orationem vel affirmativam vel negativam efficiunt. Ut homo currit, homo non est immortalis.

§. II.

Hic enormiter hallucinantur nonnulli Neotericorum, qui ex hac τῶν λεγομένων distinctione distinctionem termini in simplicem & com-

& complexum fabricantur, contra mentem Aristotelis. Nam (1) ille nullum terminum complexum agnoscit: omnis enim terminus proprie loquendo est simplex; sed complexa illi sunt integræ orationes pluribus terminis constantes, ut ex exemplis, quæ adducit, patet: hæc enim sunt, homo currit, homo vincit, quæ integræ sunt orationes. Deinde (2) simplices termini per se accepti nec affirmant nec negant, sed si combinentur, fit quidem affirmatio vel negatio, eaque vera vel falsa, at tūm amplius non termini sunt, sed integræ orationes.

§. III.

Alii divisionem hanc illustratur tres modos faciunt eorum, quæ τὴν συμπλοκὴν dicuntur. Aut enim, inquit, voce tantum sit combinatio, non significatione, ut corpus animatum, Claudius Alberius Triuncurus. Aut sola significatione, non voce, ut in homonymis. Aut denique voce & significatione simul, ut homo currit. Verum frustrā hos modos confingunt. Nam (1) primus modus non potest censeri inter τὰ τὴν συμπλοκὴν λεγόμενα, quia, utr quoad materiale plures voces sint, quoad formale tamen seu significationem una tantum vox simplex est, cum unam rem significent illæ voces omnes; at Logicus non considerat voces simpliciter, sed prout rerum significativa sunt, unde voces plures unam rem significantes pro una habet, vel potius ea, qua pluribus hujusmodi vocibus exprimuntur, ἀνεν συμπλοκῆς dici asserit. Deinde (2) nec secundus modus in censum τῶν τὴν συμπλοκὴν λεγομένων venire potest, licet enim significatio in iis sit diversa, tamen propterea ipsa illa vox, quæ res plures denotat, non constituit integrā orationem, ut faciunt τὰ τὴν συμπλοκὴν λεγόμενα. Unde tertius modus solum hīc locum habet, & divisio illa prorsus est supervacanea.

§. IV.

Altera divisio est τῶν ὕντων seu rerum. Has ut distingvat Aristoteles, duplēm differendi modum sumit à duplēi τρόπῳ, quorum alter est τῆς κατηγορίας seu prædicationis, alter τῆς ὑπάρξεως seu existentiæ vel inhalationis: ille consistit ēν τῷ λέγεσθαι καθ' ἔνδεισ, in eo, ut aliquid dicatur de subjecto; hic verò ēν τῷ εἶναι ēν ταῦται, in eo, ut aliquid sit in subjecto. Hæc ut re-

etius intelligantur, duplex esse subjectum aliqui annotant. Aliud nimirum τῆς κατηγορίας, seu prædicationis, quod Logicum aliás vocatur, & omne id est, quod in propositione aliquā subjicitur, sive substantia sit sive accidentis. Ut in hisce: Melampus est canis, nigredo est color; subjecta prædicationis sunt Melampus, & nigredo, quorum ille substantia est, hæc accidentis. Aliud verò οὐδέποτε seu inhaesionis, quod & Physicum dici solet, & semper substantia est. Sic paries est subjectum albedinis, homo eruditiois. Dehinc quid sit dici de subjecto, quid item esse in subjecto, declarant. Videlicet esse in subjecto nihil aliud dicunt, quām esse in subjecto inhaesionis, ita ut non sit pars ejus, nec tamen sine eo existere possit, quemadmodum ipse definiat sic Aristoteles lib. Categ. cap. II. §. 2; dici verò de subjecto appellant, essentialiter de subjecto prædicatiois affirmari, sic ut & nomen & definitio prædicati subjecto conveniat; quemadmodum rursus Aristoteles exponat Lib. Categ. cap. VI.

§. 3.

§. V.

Verū ex his nondum exactè divisionem istam percipi posse arbitramur. Hinc notari insuper volumus, quod duplex existat subjectum, aliud ὕπερον seu proprium, aliud verò ἄλλο seu alienum. Subjectum ὕπερον vicissim duplex est: vel enim illud dicitur subjectum ὕπερον, quod pertinet ad essentiam rei, quæ ipsi inesse dicitur; vel illud, ad cuius essentiam res ipsa, quæ ei inesse dicitur, pertinet. Subjectum ἄλλο itidem duplice rationem obtinet. Vel enim illud dicitur subjectum ἄλλο, quod ad essentiam istius rei, quæ ipsi inesse dicitur, non pertinet, vel cuius essentiam & definitionem non ingreditur id, cuius dicitur subjectum, quemadmodum fusiū hæc diduximus jam in Contrad. Arist. §. XXII. Jam quando Aristoteles entia secundum dici de subjecto, & secundum esse in subjecto dividit, tum dici de subjecto restringit ad subjectum proprium & quidem posterioris significationis, esse autem in subjecto restringit ad subjectum ἄλλο in posteriori significatione, quemadmodum vicissim id in citato loco jam exposuimus. His itaque breviter hic præmonitis sic divisionem intelligimus: Eorum quæ sunt, quædam de subjecto (ὕπερον) dicuntur, nulli autem subjecto (ἄλλον) insunt. Sic homo dicitur de Socrate tanquam subjecto proprio, in nullo autem alio subjecto existit. Quædam autem in subjecto (ἄλλον) sunt, de subje-

subjecto tamen nullo (ενεῷ) dicuntur. Veluti hæc albedo huic inest parieti; at de eo tanquam subjecto proprio non dicitur: non enim synonymous de eo prædicatur. *Quedam & in subjecto (ἀλλα)* sunt & de subjecto (ενεῷ) dicuntur. Ut scientia est in subjecto alio, animâ nempe hominis; at & de subjecto quodam proprio dicitur, nempe de Grammatica. Denique *quedam nec in subjecto (ἀλλα)* sunt, nec de subjecto (ενεῷ) dicuntur, ut substantiae singulares, hic homo, hic leo &c. Ex quibus patet, divisione hâc nihil aliud significari, quam entium alia esse substantias, alia accidentia, & utrorumque alia rursus universalia, alia singularia.

CAPUT VI. DE TRIBUS REGULIS ANTE- PRÆDICAMENTALIBUS,

§. I.

Ultimum hujus primæ partis Libri Categoriarum membrum, tres constituant Regulae. Harum prima est: *Quando alterum de altero prædicatur tanquam de subjecto, tunc omnia, que de illo prædicato dicuntur, etiam de subjecto dicuntur.* Hic per subjectum intelligitur subjectum *κατηγορίας*, & quidem proprium, quod in divisione posteriori cap. præced. intelligi diximus, unde statim liquet, quid sit prædicari de aliquo tanquam subjecto, nempe prædicari *εστιόδος* vel essentialiter, quemadmodum etiam in præced. capite τι dici de subjecto definiebatur. Proinde sensus regulae hic est: Quando alterum de altero tanquam subjecto prædicatur, i. e. essentialiter, tum quicquid de prædicato essentialiter prædicatur, etiam de subjecto prædicatur. V. gr. de Corisco essentialiter dicitur, quod sit homo, de homine rursus essentialiter, quod sit animal, hinc & de Corisco dicitur, quod sit animal. Et hoc sensu universaliter vera est regula. Quodsi vero de prædicato aliqua dicantur non essentialiter sed accidentaliter & *χειρῶς* vel respectivè, prout ad aliud referuntur, aut *τεχνικῶς*, prout in arte considerantur, vel etiam impropriè & figuratè, tum regula,

non procedit." Sic non licet colligere: Coriscus est homo, homo est species, Ergo Coriscus quoque est species. Nam homini non essentialiter, sed *χειρῶς* & in respectu ad individua inest, quod sit species. Ita quoq; non licet colligere: Herodes est vulpes, vulpes est quadrupes, Ergo Herodes est quadrupes. Nec sic: Coridon est homo, homo est bisyllabum, Ergo Coridon est bisyllabum. Nam Herodes figuratè dicitur vulpes, & homo per accidens est bisyllabum, quatenus nempe *τεχνηῶς* ut vox aliqua à Grammaticis consideratur. Neq; est, ut dicas, Regulam neq; sic limitatam in omnibus procedere: Nam v. gr. de homine essentialiter dicitur animal, de animali rursus essentialiter dici volatile: esse enim differentias animalis, differentias autem essentialiter prædicari. Non est, inquam, ut ita excipias. Nam differentiae quidem constitutiva generis aut speciei essentiales illis sunt, deque iis essentialiter prædicantur, ast non divisiva differentiae, qualis est quoque volatile respectu animalis, haec enim accidentia sunt, neque essentialiter prædicantur de genere, quod dividitur, aut de specie, quæ in alias species tanquam genus subalternum subdividitur: positò enim v. gr. nullum animal esse volatile, adhuc posset subsistere natura animalis in aliis, positò quoque nullam avem esse solivagam, posset tamen natura avis in aliis speciebus subsistere.

§. II.

Regula secunda hæc est: *Diversorum & non subalternorum generum diversæ sunt specie differentie.* Hic in antecessum notandum est, genera diversa triplicis esse generis. Nam 1. quædam neque sibi invicem sunt subalternata, neque etiam sub uno aliquo tertio continentur, talia sunt, quæ in diversis existant prædicamentis, v. gr. animal & scientia. Dein 2. quædam sunt 'vba alterna, i. e. alterum sub altero continetur, v. gr. animal & avis. 3. Quædam non sunt quidem sibi invicem subalternata, sed tamen utraque sub unō quodam tertio continentur, v. gr. avis & pisces, itemque animal & planta, quorum illa sub animali, haec sub substantia continentur. Jam primi generis diversa genera tantum in hac regula intelliguntur, ita ut hic sit sensus: Eorum, quæ in diversis sunt prædicamentis, specie diversæ sunt differentiae, v. c. animal & scientia sunt diversa genera non subalterna, & propterea quoque

quoque specie diversas differentias habent tam constitutivās, quam divisivās; animalis enim differentiæ constitutivæ sunt, esse à se ipso mobile, sentire, appetere &c. item divisivæ, terrestre, aquatile, *αὐτοφαγεῖον* lib. I. Hist. Anim. c. I. Scientiæ verò differentiæ constitutivæ sunt, esse ex veris, primis &c. I. Post. II. divisivæ autem, esse speculativam, activam & effectivam VI. Top. VI. §. 23. Lib. XI. (al. IX.) Metaph. c. VII. Lib. VIII. Top. c. I. §. 25. Significanter autem dicitur, differentias τῷ ἔδῃ specie diversas, h. e. λόγῳ seu definitione diversas esse; hanc enim significationem aliquando obtinere vocem ἔδῃ apud Philosophum, patet ex I. Phys. VII. t. 66, ubi subjectum in generatione sive materiam, & privationem dicit numerō idem esse, specie autem differre; quod autem hic specie differre dicit, postea λόγῳ, i. e. definitione differre ait. Et ante t. 6. expresse dicit: Licet numerō unum sit, tamen formā τῷ ἔδῃ non est unum, nam formā (τῷ ἔδῃ) & definitione unum pro eodem accipio. Alioqui & diversorum generum aliquo modō eadem possunt esse differentiæ. V. gr. animalis & vasis eadem sunt differentiæ, nempe habens pedes & απέσ: nam uti animal, sic & vas aliud habet pedes, ut lectus, mensa, tripus, aliud non habet, veluti cantharus, patina &c. Verum pes animalis & mensa non sunt idem specie seu definitione, sed ὄμωσίας & κατηγορίας vel τῷ ἀναλογίᾳ, quā de re vid. V. Metaphys. cap. XV. Unde & ha differentiæ specie eadem non sunt, & manet verum, quod regula dicit, nimirum diversorum generum non subalternorum diversas esse specie differentias.

§. III.

Alii sic legunt: Generum diversorum & non subalternorum diversæ σὺν τῷ ἔδῃ cum specie sunt differentiæ, ita ut hic sit sensus: Diversorum generum & non subalternorum una cum specie diversæ sunt differentiæ, vel diversorum generum diversæ sunt species & differentiæ, unde & aliqui græcè legunt τὰ ἔδῃ, ut Toleatus testatur in h. I. Verum 1. in antiquissimis codicibus præpositio σὺν non reperitur, neque etiam ista verba τὰ ἔδῃ, sed ab omnibus interpretibus Græcis in Ablativo regula explicatur, quemadmodum & nos fecimus. Dein 2. si præpositio σὺν addatur, duplicum sensum verba illa habere possunt. Vel enim ita intelligi

D 3

possunt:

possunt: Diversorum generum diversæ sunt differentiæ et constitutientes simul speciem diversam; vel ita: diversorum generum diversæ sunt & species & differentiæ, qualescumque nimirum. Priori modo si intelligentur, loquitur regula tantum de differentiis divisivis, quia haec sola cum genere constituant species diversas, constitutivæ non item. Nam v. gr. constitutivæ differentiæ habitus sunt promptum reddere subjectum, & difficulter amitti; at haec cum genere, quod est dispositio, non faciunt diversas species habitus, sed unicuique habitui insunt; at verò Regula haec non tantum de divisivis, sed & de constitutivis vera est, uti ex §. præced. patet; quid opus igitur est eandem coarctare? Quid si verò posteriori modo intelligentur verba illa, tum regula quidem & constitutivas & divisivas complectitur differentias, verum diversum sensum verba illa non faciunt ab eo, qui à nobis præced. §. est traditus. Nam qui dicit, diversorum generum diversas esse specie seu definitione differentias, ille non negat, etiam diversas earum esse species, quia differentiæ, nimirum divisivæ cum genere constituant diversas species. Vid. Arist. lib. VI. Top. cap. VI. §. 4. sed non est opus addere species, quia manifestum est, diversorum generum diversas esse species, cum omne genus respectum involvat ad speciem, adeoque diversum genus diversas species respiciat; at de differentiis id adeo manifestum non est, quia omnis differentia specie suâ est latior, & de pluribus dicitur quam species VI. Top. V. §. 15. adeoque putare quis posset diversorum generum easdem esse differentias. Ut igitur nobis constaret, quid super hanc re sentire debeamus, duas regulas tradidit Aristoteles, quarum prima est, quam modo explicavimus.

§. IV.

Nondum omnes exhaustimus difficultates. Utut enim hactenus constet, genuinam verborum Aristotelis lectionem hanc esse, diversorum generum & non subalternorum diverse ratiōēs seu species sunt differentiæ, tamen & circa haec nonnihil turbarum movet Scotus. Cum enim nos Regulam hanc tantum de iis generibus diversis exposuerimus, quæ in diversis sunt prædicamentis, ille non tantum de his, sed & de iis, quæ quidem sibi invicem non sunt subalternata, sub uno tamen aliquo continentur, interpretatur. Sed inanem esse Scotti operam, quivis facile penetrat, qui rem modò acura-

curatiūs ponderat. Enīmverò hōc sensu regula univerſaliter vera non est, quia talia, quæ sub eōdem tertio continentur genere, easdem habere differentias nihil prohibet. Sic enim animal pedestre & volatile sibi invicem non sunt subalternata, nō volatile sub pedestri, neque pedestre sub volatili continetur, sed tamen utraque sub animali continentur, & easdem differentias habent, nempe bipes & multipes: in utroque enim genere bipes & multipes reperi-tur. Hinc ipse Aristoteles expresso lib. VI. Top. c. VI. §. 17. & 18. dicit, quando diversorum generum non subalternorum diverſa esse dicuntur differentiae, addendum esse: *Si neque sub se invicem, neque sub uno aliquō terminō contineantur.* Ut sole meridi-anō clarus sit, Regulam hanc tantum de iis, quae in diversis sunt pradi-amentis, quorum neutrum sub altero continetur, neque utraque sub aliquō tertio, intelligendam esse.

§. V.

Ne tamen sine ratione id dixisse videatur Scotus, trīplici ratio-ne sententiam suam probat. Initio translationem Argyropoli p̄texit, qui regulam hanc ita reddidit: *Diversorum generum, quorum alterum sub alterō non collocatur, specie diverse sunt differentiae.* Hinc subsumit. Atqui eorum, quæ sub tertio aliquo continentur, non collocatur alterum sub altero. Ergo & horum diversa sunt differentiae. Verūm quid nobis p̄judicat versio Argyropoli? Non ad versiones, sed ad ipsum fontem attendere tenetur is, qui veritatem perspicere amat. Jam autem in Græcō hæc habentur verba, μὴ ἵπαληλα τεταγμέων, h. e. non subalternatim posito-rum, vel non ut subalterna positorum, quæ alibi Aristoteles μὴ ἵπαληλα non subalterna vocat lib. I. Top. cap. XV. §. 12. & IV. Top. II. §. 1, eaque non tantum iis, quorum alterum sub altero continetur, sed & iis, quorum utraque sub uno tertio comprehen-dantur, contradistinxit & opponit cit. lib. IV. Top. c. II. §. 1. & VI. Top. VI. §. 17. & 18. Adeoque ea, qua uni alicui tertio sub-alterata sunt, ab hac regula excludit Philosophus, & proinde hæc versio Argyropoli prava est, & mentem Philosophi non assequitur. Deinde probare sententiam suam nititur ex lib. I. Top. c. XV. §. 12. & sic colligit: Aristoteles ibi genera subalterna vocat, quo-rum

rum unum sub altero collocatur, uti exemplum de ave & animali,
 quod ibi adducit, ostendit. Ergò non subalterna genera sunt,
 quorum unum non est sub altero, licet utrumque sit sub tertio.
 Verùm enim verò nos consequentiam in hoc argumento negamus:
 utut enim Aristoteles locò citatò genera subalterna vocet ea, quo-
 rum unum est sub altero, tamen inde non sequitur, genera non
 subalterna esse tam ea, quorum unum sub altero non collocatur,
 quāea, quae sub uno tertio continentur. V. gr. prudentia & sci-
 entia sub habitu: nam ostendimus modò, Aristotelem hac ipsa ge-
 nera, quae sub uno tertio collocata sunt, contradistingvere generi-
 bus non subalternis, quomodo igitur Scotus ex sententia Aristote-
 lis potest ea non subalternis accensere? Et ex ipsa hāc regulā evi-
 dentissimè hāc assertio potest refutari h. m. Genera non subalternia
 non possunt habere easdem differentias, *juxta regulam*. Atqui ge-
 nera illa, quae sub uno tertio collocata sunt, possunt habere easdem
 differentias, *juxta s. præced.* Ergò genera illa, quae sub uno
 tertio sunt collocata, non sunt genera non subalternia. Manet ita-
 que indubitatum, genera non subalterna tantum ea esse, quae neque
 sub se invicem, neque sub uno aliquo tertio collocata sunt; gene-
 ra autem subalterna strictius quidem illa, quorum alterum sub altero
 collocatur, latius tamen sumpta & illa esse, quae utraque sub uno
 tertio subsunt, idque ideò, quia licet hāc non sunt subalternata
 sibi mutuo, tamen unī tertio subalternata sunt, & proinde illius
 respectu rectè quoque subalterna vocantur, atque non subalternis
 contradistingvuntur. Denique ita ratiocinatur, si Regula hāc tan-
 tum de iis intelligenda est, quāa in diversis sunt prædicamentis, &
 nec alterum sub altero, nec utraque sub uno tertio collocata sunt,
 utique evidentissima est, quia quilibet novit, res in diversis prædi-
 camentis existentes non possunt easdem habere differentias; at omnes
 fere Interpretes eam difficultem efficiunt. Verùm quivis facile vi-
 det, quāa debilis sit hāc collectio: Interpretes hanc regulam dif-
 ficultem efficiunt. Ergò ille sensus, qui planus & evidens est, non
 est verus regulæ sensus. Quāe Consequentia? sequitur potius hoc,
 cūm Interpretes multis difficultatibus hanc regulam involvant, &
 detur ab alio ejus sensus nudus & planus, negligendas esse illas
 inanies

Inanes difficultates, & sensum istum planum atque perspicuum amplectendum esse. Quid enim opus est, cum res evidens est, velle verba authoris ad alium sensum trahere, quam quidem ipse intendit, & sic rem difficilem reddere. Quod autem sensum illum Regulae, quem Scotus propugnat, Aristoteles non intenderit, satis jam ex aliis locis parallelis, in quibus regulâ hâc utitur, antea demonstratum est, utpote in quibus à generibus non subalternis ea excludit, quæ uni alicui tertio subordinata sunt.

§. VI.

Properandum est ad Regulam ultimam, quam alii pro appendice Regula secundæ habent, quæque ita sonat: *Subalternorum verò generum nihil impedit easdem esse differentias, tam constitutivas quam divisivas.* Scilicet ita, ut differentiae superius genus constituentes, constituant & inferius, non contrà, itemque divisivæ inferioris dividant quoque superius, non contrà. V. gr. virtus & habitus sunt genera subalterna, unde differentiae constitutivæ habitus constituunt & virtutem, nempe acquiri crebris exercitiis, reddere subiectum ad agendum promptum &c. at verò contrà differentiae virtutem constituentes, nempe esse in mediocritate &c. habitus differentiae constitutivæ non sunt. Rursus differentiae virtutis divisivæ sunt, versari circa pericula, circa sumptus, circa gustum & tactum &c. Et hæ ipsum quoque habitum dividunt, ut alius rectè dicatur esse circa pericula subeunda, alias circa sumptus &c.; at verò differentiae divisivæ habitus, nempe esse bonum vel malum &c. virtutem non dividunt, cum virtus non possit dici alia bona, alia mala, sed bona tantum existat. Unde & quidam ita legunt: ταῦ δέ γε ὑπάλληλα γενῶν εδὲν κωλύει, τὰς ἀνταρσίας διαφορεῖς εἶναι· εἰ οὐδὲ μὴ πάσας, Generum subalternorum nihil prohibet, easdem differentias esse, eti non omnes, quam additionem merito veteres Interpretes rejiciunt, cum Aristotelis minimè sit; at si quis juxta sensum regulae haec tenus explicatum sic eam interpretetur, ut dicat, genera subalterna quidem omnes differentias communes habere, & divisivas & constitutivas, ita tamen, ut superius genus non habeat communem differentiam constitutivam inferioris, & inferius non habeat communem differentiam divisivam

E

super-

superioris, nisi forte aliquam saltem, v. g. animalis differentiæ divisivæ sunt volatile, aquatile & ἀμφωτεριζόν; at has omnes non habet communes avis, sed tantum primam illam, nempe volatile, facilè potest admitti: quamvis melius sit, ipsis Aristotelis verbis eorumque sensui dato inhærente.

§. VII.

Et circa hanc Regulam frustra aliqui nodum in scirpo quaerunt. Dicunt enim, regulam hanc non tantum de iis generibus subalterni intelligi, quorum alterum sub altero collocatur, sed & de iis, quæ sub tertio aliquo continentur. Verum utat hæc contingat aliquam differentiam communem habere, quemadmodum etiam ante ex ipso Aristotele ostendimus; tamen non semper & in omnibus id obtinet. Nam v. g. animal & planta sub eodem tertio continentur, nempe substantia; at neque animalis differentiæ constitutivæ aut divisivæ communes sunt plantæ, neque plantæ differentiæ competitur animali; item aves & pisces sub animali continentur, neque tamen easdem habent differentias. Regula itaque hōc sensu non esset universaliter vera. Vident hoc ipsimet illi autores, è quorum censu etiam Conimbricenses aliique sunt, & propterea fatentur, non semper, neque in omnibus regulam procedere de iis, quæ sub uno tertio continentur, interim tamen ad hanc regulam pertinere, quia Philosophus non dicat, subalternorum verò generum sunt eadem differentiæ, sed nihil prohibet, easdem esse differentias, indicans eō ipso, non semper subalternorum generum esse easdem differentias, posse tamen aliquando easdem esse. Verum fallunt illi & falluntur: Falsum enim est, quod Philosophus his vocibus propteret utatur, ut indicet, non semper easdem esse illorum generum differentias, contrarium verò manifestò ex immediate sequentibus verbis patet, quibus ita ait: *nam superiora genera inferioribus generibus attribuuntur. Quare quotunque attributi differentiae sunt, totidem etiam subjecti erunt.* Jam autem semper genera superiora de inferioribus dicuntur, ergo & differentiæ eorum. Et tantum de Anteprædicamentis seu Procategorylis.

PARS

PARS II.
DE
CATEGORIIS VEL PRÆ-
DICAMENTIS.

CAPUT I.
DE
SEDE CATEGORIARUM
PROPRIA.

§. I.

Ntequam in specie Categories ab Aristotele explicatas
lustremus, è re fuerit in genere de his aliqua disquirere.
Et quidem primò omnium non inutilis nec ignobilis
hic sese nobis obvertit controversia: *Ubinam sedem*
propriam sibi fixam habeant Categories? sive, ad
quaminam scientiam doctrinam earundem primò & propriè spectet,
an ad Dialecticam, an ad Metaphysicam, an ad scientiam aliam?
Ac discrepantes quidem circa eandem virorum Doctorum sese og-
gerunt sententiae; nos tamen in Dialectica propriam doctrinæ ea-
rundem esse sedem affirmare nulli dubitamus. Ut autem solide
nobis assertum hoc evincere nostrum licet, ante omnia status con-
troversie ritè formandus, & propterea observandum, catagorias du-
pliciter spectari posse: vel (1) materialiter i. e. sub ratione *εντόητας*
sive simpliciter, ut sunt entia; vel (2) formaliter i. e. sub ratione
τερογονίας sive ut sunt entia quæ prædicationem ingrediuntur,
indeque categoriæ appellantur. Duplex hæc Categories confide-
randi rat'o facile percipitur, si teneamus Categories re ipsa nihil ali-
ud esse quām entia, entia autem dupliciter spectari posse: vel a. *φυ-
σικῶς* h. e. absolute & in se ut entia, & quidem vel sub ipsa illa com-
muni ratione & *εντόητας*, sive entitatis (ut loqui nobis ita licet)
vel sub speciali ratione, ut entia talia vel talia v. g. non substantia
in genere, sed in specie substantia naturalis & quidem quā talis,

E 2

non

non quantitas in genere sed in specie numerus aut magnitudo & quidem quā talia, ac ita porrō; vel $\beta.$ λογικῶς, hoc est non simpliciter & in se ut entia sunt, sed prout $\pi\epsilon\sigma\tau\gamma\omega\sigma\jmath\alpha\varsigma$ seu prædicacionem vel enunciationem ingrediuntur & ξέτων atque habitudinem ad eandem subeunt. Hoc posteriori respectu dicuntur Græcis κατηγορίαι, Latinis prædicamenta, vel Græcō nomine suō factō, Categoriae: & hōc modō sumptas Categorias, formaliter nempe, & ut Categorias, Dialecticæ vindicamus, earumque doctrinam scientiæ huic propriam esse asseveramus. Quodsi autem entia considerentur ut entia, & quidem sub ipsa hac generali ratione, ad Metaphysicam corundem pertinet doctrina, & quando tum Categoriarum nomine appellantur, non formaliter sed materialiter Categoriae sumuntur, quō sensu Categoriarum, materialiter nempe spectatarum, doctrinam ad Metaphysicam rectē referri concedimus. Quodsi tandem entia sub speciali ratione spectentur, sive entia in specie respiciantur v. g. substantia naturalis quā talis, numerus & magnitudo quā talia &c, reliquarum scientiarum objectum ea constituant, substantia quidem naturalis objectum Physices, numerus Arithmetices, magnitudo Geometriæ, &c. quemadmodum nemo facilē negaverit. Quanquam & ipsa entia in specie v. g. substantiam naturalem, numerum, magnitudinem &c. qua talia suō modō ad Dialecticam spectare concedamus: Si nimirum non Φυσικῶς & in natura sua spectentur, sed itidem λογικῶς, prout prædicacionem ingrediuntur & ex probabilitibus de iis disputatur. Nihilominus tamen hāc vice de entibus solū in genere, sive de decem entium generibus λογικῶς spectatis & prout Categoriarum nomine veniunt, soliciti sumus, atque primō & principaliter hoc probandum modō suscipimus: Categoriarum, formaliter spectatarum, earundemque specierum qua talium doctrinam ad Dialecticam pertinere.

§. II.

Neque rationes nobis firmissimæ desunt, quibus assertum hocce nostrum evincere licet. INITIO namque objectum Dialecticæ, uti vel ab ipso Aristotele docemur, in primordio statim libri 1. Topicorum, est problema & quidem omne, seu de re omni institutum: id quod etiam finis illius, qui in practicis & effectivis principiis

pium est & norma reliquorum, juxta lib. 7. Ethic. c. 9. & lib. 6. c. 9.
 cuilibet manifestare potest. Est namque finis Dialectica non, ut
 aliqui rentur, VERITAS, sed OPINIO, quemadmodum ipse vicissimi
 nos docet Arist. l. 1. Top. c. 14. §. 7. 1. Prior. 30. §. 1. lib. 2. c. 16. §. 8.
 lib. 8. Top. cap. 13. §. 1. at vero opinionem de omnibus rebus, etiam
 de non entibus habere licet, ut non modò ex ratione propria opini-
 onis, secundum quam nihil aliud est quam *cognitio rationi quidem*
consona, ast debilis & infirma cum formidine oppositi semper conjun-
cta, patescit, sed ab Aristotele quoque confirmatur l. 4. Top. c. 1.
 §. 7. Quapropter cum finis Dialectica, opinio nempe, non sit de-
 terminata alicuius rei, sed ad omnia entia se extendat, hinc quo-
 que objectum illius, circa quod finem suum consequi Dialecticus
 studet, quodque fine isto mensuratur, non erit determinati alicuius
 generis ~~coenitudo~~, vel subjecti, sed de rebus omnibus institui po-
 terit, ut præter cit. lib. I. Top. cap. 1. etiam lib. 1. Rhet. cap. 1.
 alibique passim Aristoteles docet. Quoniam autem objectum
 Dialecticae de omnibus rebus habetur, inde ut accurate natura illius
 percipiatur, necessariò ulterius explicandum est, quomodo res istae
 omnes comparatae sint, de quibus problema Dialecticum instituitur,
 cum non eodem modò se res omnes habeant, sed in duplii diffe-
 rentia sint & aliae quidem singulares, aliae vero universales existant,
 ut & lib. de Interp. c. 7. §. 1. docetur. Nimirum non de illis, sed
 de his primò sollicitus est Dialecticus, quia opinio quidem est finis
 Dialecticae, at non qualiscunque, sed producenda in animo ejus,
 qui ad scientificam veritatis cognitionem disponendus est, talis au-
 tem non ad singularia sed universalia intentus est, cum *omnis scien-*
tia sit universalium juxta lib. 1. Post. c. 2. §. 11. l. 6. Eth. c. 6. l. 10.
 c. 10. lib. 2. de Anima c. 5. & quamplurima loca alia. At nec res
 universales unius sunt rationis: quamvis enim in eo convenienter,
 quod omnes in substantia singulari existant, deque ea pradicentur,
 in eo tamen differunt, quod non eodem modo de ea pradicentur,
 sed decem diversis modis, que sunt ipsæ Categoriarum. Ut igitur
 plenam tandem objecti Dialectices cognitionem quis consequatur,
 necessum est de ipsis quoque Categoriorum considerationem instituere,
 ut pareat, an problema Dialecticum de omnibus rebus universalibus
 omnium Categoriarum an aliquarum saltē constituatur, & proinde

jam constat, doctrinam Categoriarum ad Dialecticam pertinere. Id quod ipse quoq; Philosophus noster censuit, qui propterea de Categoris in Dialectica sua lib. nempe 1. Top. c. 9. agit, idque necessarium esse non obscure significat. Cum enim docuisset quadruplex esse problema Dialecticum, generis proprii accidentis & definitionis, singularum quoque naturam lib. 1. Top. c. 5. explicasset, subiicit cap. 9. de Categoris quoque agendum sibi esse his verbis; Post hec igitur oportet definire genem Categoriarum, in quibus insunt dictae quatuor differentiae, problematis nempe Dialectici, quæ quatuor istas problematis Dialectici species constituant.

§. III.

DEINDE vero afferit doctrinam Categoriarum Dialecticæ insignis quoque quam confert ad rectorem locorum Dialecticorum, unde hunc Περιηγησαται vel syllogismi Dialectici quosque lib. 2. 3. & seqq. Topic. Aristoteles tradit, intelligentiam utilitas imò necessitas. Tradidit enim Philosophus locos quosdam non solum à Categorìa in genere, sed & in specie à qualitate relatis eorumque vicissim speciebus desumptos, quos certè locos, eorumque exempla quibus illustrantur, neutiquam intelligere quis valet, nisi quid Categorìa sit & quotuplex cognitum habeat; imò ne titulum quidem eorum percipiet, cum desumpti sint ab ipsis nominibus Categoriarum. Ita locus aliquis accidentis simplicis est à consecutione Relatorum, quò jubemur respicere ad consecutionem directam, quæ obtinet in relatis, sic ut relatorum relata sint consequentia: quodsi enim ea obtineat etiam in proposita questione, vera eadem exsistit, si non, falsa 2. Top. 8. §. 4. Item locus aliquis generis est à Categorìa ita sonans: *Quodcumque genus non est in eadém Categorìa in qua est species, id verum genus non est l. 4. Top. c. 1. §. 5.* Rursus est locus proprii à relatis hujus tenoris: *Cujus correlatum non est proprium correlati subjecti, id verum proprium non est l. 5. Top. c. 6. §. 3.* item est locus generis à relatis ita sonans: *Q. genus non eodem casu refertur ad correlatum suum, quò species ad correlatum suum refertur, id verum genus non est.* Rursus: *Q. genus non est ex eodem genere relatorum cum specie, illud verum genus non est,* lib. 4. Top. c. 4. §. 6. seqq. Pariter est locus aliquis generis à specie quādam qualitatī desumptus hujus tenoris: *Quodcumque genus est passio ejus cuius*

enius dicitur genus, id verum genus non est. Rursus locus ab habitu & operatione: *Habitus non est genus operationis nec contra.* Hos locos in universum omnes & reliquos iis similes nemo utique Dialecticam discere volens assequi poterit, nisi prius ipsi constituerit quid sit Categoria, quot ejus species, & quid quilibet earundem existat. Quod enim aliqui dicant ad intellectum istorum & aliorum locorum omnium sufficere Dialectico nudam Categoriarum enumerationem, si sciat ruditer quid & quotuplex Categoria sit, non necessarium autem esse, ut diductior aliqua de Categoris doctrina ei proponatur; hoc nullius est momenti, & vel sola inspectione locorum horum, quos citavimus, refellitur. Sunt isti utique desumpti non solum à Categorìa in genere, sed & speciebus v. g. relatis & qualitate, & quidem ab his non solum in genere, sed & eorundem speciebus, ut proinde accuratior aliqua Categoriarum notitia omnino ad plenarium eorundem intellectum requiratur, quam nuda nominum & numeri cognitio. Id quod & exemplis, quibus locos memoratos illustrat Philosophus, facile ostendi potest. Ex multis unum sufficiat. Lib. 4. Top. c. 1. §. 5. probat bonum & honestum non esse scientia genus, quia genus in ea debet esse Categorìa in qua est species, hic autem ita se res non habeat, scientiam enim esse ex rōv τετέρη τι seu ex numero relatorum, bonum vero & honestum esse quale sive in predicamento qualitatis. Quomodo percipiet hæc, qui Categorias ignorat, aut non probè cognitum habet, quid sint relata, & quænam talia dicantur, quid item sit qualitas? Ut taceam insignem quem præbent applicationi locorum Dialecticorum categoriæ usum. Esto enim v. g. probandum, philosophiam & sapientiam esse eadem ex loco hoc: *Quæ sunt in eadem Categoria illa sunt eadem*, ostendendum utique quod philosophia & sapientia sunt in eadem Categoria, nempe in qualitate, & quidem primâ ejus specie, in habitu; at quomodo hoc faciet, qui nudam enumerationem Categoriarum audivit, non autem distinctè species earundem, & in specie qualitatis species cognitas habet. Et in applicatione omnium locorum à comparatis tam paribus quam imparibus, quales multi sunt, quomodo feliciter progredi licet, quam si notitia Categoriarum accuratori instrutus quis sit, & singula ad suam Categoriam referre queat? Hoc enim factò si exempla varia percurrat

sub

sub eadem categoria contenta, facile deprehendet aliqua, inter quæ comparationem instituere queat. Sic esto v. g. problema proprii: An fidelium proprium sit non posse excidere gratia DEI nec ne? Hoc destruendum sit alicui ex locis proprii, v. g. ex loco à comparatis desumpto hujus tenoris: Si id quod magis videtur esse proprium unius similiter se habentis, ejus tamen proprium non est, multò minus id quod minus videtur esse proprium alterius similiter se habentis, ejus proprium erit. Hunc locum facilè poterit applicare, si cognitione Categoriarum, earumque specierum instructus sit. Videat enim in quo prædicamento sit fidelis, sive fides, unde dicitur fidelis, & perspiciet esse in prædicamento qualitatis, ac primà quidem ejus specie in habitu, percurrat mente varios habitus, quod ipso facile ei occurret scientia, quæ & ipsa habitus aliquis est: hujus proprietates si inspiciat, videbit & hanc, quod datur reddere hominem in cognoscendo ita immutabilem, ut veritate excidere non possit, hinc loco abstracti sumptù concreto talem poterit facere loci propositi applicationem: Si id quod magis videtur esse proprium alicuius, proprium tamen illius non est, multò minus id proprium erit alterius, quod minus proprium ejus esse videtur. Atqui scientis proprium magis videtur esse non posse excidere veritate, vel ab eadem aberrare, quām fidelium non excidere gratiā Dei: quoniam scientia, unde appellatur sciens, dicitur reddere hominem in cognoscendo immobilem, sic ut à veritate abduci non possit, inque eo ab opinione distinguitur, quæ semper cum formidine oppositi conjuncta est, & facilè hominem in contrariam eamque falsam opinionem trahi patitur: fides contrà tantà firmitate non gaudet: ut eā instructus gratiā Dei excidere simpliciter & omnino non possit: utut enim sit cognitio firmissima quin omni scientiā humanā firmiter, hominemque in cognoscendo non solum reddat indubitatum, sed & gratum atque acceptum DEO, utpote qua solā justificamur coram DEO; charitatem tamen & alia adhuc bona requirit qua sepius negliguntur ab hominibus, qui neglectus ipso & fide & gratiā DEI excidere facit. Nihilominus tamen, ut ut magis probabile videatur scientis proprium esse, non aberrare à veritate, vere tamen ejus proprium non est, cūm non solum experientia contrarium testetur, sed ipse quoque Aristoteles disertis verbis docet, sic lib. 5. Top. c. 4. §. 2. in-

§. 2. inquiens: *Scientis proprium non est falli non posse ratione* (ad eoq; non aberrare à veritate) quia & Geometra f. lli potest in paralogismis. Igitur multò minus fidelium erit proprium, non posse excidere gratiā DEL. Similem usum in reliquis locis applicandis Categoriarum præstat notitia. Quodsi non solum Categoriarum doctrinam in se, sed & ipsum librum Categoriarum ab Aristotele scriptum respicere velimus, pluribus adhuc de causis ille ad Dialecticam utilis est. Nam præter Categorias & alia plura in eodem explicantur, v. gr. quid sunt homonyma, quid synonyma, quid paronyma, quid & quotuplicia sunt opposita, quot modis dicatur prius, & reliqua, quæ in vulgō sic dictis tum ante tum postprædicamentis explicantur, quæ omnia insignem ad perfectè intelligendos locos Dialecticos usum conferunt. Non enim solum lib. I. Top. c. 15. inter locos, quibus æqvocationem vocis alicujus investigare docet Philosophus, unus est ab oppositis ejusque speciebus desumptus, sed & in sex libris sequentibus, quibus proponit locos ad singula problematum Dialecticorum genera pertinentes, multi traduntur loci à contrariis, contradicentibus, ab habitu & privatione, à coëxistentiâ, seu ab eō, quod simul est, à prioritate & ab aliis, quæ in cit. lib. declarantur, qui omnes intelligi non possunt, nisi quis cognitione illorum, quæ in librō Categoriarum ab Aristotele sunt proposta, instructus fuerit, adeo, ut dubitari non possit, librum istum à Philosopho ad meliorem Dialectices intelligentiam esse consignatum. Quanquam facile largiamur, illam præcisè fusam & prolixam Categoriarum tractationem, quæ in libro Categoriarum conspicitur, minime ad Dialecticam necessariam, imò nec utilem esse, præserit cum multa ibi ex aliorum opinione tradantur, quæ omitenda: nihilominus quod multa utilia in eōdem tradantur, certum est, que unā cum aliis Dialectica inservientibus rebus, aliā licet formā & methodō in eadem exponi possunt & debent. Cur enim Aristoteles hæc in Topicis neglexerit, ejus causa nimis est manifesta: quia nimis in libro Categoriarum ea jam fusè erat prosecutus; quem & propterea veteres illius interpres communiter Dialecticæ præmittere sverunt, indeq; ipsum Ante-Topica appellārunt.

§. IV.

AMPLIUS non posse à Dialectica ut alienam removeri Cate-
goria-

goriarum doctrinam, & inde dispalescit, quod nec doctrinam Sophisticorum Elenchorum, quæ alteram constituit Dialectices partem, plenè & perfectè sine earum cognitione percipere possit Dialectices auditor. Quomodo enim intelligentiæ sua allegetur fallaciam figuræ dictioñis, nisi ante Categoriarum notitia fuerit instrutus? Commititur namque haec fallacia, si diversa prædicandi genera, h. c. Categoriarum diversæ inter se commisceantur atque confundantur, docente Philosopho lib. Soph. El. c. 4. igitur ut natura hujus fallacie rectius percipiatur, cognitum esse debet Auditoribus Dialectices, quid Categoriarum sit, & quænam ac quot ejus species, quas confundi contingit in syllogismis. Ex quo capite etiam ipse Philosophus fallaciam figuræ dictioñis explicans divisionem Categoriarum lib. I. Top. c. 9. factam citat citatō. lib. Soph. Elench. c. 4. §. 9. his verbis: Fallacia figura dictioñis est, cum quis eodem modo interpretatur, quod idem non est, veluti masculum ut feminam, aut feminam ut masculum, aut neutrū ut alterum horum: aut rursus quantum ut quale, vel quale ut quantum, aut faciens ut patiens, aut effectum ut faciens, & cetera, ut anteā divisa fuerunt. Quomodo item fallaciam hujusmodi solvet cognitione categoriarum destitutus? Tantum abest, ut confundenti categorias talis occurrat, ut potius ipsemēt eas confundat, sive ipsemēt fallaciam istam incurrat. Neque cognitione prorsus rudis & sola nōminum numerique notitia sufficit: nam rudis cognitione confundit, distincta notitia distingvit, & ad solutionem necessaria existit. Quod accedit, quod non modò ex diversarum categoriarum confusione oriuntur syllogismi sophistici fallaciam figuræ dictioñis committentes, sed ex diversarum specierum unius alicujus Categoriarum commixtione, v. g. non solum Sophisma est, si ita quis colligat:

Qui eras anno 7. etatis tua, idem & nunc es anno 60. etatis.

Atqui tunc eras puer. Ergo & nunc es puer.

Ubi in majori de substantiâ, in minori autem de ratiōne esse in tempore sermo est, adeoque confunditur prædicamentum substantiæ cum prædicamento quando. Sed & contingit tale fieri Sophisma:

Quot pedes habuisti in infantia, totidem & nunc habes,

Atqui habuisti in infantia duos pedes parvos.

Ergo & nunc in virili etate habes duos pedes parvos.

Hic

Hic enim confunduntur duæ species ejusdem Categoriarum, nempe quantitatis, continua scilicet cum discretâ: in majore enim de quantitate discretâ seu numerô sicut sermo est, in minori autem de utrâque, tûm de discretâ sive numerô, tûm de continua sive magnitudine. Item:

*Quod ego sum, Tu non es,
Atqui ego sum homo,
Ergo Tu non es homo.*

Ubi in majori sermo est de substantia singulari; in minori verò de substantiâ universali. Rursus:

*Perfici non est pati,
Atqui sentire est perfici,
Ergo sentire non est pati.*

In majore intelligitur passio destruktiva: quod enim perficitur, non patitur sustinendo passionem destruktivam; in conclusione autem passio perfectiva: qui enim sentit, patitur quidem, at sustinendo passionem perfectivam. Hac utique & ejusmodi alia Sophismata solvere non potest, nisi qui præter rudem notitiam numeri categoriarum, quâ decem eas esse novit, quarum una dicitur substantia, altera qualitas, & sic consequenter, accuratori insuper cognitione instruens est, quâ nempe quænam substantia, quæ quantitatis ac qualitatis cæterorumque praedicamentorum sint species, & quomodo inter se differant, perspectum habet. Proinde omnino Categoriarum doctrina ad Dialecticam pertinet, ac citra rationem ab eâdem exterminatur.

S. V.

Neque est, ut quis objiciat & dicat. Si utilitatem Categoriarum respicere velimus, referendas eas potius judicabimus ad Analyticam, ex hac ratione, quia magis necessaria esse videtur cognitio Categoriarum ad Analyticam quam Dialecticam, eique maiorem utilitatem ad fert: Analytica enim agit de definitione, divisione & demonstratione, quæ omnia sine Categoriarum cognitione rectè fieri non possunt. Fortè non abiudit ab hâc Porphyrius. Cum enim Adrastus librum categoriarum Ante - Topica appellat, quasi dicas, Topicorum Proemium, negat ille librô Interrogationum & responsionum in Categorias cap. 2. hanc idoneam esse appellationem.

Nam cur, inquit, potius *Ante-Topica*, quam *Ante-Analytica* inscribantur. Verum (1) non negamus insignem usum etiam ad meliorum Analytics cognitionem, & eorum, quæ in libris suis Analytics proposuit Aristoteles, intelligentiam, conferre Categoriarum notitiam: agit enim de definitione, quæ constat genere & differentiis, hac autem ex categoriis petuntur; agit itidem de divisione, quæ pariter ut plenè & rectè percipiatur atque instituatur, nōesse oportet superiora & inferiora, generaliora & specialiora, hæc autem ex Categoris pveridentur; agit quoque de demonstratione, quæ cum effectionem propriam de subjecto primo & universalissimō tradere debeat, quod propterea καθόλη πρότοι seu universale primum appellatur, itidem Categoriarum cognitionem requirit, ex quibus quodnam sit primum manifestò perspicitur. Docet item Aristoteles lib. 1. Prior. cap. 36. §. 1. quot modis dicatur aliquid inesse his verbis: *Quot modis dicitur aliquid esse & verè dici, tot modis dicitur aliquid inesse.* Item 1. Post. 22. §. 10. & seqq. non dari progressum in infinitum sursum versus inde probat, quod in decem Prædicamentis sit subsistendum, & quæ sunt plura talia. At quomodo hæc intelligentiâ suâ quis assequetur, nisi fuerit Categoriarum notitiâ instructus? Quare non negamus, sed ultrò concedimus, insignem etiam usum Analytics praestare Categoriarum notitiam; ast quod propterea ei magis necessaria magisque utilis sit quam Dialecticæ, id nondum inde sequitur. Nam multis quoque ex capitibus Dialecticæ earundem cognitio inservit, quemadmodum non solum ex superioribus constat, sed facile pluribus ostendi posset, si loca, in quibus Categoriarum vel fit mentio, vel ad quæ intelligenda earum cognitio requiritur, cumulare necessarium duceremus. Sed (2) positò magis utilem, magis etiam necessariam esse earum cognitionem Analytics quam Dialecticæ, nondum tamen inde sequitur, quod doctrina earum pertineat ad Analytics & post Dialecticam ipsi Analytics præmittenda sit. Nam quod utilis sit & necessaria Dialecticæ Categoriarum notitia, id ex haec tenus dictis jam indubitatum est; at Dialectica præmittenda est Analytics, & priùs quam hæc docenda: Ergo necessariò quoque doctrina Categoriarum in ea tradenda atque Analytics præmittenda, sive quod ad Dialecticam pertineat, nequit esse ullum dubium.

§. VI,

§. VI.

Consentientes in hoc habemus non Latinos modò atque Arabes, sed Gracos quoque, qui ceteris praeunt, Aristotelis interpres. Ammonius ēν τεσσαρίῳ τῆς λογικῆς περιγματέας seu in proœmio facultatis Logicæ Categorias propterea appellat δέχλω τῆς περιγματέας λογικῆς, Principium trutiationis vel facultatis logicæ. Quia in re accedit ei Simplicius, qui in Comm. suo ad librum Categoriarum initio statim: Τὸ τὸν κατηγορεῖν, inquit, τὸ Ἀριστοτέλευς βιβλίον περιέμενόν εἴη τῆς ὅλης Φιλοσοφίας, ἐπεξ ἀυτῷ μὲν τῆς λογικῆς εἴνι δέχλη πραγματέας ή δὲ λογική τῆς ὅλης περιλαμβάνεται δικαίως Φιλοσοφίας, h. e. Liber Categoriarum Aristotelis proœmium est totius Philosophiae, quippe qui Logica trutiationis principium est; Logica autem ante universam Philosophiam meritò præcognoscitur. Nec non Alexander Aphrodisaeus, citante Simplicio c. l. post multa his verbis: ἴδωμεν δὲ καὶ τὰς τελεότερον ἀντιλαμβανομένως, ἂν ἡ πρώτης, κατ' ἐμήν εἴη γνώμην ὁ Ἀφροδιτεὺς Αλέξανδρος, δέχεται ἐνεγκέλυτων τῆς λογικῆς περιγματέας τέτο τὸ βιβλίον, i. e. Vidcamus autem eos qui perfectius rem hanc percepunt, inter quos primus meā sententiā est Alexander Aphrodisaeus, qui librum hunc principium esse dicit trutiationis Logicae. Simplicius quoque Adrastum Aphrodisaeum citat, qui libros Topicos proximè post Categorias posuerit & quod ipsas Categorias μετὰ τὸν λογικῶν βιβλίον Librum Ante-Topicum inscriperit. Verba Simplicii super hac re sunt sequentia: Επεδὴ δὲ ἔχει ὁ τυχῶν εἴνι αὐτός, ὁ μὲν τὰς κατηγορεῖσας ἐνθύμη τὰ τοπικὰ τάξεις βιβλία, ἀλλὰ Ἅδεσσος δὲ ἀφροδιτεὺς, αὐτῷ τῷν γνησίον περιπατητικῶν γεγονός εἰναι περὶ τὰς τάξεις τῆς Ἀριστοτέλευς Φιλοσοφίας μὲν τῷν τὸν κατηγορεῖν βιβλον, τὰ τοπικὰ βέλεται τετάχθει, h. e. Quandoquidem non de plebejus vir est, qui post Categorias statim posuit Libros Topicos, Adrastus Aphrodisaeus, vir præcipuus ac famosissimus inter Peripateticos in libro de ordine Aristotelice Philosophiae, post Categoriarum librum Topicam vult ponit. H. I. Evidet sūt, qui librum Categoriarum Aristotelicum factum esse negent suaque sententiae firmamentum in autoritate Simplicii querant; verū non modò ipse hic Simplicius, ad quem provocant, contrarium diteris verbis testatur, sed & Ammonium aliosque sibi suffragantes habet,

quemadmodum fusè satis offensum est in procēmio §. 1; & proinde uti certum est librum hunc Categoriarum esse Aristotelis: ita neque est cur dubitemus eundem & doctrinam de Categoriis ad Dialecticam pertinere.

§. VII.

Neque etiam obstat nobis possunt, quæ communiter à dissidentibus in contrarium adferuntur: omnia enim hæc sine omni negotio dissolvi possunt. Plurima cumulantur quidem, sed quæ vel dum proponuntur, jam solvuntur, unde ea ceu consideratione solidiori indigna mittentes, præcipua capita huc arcessimus, quibus destrutis universa reliquorum corruet structura. Obvertunt igitur primis cum Ramo ex lib. 4. Schol. Dial. cap. 6. ἐτερογένεια & scientiarum confusionem hōc ipsō induci, quoniam vel ipse Aristoteles contestetur, ad Metaphysicam spectare Categoriarum doctrinam dum scilicet in eadem de Categoriis agat; quod autem unius scientiæ est objectum, id non posse circa heterogeniam tradī quoque in altera, proindeque si propriam suam sedem in Dialectica habeant Categorie, ut à nobis statuitur, viciosè ab Aristotele in Metaphysicis eas pertractari; aut si rectè de iis ibi agat Aristoteles, falsò à nobis eas trahi ad Dialecticam. Verū quis non videt rationem hanc falsā niti hypothēsi, quā statuitur id, quod in una scientia est ἀνάγειν & poprium objectum, non posse quoque expendi in scientia alia. Nonne enim demonstratio est objectum proprium Analytices? Ipse utique Aristoteles perspicuis hoc verbis docet sic lib. 1. Prior. c. 1. inquisiens: *Primum dicere oportet, circa quid & cuius causā sit hec consideratio, nimisrum esse CIRCA DEMONSTRATIONEM, & scientie demonstrativa causā.* Nonne objectum proprium prioris partis Analytices est Syllogismus in genere? De eō vicissim dubitare nos non permittit Aristoteles, quando sic cit. lib. 1. Prior. cap. 4. §. 1. ait: *His definitis jam dicimus, ex quibus & quando & quomodo sit omnis Syllogismus.* Posteriori autem dicendum est de demonstratione. Prior enim de Syllogismo dicendum est, quam de demonstratione, quia Syllogismus est magis universalis. Ast de demonstratione ejusque oppositō Paralogismō, itemque de Syllogismō in genere ejusque speciebus, & in Dialectica agit Aristoteles lib. nempe 1. Top. c. 1. Nonne etiam proprium Oeconomics objectum est domus sive societate.

cetas doméstica? Determinat rēti hanc ipse rūsfus Aristoteles sic lib. 1. Oeconom. c. 1. inqviens: *Politica & Oeconomica differunt non eō tantum, quō civitas & domus quippe quā ipsorum sunt obiecta, illius nempe civitas, hujus verò domus, sed & eō, quod Politica pluribus consit invenitibus, Oeconomica unius imperium habet.* At & in Politicā de domo agit Philosophus, lib. 1. Pol. c. 1. & seqq. Et quidem μὴ ἀλογίως & absque omni ἐτερογενείᾳ vitio. Scil. probè observandum est, quod scientiarum objecta duplíciter possint considerari: vel (1) in se & simpliciter, seu quod ad ipsam rem consideratam; vel (2) quod ad certum considerandū modum, qui aliis formale nuncupatur, unde & objectum vel materialiter vel formaliter spectari posse dicunt, rem eandem verbis aliis nobiscum designantes. Jam objectum scientiæ aliquius in se & simpliciter spectatum, seu ipsa res, quæ in scientiâ aliquâ consideratur, potest quoque in aliâ scientiâ sub considerationem revocari; ast idem considerandi modus, quō expenditur in una, non potest locum habere in scientiâ quoque aliâ. Sic Analyticæ objectum proprium, nempe demonstratio, etiam in Dialectica consideratur, ast non eō modō, quō in Analytica: in hac enim accurate & per se natura ejus explanatur secundum omnes partes, proprietates & affectiones, in Dialectica è contrario rudis saltē ejus definitio & declaratio per accidens, & propter aliud proponitur. Objectum proprium Oeconomicæ, domus, consideratur quidem & in Politica, sed aliò rūsfus modō. In Oeconomica domus in se ut totum quoddam spectatur, & secundum omnes partes suas exactè explicatur, nullò eorum, quæ ad accuratiorem ejus cognitionem faciunt, omisso; ast in Politica spectatur ut pars civitatis, & in tantum de ea tractatur, in quantum ad naturam civitatis intelligendam sufficit. Pariter Grammaticus, Rhetor, Dialecticus & Analyticus de oratione tractant, at quisque alio & proprio sibi modo; Grammaticus rectam ejus formationem docens, Rhetor ornatum & persuadendi aptitudinem ejus ostendens, Dialecticus quomodo per eam opinionem, Analyticus quomodo scientiam in alterius animo va'eamus producere nos instruens. Item & Medicus & Rhetor & Physicus circa affectus versantur, diversâ scilicet ratione: ille circa istos curandos, iste ciendos, hic explicandos, De causis agit Analyticus, agit & Phy-

Physicus & Metaphysicus: at ille, prout intelligendæ demonstratiōni, iste in quantum explicandæ substantiæ naturali, hic prout cognitioni entis primi inserviunt. Neque propterea ἐρεγοφία & confusio artium atque scientiarum introducitur. Nam habet se objectum in scientiis nudè & simpliciter, ut res considerata, spectatum similiter atque materia in substantiis compositis, modus autem considerandi illud ἀναλογικός respondet formæ; jam autem substantiæ compositæ citra ullam confusione materiali possunt habere communem, ipsa interim formæ manent distinctæ. Pari ratione & scientiarum discrimen non tollitur, etiamsi circa eandem rem, circa eandem versentur materiam, non secus atque Scriniarius & Naupegicus circa eandem versantur materiam, nempe lignum, ars tamen Naupegica & Scriniaria capropter minimè confunduntur. Non aliter & cum Categorīis res sese habet. Agitur de his & in Metaphysica & in Dialectica, ast diversā prorsū ratione & modō. Nimirum dupliciter, quemadmodum §. 1. statim monuimus, possunt Categoriae considerari. Vel (1) materialiter ut entia, vel (2) formaliter ut entia talia quæ enunciationem ingrediuntur, i. e. ut Categorix. Jam Dialecticus considerat eas posteriori modō, & proinde circa categorias propriè & per se versatur, easque quæ tales expendit, prout nempe in prædicationem veniunt & respectum ad subjectum problematis Dialectici involvunt, quemadmodum ex præcedentibus nequit esse obscurum. Metaphysicus è contrario spectat entia Φυσικά ut entia, & proinde circa Categorias propriè non versatur, quoniam entia sub ipsa illa Σέοδ & ratione, qua modum prædicandi subeunt, & unde dicuntur Categoriae, non expendit; aut si dicatur de Categorīis tractare, de ipsis entibus id intelligendum est, quæ dicuntur Categoriae, non autem de modo considerandi, à quo Categoriarum appellationem fortuntur, hōc sensu: Metaphysicus agit de Categorīis non quæ talibus, & prout sunt Categoriae, sed prout sunt entia absolute & simpliciter; vel, ut breviūs rem hanc exprimamus, agit de categoriis materialiter non formaliter spectatis. Unde & ipse Aristoteles non de Categorīis, sed de ente, quæ ens est, ejusque speciebus Metaphysicam agere dicit, quando de objecto illius sollicitus est. Ita enim lib. 6. Metaph. cap. 1. inquit: *Si enim non est alia quæpiam substantia, prater ea, quæ naturā constant, Physica erit prima Philosophia.*

*phia: Si verò est substantia aliqua immobila, ipsa prior & prima Philosophia & universalis sit quod prima. Et de ente quā ens est huius fuerit contemplari, vel quid est, & existentia universaliter ut ens. H. I. Ex quibus jam patet neutiquam confundi aut transfor-
mari Dialeticam in Metaphysicam, eò quòd de iisdem agant rebus,
quoniam non eodem sed diverso prorsus modo easdem considerant.*

§. VIII.

Equidem Antonius Bernhardus Mirandulanus eodem modo in Logica tractari Categories quo considerantur in Metaphysica probare satagit; at collectio ejus non procedit. Ita namque infert: *In p̄dīcāmētīs, sive in libro de p̄dīcāmētīs, qui refertur ad Dia-
lecticā, substantia ut substantia, quantum ut quantum, quale ut
quale, & sic omnia reliqua genera Categoriarum, n̄ sunt talia, ex-
plicantur; at v. h̄c sunt partes. & species entis, ergo agitur de Ca-
tegoriis in Logica ut sunt entia, cū tamen tractatio entis Metaphy-
sicis conveniat, juxta lib. 4. Metaph. c. 1. Verū consequētia in
hac collectōne nulla est. Nam certum quidem est & à nemine in
dubium vocari potest, quod in libro Categoriarum & in Dialetica.
substantia consideretur & explicetur prout substantia est, quantum
prout quantum est: hoc est, quod in explicatione substantia non
illud dicatur vel appelletur substantia, quod quantum est, neque
quod quantum est veluti substantia accipiatur, ejusque nomine in-
signiatur, item quòd non dicatur quantitas id quod est qualitas,
nec contrà qualitas appelletur id quod existit quantitas, sive con-
sequenter: hoc enim si fieret, falsa & absurdā docerentur, v. g.
numerum esse substantiam, hominem esse quantitatem, aut quanti-
tatem esse id quod neque est in subiecto, neque de subiecto dicitur,
substantiam verò esse quod in partes divisibile existit &c; ast inde
tamen prorsus non sequitur substantiam & reliqua p̄dīcāmētā in
Dialetica considerari absolute ut entia, & secundum propriam ra-
tionem, atque modum τῆς ἀτόπης, sed eō nihil obstante non
quā entia absolute sed quā talia quae p̄dīcāntur de substantia singu-
lari, adeoque sub ratione non ἀτόπης sed κατηγορίας seu
p̄dīcātōnis in Dialetica spectantur. Nam pari ratione agit quo-
que Dialetica de universalibus, de genere, specie & reliquis quā ta-
libus, genus enim quā genus, speciem quā speciem trāctat, neque*

id quod genus est in tractatione speciei pro specie, vel contra spe-
ciam in tractatione generis pro genere assumit, sed singula probè
distingvit, & quà talia expendit, neutquam tamen propterea sequit-
tur, quod Dialectica de universalibus agat Φυσικῶς & quà entia
sunt: ita enim vel ipsorummet concessione in Metaphysica expen-
duntur; sed λογικῶς & quà φυσικός sive praedicabilia. Igli-
tum neque inde, quod in Dialectica substantia ut substantia, & quan-
tum ut quantum, sicque reliqua considerantur prædicamenta quà
talia, colligere licet, prædicamenta in Dialectica considerari ut entia
 $\tau\epsilon\pi\varphi$ & $\delta\pi\pi\sigma\eta\mu\eta\varsigma$ Metaphysicæ proprio. Id quod etiam facilè
innotescit, si ad librum Categoriarum ipsamque Topicam & ad Me-
taphysicam Aristotelis respiciamus. In libro enim 1. Top. cap. 9.
nudè recenset numerum Categoriarum, eumque ad prædicata pro-
blemati Dialectici applicat, ea omnia in aliqua ex Categorii repe-
riri ostendens, in libro Categoriarum verò divisionem substantiæ in
primam & secundam, sicque cæterorum prædicamentorum distribu-
tionem in suas species, nec non consequaria aliqua de iisdem pro-
ponit & declarat; at in Metaphysica longè aliter procedit, & longè
accuratiùs in Categoriarum seu potius entis genera inquirit. Cùm
enim in libro Categoriarum substantiæ tantum compositæ habeatur
consideratio, simplices autem reticeantur, quemadmodum & olim
jam in Disput. 3. de Contradic. Aristotelis §. 31 & 32. ostendimus,
itemque partes substantiarum compositarum ut materia & forma ne-
gligantur; in Metaphysica è contrario substantia accuratius dividit-
ur in simplicem & compositam, deinde qualem entis rationem ad
invicem habeant simplices & composite substantiæ, item quænam
prior natura, an materia, an forma, an compositum? item qualem
entis rationem obtineat quantitas, qualitas &c. prædicamenta in re-
spectu ad substantiam, & quatenus ad eam referuntur, principia quo-
que omnium entium considerantur, quænam sint tum substantiæ
compositæ cuius propriæ principia sunt, tum & aliorum entium,
quæ sunt accidentia substantiæ. Et qua alia plura facilè quilibet
annotare potest, quæ sat manifestant, Categorias in Metaphysica
ut entia, & ratione ὀντότητος considerari, adeoque longè aliter
quæm in Dialectica, quæ eas ut certos modos prædicandi de substan-
tia singulari spectat, & in quantum ad cognitionem proprii objecti

pro-

problematis nempe dialectici & reliquorum, quae in Dialectica traduntur, faciunt, expendit. Scilicet quemadmodum triangulum considerat & Geometra & Faber, ille accuratè & demonstrativè, hic verò in tantum, in quantum ad opus fabrile conducit, docente Philosopho lib. 1. Eth. c. 8. Ita quoque Metaphysicus entia eorumq; species & genera quā talia, & exactè secundum propriam rationem & gradum *τῆς ὀρθότητος* considerat; Logicus autem ea non quā entia, sed quā prædicari apta, & ad Dialecticæ cognitionem conducentia evolvit.

§. IX.

Non minus frustra etiam nonnulli librum Categoriarum in specie, in quo de Categoris Aristoteles egit, Metaphysices particulam quandam esse, neque ad Dialecticam pertinere hinc probare volunt, quod aliás sequeretur accuratiū in Dialectica quam Metaphysica de Categoris tractari, quoniam in Categoriarum libro præter singulorum prædicamentorum in suas species divisionem, affectiones quoque & eorum proprietates traduntur, quæ tamen in Metaphysica Aristotelis non exponuntur. E quorum numero præcipue est Mirandulanus antè citatus, qui mancum aliquoquin & imperfectum fore Aristotelem in Metaphysica concludit, nisi liber ille Categoriarum ad eandem pertineret: quoniam libro 5. Metaphysicorum tantum distinxerit nomina multipliciter dicta, non autem explicarit tum illo libro tum alibi essentiam generum istorum aut ipsorum proprietates; in libro autem Categoriarum id præstiterit; proinde ad Metaphysicam vel eam facultatem, quæ entis naturam prout ens est, considerat, librum il um ipsamque tractationem Categoriarum spectare. At facilissimo negotio Mirandulano, & qui ipsum sequuntur hoc in passu, occurri potest. Nam ita quidem est, quod Aristoteles in libro Categoriarum tradat affectiones & proprietates, vel potius consecutaria quædam prædicamentorum, inde tamen neutram sequitur, quod accuratiū, sed contrà potius quod minus accuratè & non observatè *ἀνεξέ�εια* scientifica de prædicamentis egerit. Enimverò substantia & reliquorum prædicamentorum non possunt dari affectiones aliquæ communes, quæ æqualiter & eodem modo omnibus insint, quia non æqualiter sed secundum prius atq; posteriorius, secundum magis & minus de suis inferioribus dicuntur,

§ 2

id quod facilè quivis percipere potest, si singula inspiciat prædicamenta. Inde enim substantia distinguitur in substantiam πρώτως καὶ μάλιστα talem, atque in substantiam δευτέρων vel secundam. Quantum dividitur in Continuum & Discretum, quorum hoc secundum naturam prius est, illud verò secundum naturam posterius quemadmodum etiam Simplicius Comment. in libr. Categor. Aristot. in Categorica quantitatis docet his verbis: *Naturā prius est quantum discretū continuo, tribus enim sublati tollitur trigonum, trigonō autem sublatō non tolluntur tria: Item positi trigonō inferuntur tria, sed positis tribus non statim trigonum infertur, unde & dicunt antiquiores esse Arithmeticam Geometriā, quod numerus magnitudine sit antiquior.* H.J. Non aliter in qualitate potentia naturalis prior est naturā habitu, & sic in reliquis similiter. At verò quæ inæqualiter & secundum prius atque posterius dicuntur, de iis impossibile est tradere communes affectiones, quemadmodum impossibile est talium dari communem & univocam definitionem. Et hinc etiam fit, ut ex ipsæ affectiones, quæ traduntur ab Aristotele in libro Categoriarum, neutiquam sint communes, & æqualiter competentes; imò quedam in se falsæ existant. Sic proprietates istæ: Relata suscipiunt contraria, Relata suscipiunt magis & minus, falsæ sunt, neque relatis omnibus & quæ talibus competunt, sed per accidens & ratione saltem fundamenti quibusdam insunt, quæ scilicet in qualitate fundantur, quemadmodum infra videbimus. Neque Philosophus ipse unquam arbitratus dari posse communes affectiones entium æqualiter omnibus competentes, qui tanquam optimus methodi artifex optimè cognitum habuit, eorum, quæ dicuntur secundum prius & posterius, non dari affectiones communes, sed sic ea tradenda esse, ut ordo & dependentia unius ab altero ostendatur, quemadmodum & in tractatione entis lib. 6. Metaph. & seqq. fecit. Interim tamen exponit in libro Categoriarum affectiones vel potius conlectaria aliqua tum substantiæ tum reliquorum prædicamentorum, ex communi opinione & famositate, ceu intellectu facilia, licet minus universalia, quia in libro isto, utpote Exotericō, πρώτη μαρτυρία & scientifica methodo non progreditur, neque abstrusior notitia ad Dialecticam requiritur. Qvapropter neutiquam de Categoris accuratiū egit in Dialectica, quam Metaphysica (intelligo de

19

de Categoris absolutè spectatis, alias de Categoris quæ talibus ne
quidem agit Metaphysica, quemodum supra vidimus) & per
consequens nec opus est librum Categoriarum vendicare Metaphy-
sicæ, aut doctrinam Categoriarum reducere ad Metaphysicam, sed
veritate adhuc gaudet assertio nostra, Categoriarum doctrinam per-
tinere ad Dialecticam.

§. X.

Sed rursus ita objicit Mirandulanus: Termini, de quibus in Logica agitur, sunt communes & extra prædicamenta, cùm sint affectus sive passiones entis, quod est extra prædicamenta, veluti necessarium, contingens, genus, species, causa, principium, & ejusmodi quæ conueniunt enti ut ens est, non autem propria vel substantia vel alii prædicamento, & proinde ad Logicam prædicamenta non pertinent. Verum quot verba, tot ferè vitia hic occurruunt. Nam (1) dicit terminos, quorum fit mentio, & de quibus agitur in Logica, sive in Dialectica, esse extra prædicamenta, quia sunt affectiones entis, quod est extra prædicamenta; ast falsum est, quod ens sit extra prædicamenta: ipsum namq; ens in decem prædicamenta divisum est, & ratio entis in istis decem prædicamentis continetur. Non enim ens est genus aliquod univocum & propriè dictum, quod supra omnes species est possum, sed est ~~accidens~~ è quod immediate in suas species descendit, nec extra eas considerari potest. (2) Terminos, quos entis affectiones esse dicit, hosce nominat, *necessarium, contingens &c.* at verò adhuc prodandum ei esse affectiones entis, non autem pro indubitate supponendum. (3) Etiam si essent affectiones entis, tamen in Logica non spectantur ut affectiones entis, sed prout prædicationem, propositionem atque Syllogismum ingrediuntur. (4) Non saltem istorum terminorum mentio fit in Logica, sed & aliorum, ut sunt Categoris, relata, qualitas, passio, &c. qui tamen non possunt dici extra prædicamenta esse, cùm sint potius ipsa prædicamentorum species quædam, ut relata, qualitas, &c. (5) Etiam de iis terminis, quos ipse nominat, verum non est, quod sint extra prædicamenta: Genus enim omne itemque species est in aliquo prædicamento, ut docet quoque Arist. lib. 1, Top. c. 9. §. 1. Idem & de causa atque principiò similibusque dicendum. Denique (6) posito eos omnes terminos esse extra prædicamenta; quid inde se-

74
queretur? An quod doctrinae prædicamentorum sit aliena à Dialectica? Nullò pacto. Nam licet non ad istos terminos, ad alia tamen, quæ in Dialectica traduntur, necessaria & utilis esse potest Categoriarum doctrina. Imò necessariam & utilem actu ipso eam esse in superioribus ostensum est. Quare valde straminea est hæc Mirandulani collectio.

S. XI.

Alii hōc ratiocinib. idem evinere laborant: Ad quam disciplinam spectat doctrina Categoriarum, ad eam quoque pertinet doctrina generum & specierum. Atqui ad Dialecticam non pertinet doctrina generum & specierum. Ergo neque ad Dialecticam spectat doctrina Categoriarum. Majorem inde probant, quia Categoriae nihil aliud sunt, quam series generum & specierum; Minorem autem ex 4 Metaph. 2. evincere laborant, eò quod Philosophus ibidem doceat, ad eandem scientiam spectare tractationem entis quæ ens est, & tractationem generis atque speciei, tractationem autem entis, quæ ens est, ad Metaphysicam pertinere, hinc & doctrinam generis atque speciei ad eandem spectare, & proinde à Dialectica alienam esse? Verum quivis facile jam ex iis, quæ §. 7. dicta sunt, percipit, probationem hanc Minoris esse valde clumbem. Non enim idèo, quod doctrina generis & speciei ad Metaphysicam spectat, à Dialectica statim aliena est, quia eandem rem in diversis scientiis diversò modò considerari posse constat. At & quod ad hæc diversus considerandi modus obtinet. Nimirum Metaphysica considerat genus & speciem Φυσικῶς & καὶ Φύσιν, hoc est in se suā natura, prout certa quedam entia sunt, quorum natura pluribus est communis; Dialecticus contra spectat ea λογικῶς & ratione κατηγορεῖς vel καὶ τὸ χῆρα τὸ μετανοητικό secundum prædicandi & enunciandi modum, qui in affirmando & negando subjiciendo & prædicando consistit. Unde & aliter universale, cuius species sunt genus & species, in Metaphysicis aliter in Logicis definitur. Lib. 7. Metaph. c. 13. definit illud Aristoteles, quod sùa naturā optum est multis inesse, quæ est definitio universalis Φυσικῶς spectat; lib. autem de Interpret. cap. 7. §. 1. definit illud, quod naturā aptum est prædicari de pluribus, quæ definitio λογικῶς & juxta prædicandi modum facta est. Igitur plane non sequitur: Genus & species consider-

fiderantur in Metaphysica, ergo non pertinent ad Dialecticam; multò minus quod inde colligitur: Ergo Categoriarum doctrina est à Dialectica removenda.

§. XII.

Videntes alii hōc pāctō Categoriarum doctrinam Dialecticā adimi non posse, alium arietem ei admovent, sic colligentes: Obiectum Dialectices sunt notiones secundæ imponendæ primis. Prædicamenta non sunt notiones secundæ. Ergo Prædicamenta non sunt obiectum Dialectices. Verūm antequam infirmum hunc retundamus arietem, in antecessum quid iis sint notiones secundæ itemque primæ, & quid de iis sentendum, considerare placet. Nimirum notiones primas vocant vocabula, quæ rem ipsam simpliciter exprimunt & significant. v. g. Vox animal, canis, leo, equus, sunt iis notiones primæ, quia simpliciter res aliquas vel entia quædam denotant; notiones autem secundas appellant vocabula technologica seu ab arte facta, quæ non rem absolutè & immediatè, sed ulterius aliquid & quasi ὀπίγωρδν τι significant, ut v. g. genus, species, differentia, proprium, accidens. Ac, ut nobis quidem videtur, incongruè & minus convenienter voces ab iis appellantur notiones: Vocabula enim non sunt ipsa νοήματα seu notiones vel conceptus animi nostri, sed symbola saltem & signa eorundem. Id quod & ipse Philosophus docet, quando lib. de Interp. cap. 1. §. 2. voces παθημάτων σύμβολα i. e. signa conceptuum animi nostri esse dicit: παθημάτα enim ipse postmodum §. 6. per νοήματα seu notiones & conceptus explicat. Et lib. de sensu & sensibili cap. 1. circa finem: Singula, inquit, nomina sunt symbolum, nempe notionum & conceptuum animi. Voces itaq; cum notionibus non erant confundendæ. Notiones vel conceptus sunt fundamentum vocabulorum, vocabula autem imago quædam & εἰκόπωμα quoddam notionum sunt. Unde & non inconcinnè notiones cum gnomone in sciatericō, voces autem cum umbrā de gnomone sparsā comparare possumus. Utrumq; horum indicat horam, sed stylus primariō & tanquam fundamen-tum, umbra autem secundariō, quatenus à gnomone spargitur & effiguratur. Non aliter quoque notiones & conceptus animi primariō res ipsas, quas cognoscimus, nobis repräsentant, voces autem secundariō, quatenus notiones nostras exprimunt.

Restiūs
Graci

Græci Aristotelis Interpretes, quæ illis notiones primæ appellantur, vocabula primi instituti nuncupant. Vocabula enim non significant naturā, sed ex impositione & instituto hominum: hinc quoniam dupliciter rem aliquam concipere possumus, rectè quoque vocabula distingvuntur in primi & secundi instituti, ita ut vocabula primi instituti dicantur illa, quæ ab hominibus instituta sunt ad exprimendos conceptus primos, quos primò de rebus facimus, secundi autem instituti ea, quæ ab hominibus instituta sunt ad significandos conceptus secundos, quos secundò loco de rebus formamus & instituimus, V. g. sumamus animal, hoc primò concipimus ut rem aliquam, seu ut ens quoddam & naturam quandam simpliciter, seu ut vivum sensitivum, & hic est primus conceptus, vocabulum autem, *animal*, quod notionem illam primam denotat, dicitur vocabulum primi instituti. Deinde concipere possum animal ut naturam quandam universalem, seu commune quoddam pluribus, & hic est conceptus secundus, vel notio secunda, vox genus quæ exprimit conceptum hunc secundum, est vocabulum instituti secundi. His præsuppositis facile innescit, quid sibi velint, quando objectum Dialectices dicunt, esse notiones secundas imponendas primis. Nimurum hoc ipso nihil aliud innuere videntur, quam hoc: Dialecticam docere, quomodo probari possit, hoc esse vel non esse genus, proprium, definitionem, speciem, differentiam vel accidens, quæ ab illis vocantur notiones secundæ; sive Dialecticam docere, quomodo probari possit huic vel illi rei, v. g. animali, homini, aut aliis nomen generis, proprii, accidentis vel alias ex ceteris prædicabilibus rectè vel non rectè imponi. Quà ratione neutquam iis in re ipsâ adversamur: utut enim modus loquendi sit obscurus, novus & inconveniens, ac propterea à nobis negligatur, quod ad rem ipsam tamen à nobis non discordant, neque aliud, quam nos Dialectices objectum faciunt, quemadmodum ex §. 2. non potest non esse manifestum. Ostendimus enim jam in eodem objectum Dialectices esse problema; hoc autem quadruplex est, *generis, proprii, definitionis & accidentis*, adeoque Dialectico propositum est ostendere, quomodo & ex quibus locis probari possit, hoc vel illud esse genus, proprium, definitionem, aut accidens, id quod & isti innuant, quando objectum Dialectices dicunt esse notiones secundas

das imponendas primis, seu docere, quomodo notiones secundæ sunt imponendæ primis. Qvanquam enim illis species quoque & differentiæ notiones secundæ audiant, in quæ tamen problema Dialecticum ab Aristotele non dividitur; tamen inde nulla quod ad rem ipsam oritur inter eos & Aristotelem discordia. Nam problema speciei prorsus cum problemate generis coincidit, & capropter distinctam problematis Dialectici speciem non constituit, v.g. si quæram: An homo species sit animalis, idem est, ac si quæram: An animal sit genus hominis. Item perinde est, sive quæram: An alauda sit species avis, an avis sit genus alaudæ? Quod si hoc probetur, illud quoque probatum est. Differentiæ autem problema itidem ad problema generis referuntur, quia valde magnam cum eō habet cognitionem, adeò, ut solō $\epsilon\tau\omega\tau\eta\epsilon\tau\eta$ predicari ab eodem distingvatur, ut docet Alexander Aphrodiseus in lib. 1. Topicorum; & insuper quoque sine genere nunquam potest enunciari, adeoque destruktō genere ipsam quoque destruitur, unde & ab Aristotele $\gamma\epsilon\nu\kappa\eta\tau\eta$, genericum quidpiam appellatur lib. 1. Top. c. 4. §. 2. Proinde sive dicamus, objectum Dialectices esse problema, & quidem quadruplicē, generis, proprii, definitionis & accidentis, sive notiones secundas imponendas primis, quod ad rem ipsam nulla est discordia. Interim tamen inde prorsus non sequitur, Categoriarum tractationem non pertinere ad Dialecticam. Nam problema generis, proprii, definitionis & accidentis, vel, ut illi loquuntur, notiones secundæ imponendæ primis, sunt ipsum primarium & principale objectum Dialectices, ad quod reliqua omnia, quæ in eādem traduntur, revocantur & referuntur. Ita enim in eā de $\epsilon\nu\kappa\eta\tau\eta$ quoque agitur, de propositionum nempe sumptione, æqvivocorum distinctione, & reliquis istius $\epsilon\nu\kappa\eta\tau\eta$ instrumentis; agitur etiam de modo recte interrogandi & respondendi, itemque de Sophismatibus & fallaciis; verū omnia hæc ipsum primarium objectum Dialectices, problemata nimurum generis & reliqua, respiciunt, ut adeò problema sit ipsum proprium & principale Dialectices objectum. At verò id non asserimus de Categorii. Non enim quando harum tractationem ad Dialecticam pertinere dicimus, primarium & principale objectum illius constituere eas statuimus, sed tale quid sātem, sine quo ipsum principale

cipale objectum exacte cognosci & tractari non potest, quodque propterea ad ipsum objectum illud primarium reducitur, & propter illud in Dialetica explicandum est. Hinc collectio ista neutiquam sententiam nostram destruit, quippe cum hanc habeat conclusio-
nenem consequentem: Ergo Categorie non sunt objectum primari-
um Dialetices, quam ambabus largimur manibus. Non enim sunt
ipsum objectum principale & primarium Dialetices Categorie, in-
terim tamen ad Dialeticam pertinent, neque ab eadem propterea
excludenda sunt, nisi & reliqua, quae in ea, prater problemata eo-
rumq; locos, ex quibus vel confirmantur vel destruuntur, tractari
modò diximus, eliminare & exterminare quis ex eadem velit.

§. XIII.

Sed aliud adhuc sententia sua fulcrum superesse sibi putant, quô sic nobis occurunt: Quicunque agit de modis prædicandi, is quoque agere debet de modis essendi. Atqui Dialetica non agit de modis essendi, vel entis. Ergo neque potest agere de modis prædicandi, seu de Categoris. Majorem inde probant, quia modi prædicandi fundantur in modis essendi, & prædicari requirit inesse; minorem autem inde confirmant, quia solus Metaphysicus de modis essendi seu de modis & gradibus entis agit, juxta lib. 4. Metaph. r. Verum hoc fulcrum proflus est debile & infirmum. Nam quod probationem Majoris attinet, quid in ea sibi vult Canon iste, modi prædicandi fundantur in modis essendi, seu dici requirit inesse? Utique nihil aliud quam hoc: Veritatem eorum quæ de aliquo præ-
dicantur, à rebus ipsis, tanquam à fundamento, dependere: tum enim verè aliquid de altero prædicatur, cum in re ipsa id ei inest vel competit, v. g. verè dicitur Socrates doctus esse, quando scientia & doctrinæ re ipsa instructus est, & rerum causas cognitas habet atque exploratas. At quid hoc ad confirmandam majorem facit? An inde sequitur eum, qui agit de modis prædicandi, debere quoque agere de modis essendi, seu de ipsis entibus quod ad propriam rationem ὀντότητας; sive eum qui agit de Categoris quæ talibus, seu ut sunt modi prædicandi de substantia singulari, oportere quoque agere de iis prout sunt entia, & prout diversam entis rationem sustinent? Nulla ratione id inde sequitur. Hoc quidem exinde colligi potest, quod is qui agit de modis prædicandi, tales tradere & ex-

& exponere debeat prædicandi modos, quales in re ipsa fundantur, siquidem veri & minimè ficti esse debeant; ast hoc omnino & sit in Dialectica, quando Categoriae tractantur: non enim ejusmodi prædicandi modos tradit Dialecticus, qui ficti sunt & mera figura chimæra atque entia rationis existunt, sed qui in ipsis rebus fundati sunt. Attamen ut propterea ipsas res ipsa entia in se tractet, eorum principia vestiget, & quam ὀντότητα rationem ad invicem habeant, exponat, quod facit Metaphysicus, id prorsus ab eo exigi non potest.

§. XIV.

Rursus objiciunt aliqui Neotericorum, & dicunt nullam solidam utilitatem Categoriarum esse in Logica, idèò quòd Aristoteles nullib[us] in eadem doceat, quomodo voces seu notiones secundæ ad opus applicari possint, ut loquuntur, sive quomodo voces rebus, quæ Categoris comprehenduntur, aptandas sint, & hinc sequi doctrinam Categoriarum ad Logicam non pertinere, quoniam secus utilitatem aliquam eidem præstaret. Verùm facile collectionis hujus infirmitas patet. Nam quantum ad cognitionem rectiorem Dialectices utilitatem conferat Categoriarum notitia, abunde supra jam ostensum est, neque contrarium illi ollà ratione probant. Dicunt nempe Aristotelem nullib[us] locorum in Logica ostendere, quomodo notiones secundæ ad opus applicari possint, vel quomodo voces rebus appare oporteat. At horum verborum duplex esse potest sensus. Vel hic: Aristotelem non ostendere, quomodo notiones secundæ (loquamus ita cum illis) possint applicari & imponi notionibus primis, vel ipsis rebus, seu quomodo ostendi possit, rem aliquam, v. gr. animal, hominem, rationale &c. esse genus vel speciem vel differentiam, aut simile quid eorum, quæ notiones secundæ ab ipsis appellantur; Vel hæc est verborum illorum sententia: Aristotelem non ostendere, quot sint Categorie, in quibus unumq[ue]dque prædicabile, quæ notiones secundæ ipsis dicuntur, insit, & quomodo in prædicamentis illa collocentur. Ultròvis autem sensu accipiuntur, omni veritate destituuntur. Nam (1) falso est, quòd Aristoteles non doceat in Dialectica, quomodo possimus ostendere, hoc vel illud esse genus, vel speciem vel differentiam, vel proprium vel accidentis: hoc enim totis sex libris mediis Topicorum facit, in qui-

bus locos nobis suppeditat, quibus utrumquodque horum probari potest. Etsi enim speciales locos speciei & differentiae non tradiderit, ex locis tamen generis de specie & differentia quoque argumentari possumus, neque opus est novos dare locos, cum problema speciei & differentiae ad problema generis pertineant, quemadmodum ante jam monuimus. Qyanquam Aristoteles etiam locos quosdam differentiae locis definitionis inferuerit. Deinde (2) falsum etiam est, quod Aristoteles non docuerit, quot sint Categoriae, & quod in iis sint notiones secundae seu praedicabilia: quia hoc partim in ipsa Dialectica lib. 1. Top. cap. 9. partim in ipso libro Categoriarum sufficienter tradidit. Igitur ex eodem capite Categoriarum doctrina à Dialectica removeri non potest.

§. XV.

Sed tandem quoque opera pretium fuerit solvere argumentum aliquod, quò videtur probari posse Categoriarum doctrinam ad nullam prorsus spectare scientiam, & proinde neque ad Dialecticam. Scilicet ita illud deducere aliquis posset: Categoriae complectuntur omnium rerum genera omnia & species omnes; ast nulla scientia potest omnia rerum genera & species omnes considerare eorumque affectiones & proprietates explicare, quoniam omnis scientia particulam saltem entis sibi abscondit, & tractandam sumit juxta lib. 4. Metaph. cap. 1. init. Ergo neque Dialectica potest Categoriarum doctrina tribui. Resp. Certum quidem est, nullam scientiam omnium entium genera & species tractare atque considerare, speciam omnium & secundum propriam rationem atque essentiam: ita enim omnes scientiae in unum conglomarentur, neque plures quam una existeret; ast id nihil impedit, quò minus de omni ente agat scientia aliqua sub communi quādam ratione & consideratione. Sic Rhetorices objectum est problema, ejusq; subjectum sunt res omnes, adeoque circa res omnes versatur, ast non sub ratione propriâ, cuiusque essentiam indagans, sed sub ratione communi, docendo quomodo de omnibus ex verisimilibus perorare atque fidem facere auditoribus valeamus. Pari ratione quando de Predicamentis tractat Dialecticus, res quidem omnes tractat, ast rursus sub ratione saltem communi, quatenus generalem praedicandi modum constituunt, & de substantia singulare vel in quid vel in quale vel alia ratione praedicantur,

dicantur, non verò sub ratione speciali & cuique propriâ de illo agit, omnis substantiæ propriam essentiam investigando, vel omnis quantitatis, omnis qualitatis naturam & proprietatem enucleando: hoc enim pluribus scientiis competit, quarum una hanc, altera aliam rem, secundum rationem propriam examinat. V. g. Physica substantiam mobilem, generabilem & corruptibilem, itemque ingenerabilem & incorruptibilem, Metaphysica immobilem, nempe Deum, & sic conseqyenter. Geometria quantitatem continuum seu magnitudinem, Arithmeticâ discretam sive multitudinem vel numerum, & sic deinceps aliae scientiæ res alias speciatim evolvendas & tractandas sibi sumunt. Neque est, ut excipiat quis & dicat: Etiam si concedatur res omnes sub ratione communi considerari posse ab una aliqua scientia, inde tamen adhuc sequi Categoriarum doctrinam ad Dialecticam non pertinere, quia Metaphysica res omnes sub communi ratione consideret, proinde non posse id tribui Dialecticæ, quoniam secus non solum res considerata, sed & modus considerandi Scientiis pluribus competeteret, quod tamen falsum esse ipsimet docuerimus supra, rem quidem consideratam vel objectum ipsum absolute spectatum in pluribus tractari posse statuentes scientiis, modum tamen considerandi iis esse diversum. Non est, inquam, ut ita quis excipiat. Nam utut tam Dialecticus quam Metaphysicus res omnes sub quâdam communi ratione considerent, non tamen sub eâdem ratione communi eas uterque considerat, adeoque modus considerandi adhuc iis diversus existit, etiam quodammodo eundem considerandi modum habeant, si is generatim spectetur. Ita enim nihil impedit scientias aliquas etiam eundem considerandi modum habere communem, dummodo non simpliciter & per omnia idem existat. Sic namque & Physicus & Politicus & Metaphysicus quodammodo eundem habent considerandi modum, nempe quod methodicè & ordine omnia tractent, item quod universalia non verò singularia spectent; nihilominus tamen pròpterea scientiæ eorum non confunduntur invicem, sed manent distinctæ: quia licet quodammodo in considerandi modo convenient, nempe in eô, qui omnibus scientiis, si scientificè tradendæ sint, communis est, tamen simpliciter non eundem habent considerandi modum, sed præterea quisque sibi peculiarem. V. g. Physicus considerat hominem ut speciem substantiæ mobilis, Metaphysicus ut speciem entis, Po-

liticus verò tanquam eum, qui civiliter beatus est, & sic consequenter. Item Dialectica & Rhetorica habent idem objectum, nempe problema de rebus omnibus lib. 1. Rhet. c. 1. habent quoque eundem quodammodo considerandi modum, dum utraque non ex propriis principiis rem tractat, sed ex iis, quae de ea videntur hominibus, ipsæ tamen hæ scientiæ non confunduntur propterea, sed manent diverse & à se invicem distinctæ, quia speciali tractandi modò differunt. Habent enim diversum finem, Dialectica quidem opinionem, Rhetorica verò fidem, finis autem diversus diversum quoque considerandi modum gignit. Hinc namque Dialecticus res omnes ita considerat, ut doceat ejusmodi probabilia venari, quibus mediantibus possit produci in alterius animo opinio, qualia in primis sunt ea, quae videntur viris sapientibus: Dialecticus enim auditor, cui opinionem imprimere querit Dialecticus, ad accuratam & scientificam veritatis cognitionem disponi vult, & hinc magni facit ea, quae scientibus atque sapientibus videntur, proindeque per ea commodissimè opinio aliqua ipsi ingeneratur, quâ ad scientiam disponatur. Rhetor verò res omnes ita considerat, ut doceat ejusmodi vestigare probabilia, quibus civibus fiat fides, qualia sunt potissimum ea, quae videntur omnibus, vel viris prudentibus: hæc enim facile cives de Republ. deliberantes admittunt, & proinde per ea optimè Rhetor iis fidem facere potest, sive finem suum consequitur. Unde constat satis, quod & quomodo finis diversus diversum considerandi modum constitutus. Non aliter autem, ut ad præsens institutum redeam, & cum Dialectica atque Metaphysica se ferent res habet: utraque hæc quodammodo quidem eundem considerandi modum habent, quó entia omnia Categoriarum ambitu comprehensa expendunt, nempe generalem, secundum quem utraque res omnes considerat, non speciatim & secundum propriam essentiam, sed sub ratione aliquâ communâ; nihilominus tamen distinctum habent considerandi modum speciale, secundum quem sub alia ratione communâ Metaphysicus, sub alia Dialecticus entia omnia considerat: nempe Metaphysicus sub ratione communâ ἐντεκτος, Dialecticus verò sub communâ ratione κατηγορίας sive prædicationis ea expendit, & per consequens manent distinctæ scientiæ Dialectica atque Metaphysica, & recte utriusque tribuitur Categoriarum tractatio, ea nempe cum distinctione, quam & modò & supra jam exposuimus.

CAPUT

CAPUT II. DE DEFINITIONE CATE- GORIARUM.

§. I.

UBI sic constat ad Dialetticam spectate formalem Categoriarum doctrinam, sequitur, ut quid ea sint exactius inquiramus. Haud felicius autem in cognitionem hujus rei perveniemus, quam si Gracos de voce hac consuluerimus. Propter itaque κατηγορίαν veteribus Græcis, idem est atque accusatio, & κατηγορεῖν idem atque accusare vel criminis reum quempiam agere. Κατηγορία, inquit Jul. Pollux Lib. VIII. Onomast. cap. VI. τὴν ταυτὸ τέτοιη κατία, καὶ ὡς Πλάτων αἰτίασις καὶ διώξεις κατηγορεῖν αἰτιάσθαι, διώκειν καὶ ἐνθύνειν, hoc est, κατηγορία nihil aliud est, quam criminis postulatio, & ut Plato (loquitur) expostulatio atque persecutio: κατηγορεῖν autem expostulare, persecuti, rem agere. Similem in modum Svidas in Lexico: κατηγορίαν ἔχει, ait poni ἀντὶ τοῦ κατηγορεῖσθαι, pro accusari, quodque illud verbum hoc significet, ex Demothene patere ait, apud quem haec leguntur in Corona: κατηγορεῖ δὲ, h. e. accusat autem ipsos Callixenes Demagogus, Sycophanta. Et Herodianus voce κατηγορεῖν hoc sensu utitur lib. III. c. VIII. n. XI. quando de Severo scribit: Άνελθόν τε εἰς τὸν βασιλεῖον θρόνον πικρῶς κατηγορεῖσθε τὸν Αλέινο φίλον, Et sedens imperatoria sellā accusare insit truculentā oratione Albini amicos. Item Lib. VI. cap. IX. num. I. ubi cum voce αἰτιάσθαι permittat sic inquiens: τέτοιο Μαξιμίνῳ ὡς αἴπεις καὶ ἀχαρεῖς κατηγόρει -- τέτοιο τενίας συσεξτιώτας ήτιάτο ὡς πεπετάσ καὶ θηρόρχως ταῦτα τετολμητός, Nunc Maximinum ut ingratum & perfidum accusabat (Alexander) -- nunc tyrones arguebat, qui neglegētō sacramentō adeō prorerviter id faciūt audenter. Thucydides quidem Lib. I. αἰτίαν & κατηγορίαν ita distingvit: Αἰτία μὲν γὰρ φίλων ἀνδρῶν ἐστιν αἱραγρανότων κατηγορία ἢ ἐχθρῶν αἱριησάτων, h. e. αἰτία est de amicis non functis officio, κατηγορία vero de hostibus, qui affecerunt injuria; utraque nihilominus vox illa accusationem

sationem designat, ut ad eō κατηγορία propriè accusationem denotet, quod & Budaeus initio statim Comment. suorum Lingvæ Graecæ annotat his verbis: *In criminibus publicis, que δημόσια ἀδικήμata vocantur, accusations κλιτοῖς οὐ γεγραπται οὐ interdum διηγdicuntur, οὐ is, qui accusator erat, his ferè vocabulis apud Oratores significabatur, οὐ διώκων, οὐ κείμων, οὐ κατηγορῶν, οὐ ἐνθύμων, οὐ αἰτιώματος, οὐ γεγράμματος*, unde vocabula accusationis κατηγορία, διώξεις, ἐνθύμη, αἰτία, κείσις, γεγράφη. H. I.

§. II.

Hinc autem voces istæ in forum Philosophicum traductæ sunt, sicut & Dexippus ait, quod Aristoteles vocem κατηγορίας ex foro in Lyceum transtulerit. Ita quippe in more erat possum veteribus, ut non facile nova fingarent vocabula, sed ex aliis scientiis aut facultatibus mutuò accepta ad suam artem transferrent, rebusque ei subjectis accommodarent, quod hæ istis rebus, quarum illa nomina propria erant, aut similes essent, aut proportione respondebant, aut aliam quandam cognitionem & affinitatem cum iis haberent. Posset hoc exemplis vocum ἀναλύντων συλλογισμοῦ, Φενδογεράματος, περιτέρως, περιβλήματος, ὅρę & sexcentis aliis declarari, nisi aliunde id jam constare exploratum haberemus. Quocirca similem in modum ē foro civili in Scholam & Philosophiam vox κατηγορίας atque κατηγορῶν assumpta est, & quidem sic ut κατηγορῶν idem sit atque prædicare sive affirmare, vel nomine quoddam significare. Ita namque Aristoteles I. Post. XXII. §. 4. Quodsi, inquit, nomina ponere licet, hōc modō dicere, v.g. hominem ambulare, esto κατηγορῶν attribuere vel prædicare, id est, affirmare aliquid de aliquo; & quidem succinctè ac rotundè ad morem eum, qui in judiciis & accusationibus usitatus est, ubi omnis prolixitas litigantibus præscinditur, unde & categoricè respondere idem est, juxta communem loquendi usum, quod breviter & nervosè sine ultra tergiversatione expedire. Et Lib. I. Phys. IV. §. 9. Αὐτόχθον ἡ λαβεῖν τοῖς λέγουσιν ἐν τῷ ὃν ἔναι μὴ μόνον ἐν σημαντὶ τῷ ὃν, καθ' ἣν κατηγορεῖται καὶ οὐ περὶ ὃν ηὔ οὐπερ ἐν, Necesse igitur est, ut qui dicunt ens esse unum, non solum sumant ens significare unum de quo prædicetur, sed etiam sumant, quod est propriè atque essentialiter ens, οὐ quod est propriè atque essentialiter unum.

Item

Item I. Metaph. VII. ἔτι δὲ τῶν περὶ οὐκετίους ἔσται, ὡς ὅλη μα-
θητικωτέραι, ἄντις τολμάσοι καὶ μᾶλλον κατηγορεῖσθαι. Item
subiectam substantiam, ut materiam magis mathematicam quis pro-
fectò putaverit. Et magis prædicari --. Atque sic in locis aliis infi-
nitis passim. Themistius quoque in I. Post. Anal. Τέτο δὲ διορίσω-
μενος ποσαχὸς λέγειν καὶ συμβεβηκός ἐτερού ἐτέρος κατηγορεῖσθαι.
Hoc autem definiamus quod modis dicatur alterum de altero per ac-
cidens prædicari. Et rursus: Αλλὰ καὶ συμβεβηκός συμβεβηκό-
ται κατηγορεῖσθαι. Sed et accidens de accidente prædicatur. Nec
aliò sensu vocem hanc usurpat quoque Philosophus in Lib. de Mun-
do, quando ita scribit: Θεόφερος μὲν τοι φυσι τὰ την γῆν τοι
καὶ φύσειν τὰ κόσμος κατηγορῶντας τοι τεττάρων απάριθμην,
hoc est, Theophrastus dicit eos, qui ortum eum atque interitum affirmant, quadruplici ex
capite abernare.

§. III.

A verbo autem κατηγορεῖν hōc sensu sumptō, nomen quoque
κατηγορία descendit in foro Philosophorum, & quidem geminam
in Aristotele consecutum est significationem. Initio idem ipsi κα-
τηγορία aliquando est quod αγόρευσις τινῶν κατά τινῶν, hoc est,
affirmatio alicujus de aliquo, quomodo vocem hanc capit inter alia
& Lib. I. Post. cap. XX. dum ita ait in principio statim: ἔτι μὲν οὐκ
μεταξὺ τοῦ ἀνδρέας ἀνδρεῖς εἴναι, εἰ οὐτὶ τὸ κάτω καὶ τὸ ὄντο
ἰσανταί αἱ κατηγορίαι δῆλον, Quod autem media non possunt esse
infinita, si iam decorsum quam sursum versus attributiones seu prædi-
cationes constanter, manifestum est. Deinde vero interdum voce κα-
τηγορίας intelligit ipsum quandam modum affirmationis atque præ-
dicationis, qui Latinis prædicamentum dicitur, (quoniam multi
per classes rerum non vero modos prædicandi prædicamenta desi-
niant ut post videbimus) veluti quando secundum Categorias entis
significata dislingvi afferit, Lib. I. de anima cap. VII. §. 3. sic inqui-
ens: Præterea cum id, quod est, multipliciter dici soleat: quoddam
enim substantiam quidem, quoddam quantitatem aut qualitatem, &
nisi tunc ἀλλην τὸν Διοριστὸν κατηγορῶν σημαίνει, aut aliquam
aliam ex divisis (alibi) Categorias, sive prædicamentis, significat.
Et lib. III. Phys. c. 1. §. 2. Est autem aliquid quod est actu tantum,

aliud quod est potestate & actu: quod partim est hoc aliquid, partim tantum, partim talc, καὶ ὅτι τὸν ἀλλων τὸν τὸν οὐχ οὐτηγοεῖσθαι μόις, & similiter in aliis entis Categoriis. Itemq; Lib. XII. (al. XIV.) Metaph. cap. II. Quoddam enim, inquit, (ens est) quia substantiam significat, quoddam quia quale, quoddam quia quantum, καὶ τὰς ἄλλας δὲ οὐτηγοεῖσθαι. & reliqua queque predicamenta. Et post aliqua ibidem: At multò magis, ut dictum est, si quaestuisset quomodo multa entia sunt, μὴ τὰ ἐν τῷ αἰώνιῳ οὐτηγοεῖσθαι, non que in eodem predicamento. Confer. Lib. I. Topic. cap. IX. Lib. I. de anima cap. I. Lib. VI. Metaph. II. & III. Lib. VII. cap. I. IV. IX. Lib. XIV. (al. XII.) cap. IV. & alia loca plura passim, in quibus hōc modō vocem οὐτηγοεῖσθαι usurpat. Verba ipsa in Contradictionibus apparentibus Aristotelis §. 13. allegavimus.

§. IV.

Atque hōc etiam in sensu posteriori eandem nos hoc loco capimus, quando DEFINITIONEM CATEGORIARUM querimus: Colligi ea facilē poterit, si & ea quæ paragrapho præced. dicta sunt attenderimus, & Loca adhuc quadam Philosophi nostri consideraverimus, in quibus brevibus eas nobis describit atque adumbrat. Nimurum Lib. V. Metaph. cap. VII. Χήματα eas esse dicit τῆς οὐτηγοεῖσθαι, id est, figuræ vel modos prædicationis. Verba integra sic sonant: οὐδὲν τὸ ἐναὶ λέγεται στάχερ σημαῖντα τὰ Χήματα τῆς οὐτηγοεῖσθαι. στάχεως γδὲ λέγεται τοσαύταχεως τὸ ἐναὶ σημαῖντα, Per se verò esse (vel entia) dicuntur, quæcumq; significant prædicationis figuræ, hoc est, Categorias. Quoties enim (hæc) dicuntur, toutes ipsum esse significat. Et Lib. VI. c. II. Sed cum ens illud, inquit, quod simpliciter dicitur, multipliciter dicatur, quorum unum quidem erat, quod secundum accidens, aliud verò quod ut verum, & non ens ut falsum: οὐδὲ τάντα δέ ἔστι τὰ Χήματα τῆς οὐτηγοεῖσθαι, οὐν τὸ φῶν τὸ δὲ ποιὸν τὸ δὲ ποσὸν τὸ δὲ πώ τὸ δὲ ποτε καὶ ἔτι ἄλλο σημαῖντα τὸν τρόπον τέτον, Prater hac autem sunt prædicationis figuræ, ut quid, quale, quantum, ubi, quando, & si quid aliud hoc modo significat. Quibus in locis etiam vocabulum οὐτηγοεῖσθαι priori simul sensu à Philosopho capi in transitu notari potest. Constat itaq; ex his, Categorias esse certas aliquas figuræ prædicationis. At verò quicquid prædicatur, id de subjecto aliquo prædicatur: unde & Categorie

goriae subjectum suum obtinebunt de quod prædicitur. Subjectum hoc primò tale est ipsa substantia singularis, quemadmodum & Aristoteles ipse haud obscure innuit, quando sic Lib. I. Phys. cap. III. §. 3. ait: ἐδὲν τὸν ἄλλον χωρίον εἰσὶ τῷδε τὸν ἔστιαν. πάντα τὸ καθ' ὕποκρήψις λέγεται τὸ στιας, Nihil enim aliud separabile est, vel separatim existeret potest, præter substantiam (primum) quoniam relqua omnia de subiecto, substantia, dicuntur. Et hanc quoque de causâ enumerans Categorias non dicit esse eas τὸσιαν ποιητικα, ποστοντικα, &c. id est, substantiam, quantitatem, qualitatem &c. sed in concreto esse eas vel τι vel ποστὸν vel ποιὸν &c. quid, quantum, quale, Lib. I. Topic. cap. IX. VII. Metaph. cap. I. quoniam nimirum prædications de substantia singulari non sunt in abstracto sed in concreto: non enim Socrates dicitur ipsa humana natura, sed homo, non magnitudo, sed magnus, non sapientia, sed sapiens, & sic consequenter. Dicuntur vero de substantia singulari genus quoque species & omnia in universum prædicabilia, adeoque & hæc sunt modi aliqui prædicandi de eadem, à quibus ut discernantur Categoriarum, concipienda hæc sunt cœu modi generales atque universalissimi prædicandi de substantia singulari, cùm τὰ κατηγορεῖσθαι seu prædicabilia sint modi quidam speciales, ex quo capite etiam expressè ab Aristotele in Categoriorum collocantur, quando ita I. Top. IX. §. I. ait: μὲν τοιων τῶντα, δὲν διορίσασθε τὰ γένη τῶν κατηγορῶν, τὰ διαφέροντα αἱ φυσικαὶ τέτταρες Διαφοραι, Post hac igitur definire oportet genus Categoriarum, in quibus insunt dicta quatuor differentie, problematum nempe Dialecticorum, genus, proprium, definitio & accidens. Quocirca si haec tunc dicta in unum combinare placet, hæc inde Categoriarum resultabit definitio; Κατηγοριαὶ εἰσὶ χήματα τῆς κατηγορίας καθόλε γηγενὰ περὶ τὸν ἔστιαν τρόπον, Categoria sunt modi prædicandi universales atque generales de substantia singulari vel primâ.

§. V.

Neque vero est, ut offendat quenquam vox χήματα in hac definitione, quæ Genus Metaphoricum constituere videtur: nam cùm definitum ipsum sit metaphoricum, & voce translata è foro exprimitur, quid mirum, si & genus illius voce translatitiæ atque meta-

phorica constet? Scil. propriè quidem vocabulum hoc in Geometria cessitat, & sic ea definitur: *Figum est, quæ sub aliquo vel aliquibus terminis comprehenditur, ut sunt superficies & corpora solida, quæ sola figura nomen sustinent, cùm linea proprie punctis extremitis comprehendendi dici non possit, quoniam puncta lineam non ambient, sed potius punctis terminari dicitur; superficies autem & corpora solida vel unde terminò comprehenduntur, ut sunt circulus, Sphæra, Sphaeroides, & alia hujusmodi, vel pluribus terminis inclusa sunt, ut triangulum, quadrangulum, cubus, pyramis &c.* At verò postmodum ad scientias alias ab Aristotele vox hæc translata est, & modò pro dispositione certà syllogismi in communicatione duarum propositionum penes unum medium terminum consistente sumitur in Analyticâ, modò etiam in communi idem ipsi est quod modus, veluti Lib. Soph. Elench. cap. IV. alibique passim. Et ita quoque hòc locò in definitione Categoriarum eandem usurpat, adeoque cùm usitata jam sit in foro Philosophico hæc vocis significatio, sine vitio eadem etiam in definitione Categoriarum adhiberi potest. Neque etiam inde, quòd definitur modi τῆς κατηγορίας definitum ingredi definitionem quis arguat: quoniam vox hæc κατηγορία duplicum habet significationem, modò ipsum prædicamentum, modò verò prædicationem vel affirmationem designans, quemadmodum ex §. III. jam constat; at priori sensu hòc locò definitum existit, posteriori autem pars definitionis, adeoque nequaquam ipsum definitum in definitionem ingredi, inferre licet, etiam si vox illa, quæ aliò sensu ipsum designat definitum, in eandem ingrediatur.

§. VI.

Nihilominus tamen non esse definitionem hanc Categoriarum strictè sic dictam & univocam, quæ ἐσάντως & æqualiter de omnibus sub definito contentis dicatur, sed descriptionem saltē, ultrò largimur. Enimverò ipsum definitum non est univocum, sed commune aliquod *τοῦτο* est, quod de inferioribus suis secundum prius & posterius dicitur, secundum prius de substantia, secundum posterius de quantitate, qualitate & reliquis; imò ipsa substantia, quantitas, qualitas, & cæteræ Categoriarum species, singulæ rursus secundum

eundum prius & posterius dicuntur, sive prius & posterius in iis
 datur, quemadmodum inductione omnium facile manifestari potest.
 Nam (1) in substantia alia utique est prima, alia secunda (2)
 in quantitate aliud continuum, aliud discretum, quorum hoc secun-
 dum prius tale est. Positò enim trigonò v. g. ponuntur etiam tria
 vel numerus ternarius; at positò numerò ternariò, non statim etiam
 ponitur trigonum, licet illò sublatò hoc quoque tollatur. Id au-
 tem, quò positò non statim ponitur alterum, eò autem sublatò tol-
 latur alterum, prius naturā dicitur, juxta Libr. Categor. cap. XII.
 §. 3. (3) in qualitate potentia naturalis prior est habitu (4) in
 Relatis relatio realis magis talis est relatione secundum dici, & re-
 latio filii, sive ut aliquis filius sit, prior est relatione, quā quis vult
 dici pater: oportet enim prius quemque esse filium, si velit post-
 modum esse pater. (5) in actione & passione augmentationis a-
 ctione & passione prior est actio & passio alterationis, hujus verò
 actione passioneque prior est actio & passio lationis seu motus loca-
 lis. (6) in Qvando dies prior est mense, mensis anno, annus lu-
 frò &c. (7) in Ubi domus prior est pagò, pagus civitate, hinc
 & esse in domo prius est nō esse in pago, & esse in pago prius est
 nō esse in civitate. (8) in Situ naturalis situs prior est voluntariò,
 (9) in Habitū prius est esse indutum indusiò, quām esse indutum
 chlamyde &c. Qvum autem definitum sit commune ~~τοις~~ ēv, &
 dicatur secundum prius & posterius, hinc univoca ejus definitio dari
 non potest, sed & ipsa de uno secundum prius, nempe de substanciā,
 de altero secundum posterius, nempe de quantitate, qualitate
 &c. dicitur: Secundum prius enim de substantia singulari prædicantur
 substantiæ secundæ, quæ prædicamentum substantiæ constituent,
 secundum posterius autem quantitas, qualitas & reliqua prædicamen-
 ta, adeoque perfecta & omnibus numeris absoluta seu univoca
 hæc definitio minime existit, talis tamen, qualem rei definienda na-
 tura patitur, quāque meliorem suppeditare haud licet.

§. VII.

Malè igitur à quibusdam Neotericorum definitiuntur prædicamen-
 ta, quòd sint classes rerum per genera, species & differentias.

70

dispositorum. Initio namque in hoc delinqunt, quod univocam
hoc modò definitionem omnibus se Categoris assignare opinentur,
quod tamen vel ex ipsorummet hypothesi falsum est: Concedunt
quippe Categorias esse genera generalissima, quæ suprà se non ha-
bent genera; ast quod nulli generi subjectum est, quomodo pro-
priè & univocè definiti possit? Ex differentiis utique & genere
constat definitio, Lib. VI. Topic. cap. VI. §. V. Unde & Boëthius:
Predicamentorum, inquit, definitiones inventri non possunt, idcirco
quod ea, quæ significant, generalissima sint. *Sustantia enim & quan-*
titas & qualitas nulli unquam generi videntur esse subjecta, quare,
quoniam omnis definitio à genere dicitur, genus, quod alii generi
subjectum non est, à definitione relinquitur. H. I. Deinde verò ne-
que ipsa illa quam suppeditant descriptio, vel rei veritati vel Aristoteli,
cujus dictum se sequi asserunt, consonat. Et quidem quod à
sententia Aristotelis abeat, vix alicui dubium esse potest. Enimve-
rò huic Categoria nihil aliud est, quam modus prædicandi de sub-
stantiâ singulari, ut vidimus; ast quomodo hoc ad classes rerum,
quæ neque sunt prædicationes alicuius de aliquo, neque modi gene-
rales, quibus aliquid de aliquo prædicatur, applicari potest? Idem
quoque in Lib. Categor. Categorias refert ad ea, quæ $\tau\eta\mu\eta\delta\eta$
 $\mu\eta\pi\mu\lambda\omega\eta\eta$, sine ullâ complexione & conjunctione dicuntur,
quæ singula in se accepta neque verum neque falsum significant,
cùm verum & falsum in compositione $\tau\eta\eta\delta\alpha\omega\eta\eta$ consistat Lib.
VI. Metaph. cap. ult. Ast quomodo hoc rursus classibus rerum ac-
commadari potest? Res utique & earum classes non dicuntur vel
prædicantur, sed voces res significantes. Veritati autem rei non
congruit definitio hæc non und ex capite. Nam I. hoc quidem
facile iis largimur, in prædicamentis dari ordinem vel classem quan-
dam inter genera & species, quæ alterum alii subordinatur usque
ad genus summum, v. g. in prædicamento substantiæ continetur
luscinia avis & animal, & quidem luscinia subest avi, avis subest
animali, animal ipsi generi summo, substantiæ; ast ordo iste ita mi-
nimè comparatus est, ut essentiam ipsam Categoriarum constituat
ipsoque per eundem definitur: nam & in causis datur ordo ali-
quis, quod naturâ prior est finis & forma, posterior autem materia
& effi-

71

& efficiens ; attamen propterea nemo causam per classem vel ordinem definivit. Quare nec prædicamenta licet ordine quoddam gaudent, sine vitio per ordinem definiri possunt. Inde & Aristotelii ordo iste, qui in Categoris obtinet, non *κατηγορία* sed *συστοιχία* appellatur, Lib. IV. Metaph. cap. 2. Deinde II. Si classis & ordo rerum per genera, species & differentias sub & supra dispositarum essentiam Categoriarum constituit, utique quando in Dialectica de Categoris agitur, res omnes earumque genera, species & differentiae erunt suis cancellis & classibus includenda ; ast hoc (1) neque faciunt ipsi illi, qui ita prædicamenta definiunt. (2) neque opus est, sed à Dialectica etiam alienum existit : sufficit enim Dialectico scire, quot sint summa rerum genera, sive quot sint modi prædicandi generales, & quot corundem species, quæque singulorum differentiæ existant ; neutquam autem necessum est res singulas suò ordine sibi invicem subordinare, inque classibus suis collocare. Imò verò (3) ne quidem entium natura fert, ut in ejusmodi classes & ordines dispelci possint, utpote cùm non sint genera univoca, sed πολλαχος λεγόμενα, nec entia sub generibus sibi invicem subordinatis ponи queant, cùm nimia sit eorum varietas, & diversa genera non subalterna in eodem prædicandi genere occurrant ; at generales de substantiâ prædicandi modos suppeditare omnino licet, idque solum facit Dialecticus. Denique III. si prædicamenta sunt diversa rerum genera, vel classes earum, different utique inter se, ut res & res, id est, realiter atque subjecto, quod tamen verum non est : actio enim & passio non differunt ut res & res, sed unus idemque numerò motus, v. g. calefactio dicitur & actio, quatenus proficiuntur à principiō agente, & passio dicitur, quatenus recipitur à paciente. Repugnat itaque hæc definitio ipsis Categoris, quas statuunt, & proinde vel ex hoc capite merito rejicitur.

§. VIII.

Non minus & propterea carbone notari inepta hæc Categoriarum definitio meretur, quod ex eadem monstroso illa Porphyrii arbor, quam Prædicamento substantiæ insérere solent, promanarit, & quæ ita sonat :

S. 8.

| | |
|---------------------|---------------------------|
| | <i>Substantia</i> |
| <i>Spiritualis</i> | <i>Corporeæ</i> |
| <i>Corpus</i> | |
| <i>Simplex</i> | <i>Mixtum</i> |
| | <i>Mixtum</i> |
| <i>Inanimatum</i> | <i>Animatum</i> |
| | <i>Vivum</i> |
| <i>Non sentiens</i> | <i>Sentiens</i> |
| | <i>Animal</i> |
| <i>Irrationale</i> | <i>Rationale</i> |
| | <i>Homo</i> |
| | <i>Petrus vel Paulus.</i> |

Quām infelices enim fructus infausta hæc protudat arbor, facile parebit, si eam paulò accuratiùs consideraverimus. Scil. I. ut alia plura brevitatis studiò omittamus, radix arboris mala est: supponit enim substantiam ut & reliqua prædicamenta esse genera univoca, sub quibus omnes substantia & genera & species substantiarum collocari ac disponi queant; at hoc veritati restringè adversatur: substantia enim ut & reliqua prædicamenta non sunt genera propriè dicta, sed genera *τοις εἰς ταῖς ὕστερον καὶ ὑπερόν* de suis inferioribus dicuntur, ut ex præcedentibus jam patet. Deinde II. Rami quoque non firmò nituntur talò, sed multum sunt truncati: innituntur enim divisioni per *διχοτομίαν* continuam procedenti, quæ tamen ubique locum habere non potest, & præterea quoque multa subinfert absurdia. Nam (1) facit *διχοτομία*, ut membra divisionis non exæquent divisum, sed plura continentur sub divisò quām quidem divisio exhibet, cùm tamen omnis divisio adæquata esse debeat suo diviso, juxta Lib VI. Top. cap. VI. Sic Philosophiam dividunt in Theoreticam atque Practicam; at divisio hæc est imperfecta: datur enim & Effectiva Philosophia. (2) facit etiam *διχοτομία*, si promiscuè omnibus rebus adaptetur, ut differentiae exsurgant negativæ vel privativae: uti in hac arbore videre est, in qua Vivum dividitur in non sentiens & sentiens, ubi prior differentia negativa est, item animal in rationale atque irrationale, ubi posterior privativa est; at differentiam esse negativam vel privativam, absurdum est, quia ingreditur definitionem rei, quæ explicitat

explicat quid res sit, non autem quid non sit. Denique III. neq;
truncus arboris hujus, ejusque partes cohærent: ponitur enim ani-
mal sub corpore tanquam genere suo, cùm tamen corpus nullò mo-
dò animalis genus esse possit. Nam 1. genus omne de specie suā
prædicatur in quid est, ita ut species sit illud ipsum quoddam; at
ita non prædicatur corpus de animali: non enim animal est ipsum
quoddam corpus, sed habet corpus sive est corporeum. 2. Corpus
sæltem pars est animalis; jam autem nulla pars potest genus esse e-
jus rei, cuius pars existit. Sic enim manus vel pes nequit esse Ge-
nus corporis. Vid. Lib. IV. Top. cap. V. 3. Nullum genus παρονό-
μως prædicatur de specie suā: Sic enim albedo non dicitur colora-
ta sed color; at corpus prædicatur de animali paronymicè: Animal
enim à corpore dicitur corporeum. Quapropter merito monstrum
hoc arboris relinquimus, & unde ea progerminavit, definitionem
monstrofam.

CAPUT III. DE GENUINO CATEGORIARUM NUMERO.

§. I.

SIC perspecta natura atque definitione Categoriarum, proximum
est, ut de genuino eorundem numero dispiciamus, & quot
in universum existant, inquiramus. Ingens autem inter anti-
quos de Categoriarum sufficientia semper fuit dissidium, neq;
unanimis de èa Neotericos inter consensus est, sed alii alium eum-
que diversissimum earundem numerum proponunt. Plato ex anti-
quis facilè Princeps in Philebo quidem, sive Dialogo de Summo
Bono, ad quatuor genera omnia revocare entia, in Sophistè autem
sive de ente, itemque in Parmenide sive de uno, ens commune
omnium eorum, quæ sunt, genus esse existimans, unam ca-
tégoriam unicum prædicamentum, ipsum nempe ens constituere di-
citur. Post Platонem Xenocrates & Andronicus duo consenserunt
prædicamenta, dividentes res omnes in PER SE & IN ALIO, sub-
stantias

stantias quidem res per se vocando, accidentia vero res in alio, teste Simplicio Comm. in Lib. Categ. Stoici, eodem testante, quatuor posuere Categories, substantiam, quale, quomodo se habet, & quomodo se habet ad aliud. Nicostratus novem viis est facere praedicamenta, quia actionem & passionem sub uno, nempe sub motu posuit, memorante Simplicio l. c. Aristo & Archytas aliquae Pythagoraeorum decem statuebant, idque ex hoc capite, quod numerus denarius omnium esset perfectissimus. Ex recentioribus & Neotericis alii quatuor solum recipiunt, substantiam nempe, quantitatem, qualitatem, & ad aliquid; alii novem, alii octo, illi Ubi ad quantitatem, hi vero & Ubi & Qvando ad eandem referentes: alii denique è Scotistarum familiâ undecim asseruerunt, decem istis communibus Pythagoraeorum addentes undecimum pro notionibus secundis seu entibus rationis, ut loquuntur. Ex his autem omnibus optima est Pythagoraeorum sententia, quam propterea etiam ipse Aristoteles recepit, & cum eò Peripatetici genuini ad unum omnes. Ut autem nobis constet, genuinum & sufficientem esse denarium istum Categoriarum numerum, paulo accuratiu[m] in hanc rem modo inquirere animum induxi.

§. II.

Vix autem melius succedit propositum nostrum, quam si quid Categoria, que prædicamentum Latinis dicitur, existat, excutiamus. Id quod nequitiam ex Recentioribus & Latinis haurire possumus, utpote quorum plerique hujus rei rationem minus recte assignarunt, sed ex antiquioribus potius Græcis, quorum hie prævalere debet autoritas, cum illi, qui primi nomina rebus dederunt, procul dubio etiam rationem reddere impositionis nominum optime noverint. Propriè itaque κατηγορία veteribus Græcis, quippe à quibus originem duxit, idem est quod accusatio, ut κατηγορεῖ idem quod accusare vel criminis reum quempiam agere. Κατηγορεῖ, inquit Jul. Pol. lib. VIII. Onomaſt. cap. 6. nihil aliud est, quam criminis postulatio, & ut Plato, expostulatio & persecutio, κατηγορεῖ autem est postulare, persecuti, reum agere. Similem in modum Svidas in Lexico: κατηγορεῖ ἔχει, ait poni ditti τὸ κατηγορᾶσθαι pro accusari, quodque illud verbum hoc significet, ex Demosthene patere ait, apud quem, haec leguntur in Corona: κα-

τηγο-

κατηγορεῖ δὲ, accusat autem ipsos Callixens, Demagogus, Sycophaṇa. Hinc autem voces istae in Philosophiam traductæ sunt, sicut & Dexippus ait, quod Aristoteles hanc vocem in Lyceum translulerit. Ita namque in more erat veteribus positum, ut non facile nova fingerent vocabula, sed ex aliis scientiis atque facultatibus mutuò accepta ad suam artem transferrent, rebusque ei subjectis accommodarent, quod hæ istis rebus, quarum illa nomina propria erant, aut similes essent, aut proportione responderent, aut aliam quandam cognitionem vel affinitatem cum iis haberent. Posset hoc exemplis vocum ἀναλύει συλλογισμός, Φεύδος εφίματος, αεράτεως, αερβλήματος, ὄρες & sexcentis aliis declarari, nisi aliunde hæc jam constare exploratum haberemus. Ex foro itaque in Scholam & Philosophiam vox κατηγορεῖς atque κατηγορεῖν assumpta est, & quidem sic ut κατηγορεῖν idem sit atque prædicare sive affirmare, indicare, vel nomine quoddam significare. Quod sensu Philo ait in libro de mundo: *Theophrastus aicit adversus illos, τὸ κόσμος κατηγορεῖται, qui de mundi ortu & interitu prædican, id est mundum ortum & interitum quicq; esse affirmant.* Neque aliter ab Aristotele vox illa accipitur I. Post. XXII. §. 4. *Quod si, inquit, nomina ponere licet, hōc modō dicere, v.g. hominem ambulare, esto κατηγορεῖν attribuere vel prædicare.* *Κατηγορεῖς* autem est prædicari vel affirmari de aliquo, & quidem succinctè ac rotundè ad eum morem, qui in judiciis & accusationibus usitatus est, ubi omnis prolixitas litigantibus præscinditur, unde etiam respondere categoricè vulgo idem est, quod breviter & nervosè sine ulla tergiversatione expedire. A κατηγορεῖς autem descendit vox κατηγορεῖα, & hæc duas apud Philosophum nostrum obtinet significationes. Intò κατηγορεῖα idem ipso aliquando est, quod ἀγόρευτις των κατα των, affirmatio alicuius de aliquo, quomodo hanc vocem capit inter alia & lib. I. Post. c. XX. §. 1. dum ait: *Quod autem media non possint esse infinita: si tam deorsum, quam sursum versus εἰς κατηγορεῖα, id est attributiones vel predicationes consistant, manifestum est.* Deinde verò interdum voce κατηγορεῖας intelligit ipsum modum generalē affirmationis atque prædicationis de substantia singulari, qui Latinis dicitur Prædicamentum, (quanquam multi eorum aliter prædicamentum definiant, quemadmodum in Cap. præc. vidimus)

quà ratione vocabulum istud sumimus, quando h. l. quærimus numerum Categoriarum sive Prædicamentorum, quæ propterea ipse Philosophus sic describit, ut appellat ea *χήματα τῆς κατηγορίας*, itemque τὰς κατηγορικές figurās sive modos certos attributio-
nis vel eorum, quæ attribuuntur sive predicanter. Lib. V. Metaph.
c. VII. & alibi.

§. III.

Hoc perspectò facile nunc ostendi potest, optimè se habere numerum Categoriarum denarium, quem Pythagoræi, & cum iis ponit Aristoteles, cumque esse sufficientissimum. Utut enim ratio Pythagoræorum, quà numerum hunc probant, infirmò prorsus consistat talo, quando inde decem esse Categorias evincere laborant, quòd numerus denarius sit perfectissimus, cùm tamen non ex ratione numerorum reddenda sit ratio rerum, sed potius ex rerum natura ratio numerorum, quò pætò ex ratione coelestium motuum colligunt Astronomi numerum orbium coelestium; nihilominus tamen ipse Categoriarum numerus ab Archytæ aliisque Pythagoræis positus optimè se habet, & sine negotio è natura Categoriarum cogniti ostendi potest. Cùm enim Categoræ sint modi predicandi de substantia singulari, utique totidem necessariò erunt Categoræ, quot sunt modi psadicandi de substantia singulari. Jam autem in universum decem sunt modi generales prædicandi de substantia singulari, neque plures neque pauciores, quemadmodum totidem sunt modi quærendi de substantia, ut inductione constat. Vel enim quærimus de eâ quid sit? vel qualis sit? vel quanta sit? vel quomodo se ad alteram habeat? vel quid agat? vel quid patiatur? vel quando hoc vel istud fecerit? vel ubi sit vel fuerit? vel quomodo sita sit? vel tandem quali habitu sit? & hinc etiam tot modi de cùdem prædicandi; v. g. homo prædicatur de Socrate ad quæstionem *quid est*, esse quinque cubitos longum, ad quæstionem *qua-
ritus est*, doctum, ad quæstionem *qualis est*, filium esse, quomodo se habet Socrates ad Sophroniscum, docere ad quæstionem *quid agit*, regrotare ad quæstionem *quid patitur*, obiisse decem aut viginti annos ante Aristotelem, ad quæstionem *quando mortuus est*, esse in hortis, ad quæstionem *ubi est*, sedere in Lyceo ad quæstionem *quo-
modo sicutus est*, esse palliatum ad quæstionem *quali habitu induitus est*

est. Decem igitur sunt modi prædicandi sive Categoriarum, quas & sequenti ordine enumerat Philosophus Lib. I. Top. c. IX. Genera Categoriarum sunt decem: Quid est, quantum, quale, ad aliquid, ubi, quando, situm esse, habere, facere, pati. Et Lib. Categ. cap. IV. Eorum que sine complexione dicuntur, unumquodque aut substantiam significat, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut situm esse, aut habere, aut agere, aut pati. Est autem substantia (ut typo dicam) velut homo, equus. Quantum ut quod est duorum vel trium cubitorum. Quale, ut album, Grammaticus. Ad aliquid, ut duplum, dimidium, majus. Ubi, ut in foro, in Lyceo. Quando, ut Heri, superiore anno: situm esse, ut jacet, sedet: habere, ut calceatum esse, armatum esse: facere, ut servare, urere: pati, ut scari, uriri. In quem locum Ammonius: Ipse tamen, inquit, (Aristoteles scilicet) decem exemplis decem Categorias enumerat: nos in uno atque eodem exemplo Categories omnes ut in Socrate numerabimus. Socrates igitur, quia homo sit, substantia est, quia duorum triumve cubitorum, quantitas: quia albus aut Musica, qualitas; ut curas gerit adolescentium vel quia Sopbronisci filius sit, cum aliquo comparatur: quia in Lyceo doceat, in loco est; in tempore vero quia temporibus belli Peloponnesiaci natus sit; quia videat, facere, quia videatur, pati, (debet dicere quia videt pati, & quia videtur agere: sentire enim adeoque & videre est pati, docente Aristotele III. de anima cap. V.) quia stet vel sedeat, vel sub platano reclinatus sit, cum situm esse: vel etiam quia humi stratus sit, ut Lycei orationem audiret: vel enim omnes recti sunt artus, & ita stare, vel supini omnes, & recumbere, vel partim recti, partim supini & sedere dicitur; habere vero ut circumdatus vestes. H. I.

§. IV.

Ex his ipsis tamen decem Categorias alias concedimus esse principales, alias vero minus præcipuas. Ille sunt quatuor, substantia, quantitas, qualitas & relatio; haec vero agere, pati, quando, ubi, situs, habitus. Etsi enim haec quoque Categorias sint entia per se, nimis tamen clarum est, quod ex mutua comparatione & respectu ceterarum Categoriarum resultent, nempe ex substantia cum reliquis tribus commixtione. Aut enim i. substantia qualitati

tati jungitur, & inde exsurgunt actio & passio, utpote quæ qualitate mediante sunt, veluti quando ignis in aquam agit calore, aqua in aerem frigore, & aqua rursus patitur ab igne, dum alteratur & contrariam qualitatem suscipit, calorem nempe, visus item ab objec-
to visibili, auditus à sono, & sic conseqventer. Aut 2. substantia circumscriptitur quantitatibus, veluti loco, & differentiis ejus, infra, supra, &c. unde provenit Categoría ubi, vel tempore, unde ori-
tur Categoría quando. Non enim locum & tempus simpliciter de-
notat ubi & quando, sed esse in loco & tempore, quod substantia-
rum est. Aut 3. tandem substantia concurrevit cum relatis. Et qui-
dem vel partes substantiarum ad se mutuè referuntur ratione situs &
positus, unde exsurgit prædicamentum situs; vel integra substanc-
tia aliqua refertur ad aliam, quatenus ei circumponitur vel toti, ut
vestis corpori, vel parti ejus, ut annulus digito, galea capiti, atque
hinc oritur prædicamentum habitus. Vid. Ammonius Comm. in
Lib. Categ. c. IX. ubi hæc inculcat. Factum hinc sine dubio, ut
Archytas Pythagoræus halæ *μικῆς* sive mixtas appellaret. Ni-
hilominus distinctæ manent Categorie, quia distinctionem faciunt
prædicandi modum. Neque absurdum est ex duorum concurso, ut
trōque aliiquid conferente, tertium nasci, quod tamen simplicem ha-
bet notionem. Neque enim id, quod in loco est, nec id, quod
in tempore est, Categoriam facit, sed esse in loco, esse in tempo-
re, docente eodem Interpret. Lib. Categ. c. IV.

§. V.

Ratum igitur esto decem non plura nec pauciora esse prædi-
camenta, neque patiamur aliud nobis persvaderi dissentientium argu-
mentis, utpote quæ omnia facilè negotiò dissolvuntur. Et quidem
initio nequit potest consistere eorum sententia, qui cum Plato-
ne unum statuunt prædicamentum, nempe ens, eò quod ens sit ge-
nus omnium prædicamentorum. Nam I. veritati minime congrui-
st, ens esse genus omnium prædicamentorum. Genus enim (1) est
κατηγορέμενον aliquod sive prædicabile; ad *κατηγορέμενον* au-
tem propriè dictum requiritur, ut non modo vere affirmetur de a-
liquibus, sed & secundum unam eandemque φύσιν seu naturam,
qua definitione exprimitur, id est univocè prædictetur. Hinc *κα-
τηγορέμενον* definiti solet, quod aptum est, ut de pluribus univocè
affir-

affirmetur. Et Aristoteles in I. Post. II. §. 1. de universalis, quod cum κατηγορεύειν idem est, dicit, quod oporteat esse aliquid unum & idem in pluribus, non ἀμένυμον. Quodsi itaque ens est genus, necessarium erit, ut unam habeat rationem & definitionem, secundum quam de omnibus suis inferioribus affirmetur; ast nulla talis ratio, nulla ejusmodi definitio dari potest, sed omnes, quae adferuntur, ita sunt comparatae, ut si ad Lydium lapidem veræ definitionis exigantur, nimium quantum deficere deprehendantur. (2) Genus dicitur de pluribus æquè περίτως, atque univocè: v. g. animal æquè primò de equo & taurō, atque de homine & leone; & arbor æquè primò de tiliā & abiete, atque de platano & cedro. Contra verò ens non dicitur æquè primò de omnibus Categorīis, sed secundum prius & posterius. Primo enim ens substantia est, quia est ens per & propter se, secundariò autem entia sunt accidentia, quippe quae à substantia dependent, & non sunt entia, nisi quatenus sunt aliquid τοῦ ὄντος ὄντα, i. e. substantia vel qualitates vel quantitates vel passiones &c. Lib. VII. Met. cap. I. (3) Genus prædicatur de pluribus differentiis, quae distincta sunt ab iis, quae dicuntur diversa. Nam quae differunt, illa semper τοῦ vel aliquò differunt, v. g. genere, aut specie aut numerō, ut docet Aristoteles X. Met. III. At quae diversa sunt, illa non necessariò aliquò diversa sunt, sed possunt ex se ipsis esse diversa, ut sunt illa omnia, quae primò diversa dicuntur. Et de his quae diversa non autem differentia sunt, genus non dicitur. Contrà ens dicitur de iis, quae diversa sunt, nempe de primò diversis, de Categorīis. Ergo hōc ipsis ex capite non est genus. (4) Genus dicitur de pluribus differentiis, non autem de ipsis differentiis: de his enim essentialiter non prædicatur, etiam si sint propriæ & vernaculae, quemadmodum docet Aristoteles VI. Topic. VI. §. 14. Non enim differentia est ipsum genus, v. g. bipes non est ipsum animal, nec impar est ipse numerus, nec disgregans visum est ipse color, sed qualitas quædam generis constitutus speciem ejus, quae genus ipsum esse nequit, qualitas enim rei nunquam est ipsum quod res est. Genus igitur non dicitur essentialiter de differentiis, quemadmodum de speciebus, quae per differentias istas constituantur, sed per accidens: e. g. pedestre, quatenus est pedestre, non est animal, sed ποιότης ejus, per accidens tamen est animal, quia homo

homo, v. g. qui pedestre quoddam est, animal est. At ens non solum de speciebus suis sive Categoriorum omnibus, sed & de singulis earum differentiis dicitur, quia nulla potest dari quae non sit ens, & proinde ens nequit esse genus. Denique (5) Genus praedicatur in quid est, ut ex definitione generis constat; at ens de nulla re praedicatur in quid est. Idem enim est dicere: esse simpliciter, & esse ens, sicut idem est dicere, Socratem ambulare & esse ambulantem Lib. de Interp. c. XII. §. 2. Sed II. eriamus ponamus ens esse genus Categoriarum, tamen inde non sequitur unam esse Categoriam. Nam 1. Hoc non magis sequitur, quam si inde, quod animal est hominis, canis & leonis genus, una solum animalis species esse concludatur, quin potius eod ipso ex capite plures Categoriae sint necessum est, quia omne genus de pluribus dicitur speciebus. 2. Categoriae non sunt genera rerum, ut vulgo putatur, sed modi praedicandi de substantia singulari, unde & lib. Categ. inter ea, quae sine complexione dicuntur, eas refert Aristoteles, at res non propriè & per se dicuntur, sed voces, iis autem intermedii res ipsæ demum. Contrà ens non denotat modum aliquem quod quidpiam de substantia singulari dicitur, sed hunc exprimit τὸ τι, τὸ ποσὸν &c. Igitur ens Categoriae esse nequit, nedum constitui unicum praedicamentum.

§. VI.

Deinde nec illorum nobis obstare sententia potest, qui duo faciunt praedicamenta, accidentis nempe & substantiam, & hanc vocant ens per se, illud ens in alio. Nam (1) per ens per se sine dubio non intelligent illud, quod enti per accidentem opponitur, quoniam sic omnes Categoriae, etiam accidentium, sunt entia per se, sed illud quod enti in alio existenti contradistinguitur, sive quod per se suisque viribus existit, non autem ab alio existentiam suam habet. At verò tale ens sola est substantia prima vel singularis, quae tamen praedicamentum vel Categoriam non facit, quia de nullo praedicari potest, cum tamen Categoria omnis existat tale quid, quod praedicari potest, unde & definiebatur modus praedicandi de substantia singulari. Evidem basis & fundamentum sive substantia est omnium Categoriarum substantia singularis, deque ea omnia dicuntur praedicamenta, quod ex capite definitionem etiam præ-

prædicamentorum ingreditur; at nequaquam ipsum prædicamentum
 aliquod constituit, adeoque denominatio ista, quā prædicamen-
 tum substantia per ens per se designatur, inconveniens est.
 Sed (2) & altera illa appellatio, quā per ens in aliō ex-
 primitur accidens, incongrua est, neque illud à substantia, quæ
 ipsum prædicamentum substantia facit, discriminare potest: est enim
 hæc ipsa substantia secunda vel universalis, at verò ista est ens in
 alio, hoc est, ens tale, quod non per se, sed in alio existit, & ab
 alio existentiam suam habet. Nimirum substantia secunda non
 per se existunt, sed in substantiis primis seu singularibus, & pro-
 inde sunt entia in alio; quomodo ergo hæc denominatio solis tri-
 buitur accidentibus? (3) Si per ens in alio intelligere velint illud
 ens, quod in subiecto aliō existit, cuius essentiam non constituit,
 per ens per se autem illud, quod in subiecto quidem est, sed pro-
 priō, cuius pars essentialis existit, tamen denominatio hæc consi-
 stere nequit, cum multa in predicamentis accidentium sint, quæ in
 substantia seu subiecto proprio sunt, ejusque partes essentiales exi-
 stunt, v. g. substantia materiali essentiale est, esse quantum aliquod,
 omnis pars relationem habet ad totum suum essentiale, non ac-
 cidentalem, nutrire est animæ vegetativæ actio essentialis, ferri sur-
 sum est passio essentialis corporum naturalium levium, ferri deor-
 sum passio corporum gravium substancialis: igitur predicamenta
 hæc accidentium sunt entia talia per se, quomodo ergo iis contra-
 distingvuntur, & dicuntur entia in alio, qua sunt in subiecto alio,
 ad cuius essentiam non spectant? (4) Si relicta denominatione
 illâ, quā substantia ens dicitur per se, accidens autem ens in alio,
 rectè ens omne adeoque & Categories dividit dicas in substantiam
 & accidens, nihilominus tamen adhuc divisio hæc subsistere nequit.
 Nam accidens, ut definitur ab Aristotele Lib. I, Top. V. est illud,
 quod ita inest alicui, ut eidem quoque non inesse possit salvâ scilicet
 essentiâ atque perfectione ejus, sive quod ita inest, ut neque es-
 sentiam neque perfectionem rei constituat, sed salvâ essentiâ, integritate,
 atque perfectione rei, ab eadem absesse possit. At sic non omne
 ens vel est substantia vel accidens, sed datur tertium adhuc, nempe
 ἐπεστιάδες, quod neque substantia est, neque accidens, sed ex essen-
 tia fluit, ut sunt propriæ rerum affectiones, veluti hominis esse ri-

sibilem, magnetis trahere ferrum, canis esse animal latrans, &c. itemque differentiae rerum, quae licet ad essentiam earundem spectent, substantiae tamen non dicuntur, quia non in quid praedicantur, neque etiam accidentia, quia abesse a rebus nequeunt: igitur divisio illa Categoriarum adaequata divisione non est. Et (5) tandem si dicas definiri ab Aristotele cit. l. accidentis praedicabile, in divisione autem illa Categoriarum intelligi accidentis praedicamentale hoc sensu: Ens omne vel est substantia, vel accidentis praedicamentale, necdum contra nos quicquam obtinere licet. Nam si queratur, quidnam dicatur accidentis praedicamentale, regerere sine dubio oportebit & dicere, id, quod neque per se existit, neque de eo, quod per se existit, in quid pradicatur, sive brevius, quod nec est substantia prima, nec secunda, sed iis opponitur: at haec distinctio entis in substantiam, & hujusmodi accidentis quod substantiae est oppositum, nequaquam divisionem nostram, quam Categorie in decem genera distinguntur, evertit, quoniam concessu ens omne esse substantiam aut accidentis praedicamentale, ulterius queritur: an illud accidentis praedicamentale unius sit generis, annon? Quodsi penderetur rectius, statim apparet non esse unum, sed novem genera accidentium talium, quae juncta substantiae decem utique praedicamenta faciunt. Qyocirca est hoc pacto illa divisio entis in substantiam & accidentis generalior solùm distinctio, ad quam accedere oportet necessariò divisionem alteram, quam accidentis in novem genera subdividitur; annon verò melius est, si per pauciora, per unam scilicet divisionem, & quidem clariora ac sine ullâ obscuritate dividantur statim entia vel Categorie in decem genera, in substantiam, quantitatem, qualitatem &c? Melius id esse ex dictis nemini putamus fore obscurum.

§. VII.

Sed excipis 1. substantia tamen, licet alia sit prima, alia secunda, constituit unum praedicamentum: igitur & accidentis, licet sit varium, poterit constituere unum praedicamentum, aut danda est diversitatis ratio. Resp. I. Substantia quidem alia est prima alia secunda, ast non utraque constituit praedicamentum, prima est basis & fundamentum praedicamentorum omnium, quemadmodum modo à nobis est monitum. Hinc & non uno modò in praedicamento substantiae aliquid esse dicitur, sed dupliciter, vel sic, ut de eo

omnia

omnia alia prædicentur, quomodo substantia prima est in prædicamento, utut impropiè solum, non propriè loquendo; vel ita, ut ipsum de substantia prima prædicetur in quid est, id quod propriè & formaliter prædicamentum substantiæ constituit: sunt enim prædicamenta, quemadmodum & ante definiebantur, modi prædicandi de substantia singulari, adeoque prædicamentum substantia propriè facere nequit, nisi quod de substantia prædicatur, id quod in substantiam singularem non quadrat. Proinde manifestum jam est, quod alia sit ratio substantiæ, quæ facit prædicamentum substantiæ, alia accidentium, & quod illa optimè unum, hæc non item, sed plura prædicamenta necessariò constituent. 2. Etiam substantiæ secunda in duplice quidem sunt differentia, alia nempe sunt genera, alia species; attamen non necessarium est duas facere Categorias substantiæ, quia in modo prædicandi, qui prædicamentorum essentia est, convenient, dum & genus & species in quid de substantia singulari prædicatur; accidentia è contra diversis quæque modis prædicantur de substantia. Evidem videri possunt omnia prædicari in quale; at si res hæc expendatur rectius, statim deprehenditur, æquivocam esse hanc denominationem, quia sola qualitas propriè & simpliciter in quale prædicatur, reliqua autem prædicamenta, si dicantur in quale prædicari, secundum quid de iis id tantum verum est, quia non simpliciter, sed secundum quid & diversissimis modis in quale prædicantur, nempe alia in quale quantum & quanto, alia in quale agens, alia in quale patiens, & ita consequenter. Atque ex hoc capite oportet plura constitui accidentium prædicamenta. Regeris: Et genus alter in quid prædicatur quam species, quia genus de specie differentibus prædicatur in quid est, species de numero differentibus, indeque igitur duplum substantiæ Categoriam statuere oportebit. Verum Reſſ. Differentia hæc inter genus & speciem non concernit modum prædicandi, sed subjectum, de quo prædicantur; ast subjectum non facit diversam Categoriam, quia omnia prædicamenta de substantia singulari prædicantur, sed modus prædicandi, hic autem idem est, nempe *in quid*. In accidentibus autem & subjecta eadem ratione sunt diversa, nam & in accidentibus dantur genera atque species, & ipse quodque modus prædicandi distinctus, dura scilicet alia in quale quantum, alia in quale

34

quale simpliciter, alia aliter prædicantur, quæ diversa λέξεως, vel
προσηγορίας χήματα, diversa utique gignunt prædicamenta.
Excipit 2. Quot modis tamen dicitur unum oppositorum, totidem
modis dicitur & alterum. Atqui substantia & accidens sunt sibi op-
posita: Ergo & utraque æqualiter dicuntur, & proinde etiam æqua-
lem faciunt prædicamentorum numerum; substantia autem unum
facit prædicamentum, Ergò & accidentia. Et sic duo tantum sunt
prædicamenta. Sed Rep. 1. Regula illa non est absolutè & uni-
versaliier vera, sed dialectica solùm ac patitur instantias. Sic v. g.
bonum & malum sunt opposita, v. g. contraria: & bonum tamen
dicitur unò solùm modò, quod medium servat, malum contra du-
obus modis, & in excessu enim & in defectu malum datur. Item
liberalitas & avaritia sunt opposita, & tamen liberalitas unò modò
dicitur, avaritia autem est duplex, alia quā nihil quis largitur, sed
in suis custodiendis modum excedit, sibi ipsi ægre faciens & neces-
saria subtrahens, que parcitas vel fordinis aliquibus dicitur, alia
quā quis sibi ab omnibus sumendum esse existimat, & nihil, quod
quaestuoso est, turpe habet, ut lenones, assentatores, fœnatores
& alii. Item Monarcha & subditi sunt opposita, relata nempe, &
ille tamen unus est, hi multi, status nempe imperii, nobiles, literati
& plebeji. Igitur Regula illa non procedit universaliter. Sed 2. po-
sitò eam esse universalem, tamen inde nihil aliud sequitur, quam quod
accidentis tot sint significations, quot substantiae, ast hoc concessò
quid contra nos sequitur? An quod non sint plura prædicamen-
ta Accidentis quam Substantiae? Neutquam hoc sequitur: possunt
enim unius cuiusdam rei in una quadam significazione sumptuæ, plu-
res esse species vel ordines, alterius itidem unâ significazione acceptæ,
non item. Sic bonum & malum aliud est, unde quis simpliciter,
aliud unde κατά τι solùm bonus vel malus dicitur; ast si in eâdem
significatione utrumque sumamus, nimirum bonum, unde quis sim-
pliciter bonus, & malum, unde quis simpliciter malus dicitur, non
tamen numero æquales species vel gradus utriusque sunt. Nam bo-
num tale unius est rationis, quæ sita est in medio, mali vero ratio
duplex, alia in excessu, alia in defectu consistens. Pari ratione si &
substantiam & accidens in una quadam significazione sumamus, ita
ut per substantiam intelligatur substantia secunda, per accidens

omne

omne quod non per se existit, neque essentiam illius constituit, vel in quid de eo prædicatur, tamen inde nondum sequitur, ut substantia facit unum prædicamentum, ita & ipsum accidens, sed pro diversitate modorum prædicandi accidens diversa prædicamenta facit. Excipis 3. Ex propria sententia numerus Categoriarum peti debet ex diversis prædicandi modis; at hi duo tantum sunt, in quid & in quale: igitur & duæ tantum Categoriae, nempe substantia & accidentis, quarum illa ex priori, hæc ex posteriori dicendi modo resultat. *Reff.* 1. Falsum est quod omne accidens prædicetur in quale. Nam uti in quid prædicari illa dicuntur, quæ aptè respondentur ad questionem quid est, docente Philosopho Lib. I. Topic. cap. V. §. 8. & Porphyri, in Isagog. cap. II. §. 13. ita in quale prædicari illa dicuntur, quæ aptè respondentur ad Questionem quale est, quemadmodum etiam annotat Porphyrius c. I. & cap. XIII. §. 17. at multa prædicantur accidentia de substantia singulare, quæ nequaquam aptè respondentur ad questionem qualis sit res. E.g. cum dicimus, Socrates est in museo, docet, ægrotat; Aristoteles sedet, est in horto, vixit tempore Alexandri M. & ita porrò. Quid enim ineptius quam si quærenti qualis homo est Socrates? respondeas, eum esse in museo, docere, ægrotare. Item si quæsus, qualis sit Aristoteles, eum sedere, in horto esse, temporibus Alexandri M vixisse regeras? Qui talia reficeret querit de Socrate & Aristotele, is non querit quales sint, sed ubi sit Socrates? quid agat? quid patiatur? Quomodo situs sit Aristoteles? ubi locorum existat? & quando vixerit? Quomodo igitur accidentis intimari potest per id, quod prædicatur in quale? Ipse Aristoteles non omne accidens prædicari in quale apertis verbis indicat, quando VII. Met. I. ita scribit: *Cum dicimus, quale quid est hoc? Aut bonum dicimus aut malum, non autem tricubitum & hominem;* at verò tricubitum ad quantitatem spectat, ergo hæc non prædicatur in quale, judice ipso Aristotele. Similis verò intelligitur ab ipso esse ratio reliquorum accidentium prædicentalium, præter ipsam qualitatem, quæ in quale prædicatur. Id quod etiam clarè satis docet lib. I. Post. c. 22. §. 6. sic inquit: οὐτε ἡ τὸ τί ἐστι, ἡ ὅτι ποιὲν, ἡ πασὸν, ἡ πάθει τι, ἡ ποιῶν, ἡ πάθον, ἡ πάθη, ὅταν ἐν καθ' ἑνὸς κατηγορεῖται, Quocirca prædicatur vel in quid, vel quia quale est,

vel quantum, aut ad aliquid refertur, aut faciens, aut patiens, aut ubi, aut quando cum unum de eo prædicatur. Neque abludere ab eo videtur Porphyrius, quando cap 10. §. 5. ait: *Accidentia in questione quale quid est (prædicantur) aut quomodo se habet unumquodque: interrogatus enim, qualis est Äthiops, dices esse nigrum: aut quomodo se habet Socrates, dices eum agrotare, aut valere. H.I. 2.* Si dicas, talia licet non prædicentur in quale simpliciter, dici tamen in quale cum addito, quale agens, quale patiens &c. nequam tamen salvari divisio illa potest, quia sic æquivoca est & obscura, quæ æquivocatione & obscuritate sublatâ, statim innotescit novem esse genera accidentium, quæ sub uno illo modo in quale comprehendendi non possunt, nisi æquivocè ille sumatur, quod fieri non debet. Melius igitur Categoriarum in decem dividuntur genera, substantiam, quantum, quale &c. quām in substantiam & accidens.

§. VIII.

Erronea pariter est eorum sententia, qui tria faciunt prædicamenta, substantiam, qualitatem & actionem. Nam 1. quantum & relata ad qualitatem referunt, non alia de causa, quām quia in quale prædicantur; ast in quale prædicari duplicitate dicitur, vel latius, vel strictè; si latius, tum & ipsa actio ad qualitatem pertinet, & non tria, sed duo predicamenta sunt facienda, si autem strictè, tum falsum est, relata & quantitatem referri posse ad qualitatem, quia hæc non simpliciter in quale prædicantur, sed secundum quid modò & cum addito, nempe in quale quantum, & quale respectivum: v. g. Si queram, qualis quantitatis est ager? & respondeam 100 pedum; item si queram, qualis respectu Sophronisci est Socrates? & regebam, est ejus Filius; ad questionem autem simplicem, qualis est ager? qualis est Socrates? hæc incepit responderentur. 2. Situm referunt ad actionem, quia sit certò modò semper aliquid agimus, aut ad qualitatem; Verum neque ad actionem, quia & nihil agens alicubi situs, v. g. jacens quispiam dormit, de quo rectè dicitur, quod situs alicubi sit, ast neutiquam quod agat; neque etiam ad qualitatem, quia non prædicatur in quale simpliciter: non enim querenti v. g. qualis est Socrates? apte responderi potest, sed etiam jacet, sed si queratur, quali situs est Socrates? 3. Ilbi dicunt vel substantiam, vel quale, vel actionem esse; ast non est substantia, quia

quia aliud est homo, qui est in domicilio, aliud ipsa illa habitudo, esse in domicilio; neque etiam est actio: licet enim alicubi sit omne quod agit, tamen non statim esse alicubi est agere, quia & non agens alicubi est; neque est qualitas, quia non simpliciter in quale, sed in quale cum addito predicatorum: quis enim querenti v. g. qualis est Aristides? responderet, est in templo aut curia? si autem queram quali in loco est Aristides, tum ita potest regeri. 4. QVANDO ad actionem referunt; ast male, nam & qui nihil agit, est in tempore. 5. PASSIONEM referunt ad actionem, pessime: quia absurdum est actionem esse passionem: aliud est servire actioni, aliud esse actionem, quemadmodum aliud est servire Domino ejusque imperio, aliud est esse ipsum Dominum, ipsum Domini imperium. 6. HABITUM ad substantiam reducunt; ast male itidem: non enim ipsa v. g. vestis (quaerat est substantia aliqua artificialis) praedicamentum habitus facit, sed esse vestitum, non ipse annulus, sed esse annulo ornatum, & sic consequenter.

§. IX.

Sed & eorum opinio falsa est, qui novem faciunt Categories. Aliqui enim horum ubi referunt ad quantitatem; at valde peccant, dum putant locum constitutum praedicamentum ubi, locum autem esse in praedicamento Qvanti. Nam 1. non ipse locus facit praedicamentum ubi, sed esse in loco, quae duo distincta sunt. 2. Locus quæ talis, non est in praedicamento Qvanti, sed Relatorum: locus enim est corporis locati locus, & à respectu ad corpus locatum habet quod dicitur locus. Putare quidem aliquis posset, propterea locum dici quantum, quia definitur superficies; at non simpliciter est superficies, sed superficies corporis ambientis, aliud corpus contentum & locatum, quod ipso jam patet, quod ad aliquid referatur, nempe ad id, quod ambitu suo includit, seu ad corpus contentum & locatum. Nihilominus tamen sub modo locum etiam ad quantitatem recte referri, & esse quantum aliquid per se tale concedimus. Nimis dupliciter considerari potest, 1. respectu corporis contenti atque locati, sive quæ locus, & sic est ex numero relatorum, ut modo diximus. 2. respectu corporis continentis, & sic est quantitas: quia est superficies illius corporis, superficies autem est quantitas continua & quidem per se talis. Alii vero Quando ad quantitatem referunt; ast hi itidem in eo peccant,

quod

quod ipsum tempus putent prædicamentum Qvando facere, tempus autem esse quantum. Nam (1) esse in tempore non ipsum tempus facit prædicamentum Qvando. (2) Tempus per se quantum non est. Vid. Disput. III. de Contradictionibus. Alii denique ex actione & passione unum faciunt prædicamentum, nempe motus; ast & hi peccant. Nam (1) actio & passio non quidem differunt realiter, quoñiam idem v. g. motus, quatenus ab agente proficiuntur, dicitur actio, quatenus vero à paciente recipitur, passio nuncupatur; attamen propterea non statim simpliciter & absolute idem sunt, sic ut unum pro altero usurpari possit, quemadmodum gladius & ensis, vestis & vestimentum idem sunt, sed differunt λόγῳ vel ratione & χέρᾳ ad substantiam primam, quam non eodem modo afficiunt, neque eodem modo de ea prædicantur, & proinde neutram in unum prædicamentum compingi possunt. (2) Non ipsa actio & passio, sed agere & pati potius faciunt prædicamenta; ast agere & pati non idem sunt quod motus, sed potius videri possent idem esse atque movere & moveri; ast neque cum his idem sunt, sed ipsum movere & moveri sub τῷ agere & pati continentur tanquam specialiora sub generalioribus. Qvare unum & commune eorum prædicamentum motus constitui nequit. Equidem negare non possumus ipsum Aristotelem quandoque sduo hæc prædicamenta vocabulo motus innuere, ut in Disp. II. de Contradict. Arist. §. 12. p. 45. med. ex VII. Met. IV. ostendimus. Ast verò (1) vix alius deprehendit locus, in quo simili ratione voce hac utatur. (2) Neque prorsus inde concludi potest, ipsum statuere, agere & pati unum constituere prædicamentum: ipse enim alibi ubi ex professio de Categoris egit, ut I. Top. IX. & lib. Categ. c. IV. ea distinctè proponit, & aliis quoque in locis, ubi incidenter de iis tractat, idem facit; poindē ille locus neutram dissidentibus inservire potest.

§. X.

Quid si vero defensurus aliquis constantius, actionem & passionem unum facere prædicamentum, sic argumentaretur: Qvæcumque non differunt realiter, illa non possunt constituere diversa prædicamenta. Atqui actio & passio non differunt realiter. Ergo. Major non unā videtur evincki posse ratione. Initio namq; divisio Catego-

tegoriarum utique est realis divisio, sive ens reale per eandem dividitur in species suas: quod si hoc, ergo dividatur oportet in entitatis reales, entitates autem reales sunt realiter distinctæ, igitur & prædicamenta. Dein species diversæ realiter inter se differunt, ut species animalis, equus, leo, canis, avis, &c. Species virtutis moralis fortitudo, liberalitas, modestia &c. Rursus Categoriarum genera summa, sunt primò diversa, ut vel ipse docet Aristoteles lib. VIII, Met. c. ult. primò diversa autem non possunt esse realiter idem, quia qua realiter idem sunt, convenient in eadem re, ea autem qua primò diversa sunt, in nullo convenient. Et tandem si ea, qua ratione tantum differunt, facerent diversa prædicamenta, multò plura quam decem imò infinita fermè exsurerent prædicamenta. Quocirca ut prædicamenta inter se realiter & subjecto differant, necessum est, & conseqventer cum actio & passio non differant realiter & subjecto, diversa constituere prædicamenta non possunt. *Resp.* I. Rationes hæc quam speciosæ etiam sint, rem tamen confidere nequeunt. Nam (1) quando realis dicitur esse Categoriarum divisio, & ens, dupliciter id intelligi potest. Vel 1. sic, ut per ens reale intelligatur ens re ipsa existens, non verò ens rationis, quod re ipsa non est sed mente solùm & ratione esse singitur, & per divisionem realem talis divisio, qua in re ipsa fundatur & sit in entia vera & reales existentia, non verò in entia rationis & signa. Et hæc ratione concedimus ens reale dividi & quoque divisionem Categoriarum esse realem divisionem; ast inde neutiquam sequitur, quod membra divisionis inter se debeant realiter & subjecto differre, sed sufficit, si revera sint entia, etiam ab invicem ratione solùm differant, dummodo in re ipsa sit illa differentia fundata, & non singatur solùm ab intellectu, cum revera nulla sit. Atque sic se res habet cum actione & passione; hæc quidem subjecto & realiter non differunt, sed tantum ratione, quia idem motus quantum proficiunt ab agente, dicitur actio, quatenus autem suscipitur à paciente, dicitur passio; ast differentia hæc rationis nihilominus fundamentum in re ipsa habet; neque solùm ab intellectu singitur. Vel 2. sic potest intelligi, ut per divisionem realem intelligatur illa, in qua membra divisionis realiter & subjecto distincta sunt. Hoc modo falsum est divisionem Categoriarum esse realem,

quod ad omnia tempe membra sua. Neque enim necessum est omnem divisionem fieri in ejusmodi membra. Sic enim bonum dividitur in honestum, utile & jucundum, quæ sane realiter non sunt distincta, cùm bonum honestum & utile sit & jucundum. Item anima rationalis in *v̄v* & *diabolus*, quæ non sunt realiter distincta. (2) Species non sunt unius generis, sed aliae propriè dictæ generis univoci & *καθ'* ēv, uti sunt canis, equus &c. & similes tales, quas realiter differre concedi potest: aliae verò minus propriè & quomodounque sumptæ generis *τέσσερες* ēv, quā ratione gradus diversi, habitudines atque *χέρις* diverse quoque dicuntur species, & proinde hæ non statim realiter differunt. Jam autem ens five Categorias non est genus aliquod univocum, sed *τέσσερες* ēv, proinde quando in decem genera dividitur illa species proprie dictas non constituant, adeoque ut realiter differant necessum quoque non est. (3) Qvòd Categorias dicantur primò diversæ, itidem non obstat: praterquam enim quod primariò de primariis & principalioribus hoc intelligendum sit Categorias, insuper neque falso est de cæteris, quæ mixta dicuntur. Qvando enim prædicamenta dicuntur primò diversa, tūm primò diversa illa dicuntur, quæ non differunt *τινὶ* aliquo, vel specie vel genere, sed quæ seipsis differunt. Id quod & verum est de actione atque passione: nam & hæc non differunt specie ita ut convenienter genere aliquo univoco & proprie dicto, neque etiam genere proprio dicto differunt, sed seipsis distingvuntur. Neque est ut dicas: Actionem & passionem habere genus commune, nempe motum. Motus enim genus propriè dictum esse non potest actionis & passionis, quia (a) genus propriè dictum continet sub se species, non autem continentur sub iis, actio autem & passio sub se motum continent, ut jam ante dictum. (β) Ipse motus est æquivocum tale, quod dicitur secundum prius atque posterius, tam si motus in genere accipiatur, quam si accipiatur motus localis, utrōvis enim modò datur aliquis motus primus. (4) Nec metuendum ut infinita orientur prædicamenta, si concedatur ex iis aliqua tantum ratione differre: non enim quælibet quomodounque ratione differentia constituent prædicamentum, sed quæ ita ratione differunt, ut modum diversum prædicandi de substantia singulari faciant. Si enim aliquà ratione quidem differant,

non

non tamen diversam ad singularem substantiam habitudinem involvant, indeque nec diversimodè de ea prædicentur, neutquam diversa faciunt prædicamenta, & capropter in infinitum ea augeri quoque non possunt. Deinde verò II. jam ante monitum est, non ipsam præcisè actionem & passionem, sed tè agere & pati consti-tuere prædicamenta distincta: prædicamenta enim sunt modi prædicandi de substantia singulari, at non prædicantur actio & passio de eā, sed agere & pati, cùm non dicatur v. g. Socrates esse actio aut passio, sed agere aut pati; at verò agere & pati non tantum ratione, sed reipsà & subiecto differunt: non enim agere idem est quod pati, aut pati idem quod agere, aut idem qui agit etiam patitur, & qui patitur agit, nisi ex accidenti, si accidat idem in seipsum agere, unde mutua oritur actio & passio. Igitur adhuc sententia nostra stat firma & immota.

§. XI.

Excipis I. Videri tamen adhuc actionem & passionem commode reduci posse ad relationem: quoniam is, qui agit, in patientem agit, & qui patitur ab aliquo agente patitur: proinde non necessum esse, ut inde nova fiant prædicamenta. *Reff.* (1) Relata uti semper fundamentum requirunt ex alia Categoría aliqua, ita illud quoque in Categoríis actionis & passionis aliquando cessitare facile largimur: at quod propterea ad relationem reduci debeant aut possint, id prolus inde non seqvitur, nisi & qualitatem, quantitatem & alia prædicamenta eò quoque reducere velis. (2) Quod distincta sint hæc duo prædicamenta à relatis, neque ad ea revocari queant, inde quoque patescere potest, si verbis illis exprimamus ea, quibus primò denotantur. Sunt verba autem hæc non agens & patiens, sed agere & pati; at verò agere & pati non possunt reduci ad relata: non enim dicere licet, agere est agere in pati, aut pati est pati ab agere. Quocirca quod distincta sint prædicamenta hæc tria inter se patet. Atq; huc redit etiam responsio Ammonii, quam ad dubium hoc suppeditat *Comm.* in *Lib. Categ. c. IV.* his verbis: *Verba infinita significant solam actionum & passionum naturam* (i.e. Categoriam actionis & passionis) *siquidem vel actionem vel passionem* *solum declarant: at cetera verba, ut participia, substantiarum relationem, que ad actionem vel passionem afficitæ sunt, indicant:*

quocirca facere & pati que infinita verba sunt, actionem aut passionem notant, & non ea, que cum aliquo conferuntur. Nemo enim ita loquitur, facere est agere in pati, vel pati est pati ab agere, patiens quidem & faciens ad aliquid referuntur, quia faciens in patientem facit, & patiens à faciente patitur. Excipit II. Sed si agere & pati diversa faciunt prædicamenta, cur non & habere atq; haberi? Resp. Ammonius τὸ haberi dicit contineri sub situ, propterea quod haberi dicatur illud quod alicubi situm est, ut in horto arbores, vel in corpore arma aut vestes. Verba ejus propria hæc sunt l. c. Sunt qui querant, cur ut Categoriam facere, (Philosophus) opposit categoriam pati, duasque esse voluit, b. e. facere & pati, non idem hic (nempe ubi agit de predicamento habere) fecerit, habere enim & haberi contrario nomine opponuntur: & tamen non haberi sed solum habere Categoriam esse dixit. Dicimus id, hoc est haberi, ad Categoriam que est situm esse redigi posse, propterea quod haberi dicimus quod alicubi situm est, ut in horto si ita contingat, arbores, vel in corpore arma aut vestes aut sita in aliquo arma esse. Et bene se responsio hæcce habet, recte enim quærenti: quomodo sita sunt arma? respondetur: habentur à Socrate, sive Socrati sunt circumposita: roganti, quomodo sitæ sunt arbores Platonis? rectè regeruntur, habentur ab ipso in horto in quincuncem positæ, & ita porrò. Saltem addimus majoris perspicuitatis & exactioris cognitionis gratiā τὸ haberi dupliciter spectari posse, vel (1) respectu habentis, vel (2) respectu rei habita seu quæ habetur. Priori modō haberi & habere idem faciunt prædicamentum, nempe habitus: ratio in promptu est, quia idem est modus prædicandi de substantia singulari, sive quærenti v. g. quō habitu sit Socrates, respondeamus, est armatus, vel habet arma sibi circumposita, sive regeramus, habentur arma ab ipso corpori ejus circumposita. Posteriori verò modō haberi ad prædicamentum situs spectat, quia de armis non quærimus, quō sint habitu, sed quomodo sita sint, & proinde rectè τὸ haberi de re, quæ habetur, acceptum ad Categoriam situs ab Ammonio reducitur.

§. XII.

Sed dubitaret fors aliquis, an prædicamentum Ubi & Situs differant & non potius coincident? Nam in motu circulari, quæ est

est locals, non requiritur aliis atque alius locus, sed aliis atque aliis situs totius mobilis, nempe ut partes mobilis alter se habeant atque aliter ad partes totius loci: Ergo situs & ubi coincidunt, aut falsum est, quod omnis motus localis fiat in ubi, quemadmodum docetur ab Aristotele. Si autem omnis motus localis sit in ubi, & tamen motus circularis sit in situ: Ergo situs & ubi non differunt.

Roff. I. Alii dicunt, quando Aristoteles affirmit, omnem motum localem fieri in ubi, sermonem ipsi esse de eo solo motu, quod tenditur à contrario in contrarium, cuiusmodi non sit circularis; ast huic responsioni obstat, quod ipse Aristoteles perspicuè affirmet V. Phys. VI. §. 2. omnes motus locales esse unum genere. Et ex hoc quoque capite admitti nequit, quia ut partes loci, quæ subeuntur, revocantur ad prædicamentum ubi, ita & motus ad alias atque alias loci partes, ad idem prædicamentum reduci debent. Unde II. De alia solutione nos esse sollicitos oportet. Videlicet 1. falsum est, quod in motu circulari mutetur situs: non quidem secundum totum locum, sed partes solum loci sit motus ille; at hæc non sunt idem, fieri secundum partes loci & fieri secundum situm, vel mutari partes loci, & mutari situm. Utut enim situs fiat secundum partes loci, non tamen quicquid sit secundum partes loci, mutat situm. Sic v.g. qui à cathedra hac erectus progrereditur ad januam, mutat quidem partes loci, ast non situm, quia eretus manet; Qapropter non potest inde concludi, quod situs non sit prædicamentum distinctum. 2. Situs & Ubi non differunt realiter, sed λόγῳ solum sive ratione & modō. Ubi enim denotat ipsum esse in loco, situs autem esse hoc vel illò modō aut ordine in loco: Situs quippe est ordo vel dispositio partium secundum locum, juxta V. Metaph. XIX. Ast inde tamen neutiquam sequitur prædicamenta illa duo Situs & Ubi esse unum; nam quæ diversos faciunt modos prædicandi de substantiâ, illa quoque diversa faciunt prædicamenta; ast illos quoque ubi & κεντρον faciunt &c. Aliud enim est si qværam, quomodo situs est? Aliud si qværam Ubi est? Proinde diversa quoque Prædicamenta faciunt.

§. XIII.

Tandem verò inepta quoque est sententia illorum, qui non contenti sunt decem Categorii, sed undecimum prædicamentum

addendum esse dicunt, idque pro entibus rationis, seu notionibus secundis, ut loquuntur. Idque probant inde, quod ipse Aristoteles VI. Metaph. II. ens dividat in reale & rationis. Ens reale dicunt dividi in substantiam & accidentis, accidentis novem esse genera, quae si addantur substantiae, fieri inde decem vulgo sic dicta prædicamenta. His autem addendum undecimum, in quo per se sint entia rationis, seu notiones secundæ. Verum quamplurima hic virtus latet. Et quidem I. quid intelligunt per notiones secundas? Non enim eadem est Scholasticorum omnia sententia, ut tamen brevitati studeamus, communissima haec est, quæ per notiones secundas intelligunt vocabula technologica, genus, speciem &c. Ast haec male appellantur notiones secundæ, quemadmodum in Capite I. de sede Categoriarum jam monstravimus. Deinde II. Quid per ens rationis intelligunt? Dicitur hoc variè. Et quidem (1) ens rationis dici potest, quod beneficium rationis efficitur, ut omnia artificialia, qua per rationem producuntur: haec vulgo EFFECTIVE entia rationis appellari dicuntur. (2) Id quod rationi inheret, sive in ratione atque intellectu tanquam subjecto residet, aut ab eo elicetur, ut *νοητα* sive conceptus, & argumentationes, intellectio rei, contemplatio & in universum actus aut habitus intellectus, vel species ejus intelligibiles: hoc SUBJECTIVE ens rationis appellatur. (3) id quod rationi objicitur, sive omne id, quod ab ea cognoscitur, quomodo ens reale, quatenus sub intellectum cadit, dicitur ens rationis, & quidem OBJECTIVE. Denique (4) dicitur id ens rationis, & quidem propriæ, quod à ratione vel intellectu nostro concipiatur & esse fingitur, cum revera non sit, unde & entia reali opponitur. Jam quomodo entia rationis novum exposcent prædicamentum? In prima utique significatione non exposcent, quia arte facta possunt considerari vel ut jam facta, vel ut adhuc sunt, si priori modo considerentur, sunt in prædicamento substantiae, si posteriori, in nullò, quia actu nondum sunt, sed solum potentia: Categoriz autem distinguntur in entia per se & simpliciter, & non cum addito talia. Sed neque in secunda significatione: haec ratione enim varia dicuntur entia rationis, quæ & propere in variis sunt prædicamentis, v. g. contemplatio, intellectio, & ejusmodi alia sunt in prædicamento passionis: Intelligere enim est patet quid-

quiddam ab intelligibili lib. 3. de Anima cap. 5. conceptus autem cùm non sint per se entia, sed signa rerum, hinc neque per se in prædicamentis sunt, sed ad ea reducuntur, in quibus sunt ipsæ res, quarum conceptus vel signa existunt. Insuper neque in tertia significacione novum exposcent prædicamentum, sic enim ipsa entia rationis, quæ in decem prædicamenta distincta sunt, dicuntur entia rationis, quæ dupliciter propterea considerari possunt, vel (1) absolute, & sic singula in suis sunt prædicamentis, v.g. homo in prædicamento substantiæ, calor in prædicamento qualitatis &c. vel (2) *χετικῶς* quatenus sunt cognoscibilia, & sic in prædicamento relationis sunt, quia omne intelligibile est intellectu intelligibile &c. Denique nec in ultima significacione novum desiderant prædicamentum: prædicamenta enim, ut dictum est, distingvuntur in entia vera & realia, hæc autem solum sunt figmenta. Rursus III. quomodo notiones secundæ dicuntur entia rationis? Juxta communem sententiam illæ in quarta significacione dicuntur entia rationis, at hæc falsa est: quia notiones secundæ non finguntur esse, cùm reveræ non sint, sed omnino reveræ sunt in rebus, etiamsi ne quidem ullus de eo cogitet: Sic v. g. animalis natura rēapse pluribus speciebus est communis, sic ut de iis prædicari possit, etiamsi nemo de eo cogitet. Neque inde probari potest, eas esse entia rationis, quod in intellectu illam naturam universalem abstrahat & consideret, nec non voces concipiatur, quibus exprimatur. Nam inde 1. sequetur, & barbam tuam esse ens rationis, quia ad id, ut sciam ego te barbam habere, necessum est, ut visu apprehendam. Ergone barba tua non existit rēapse in genis tuis, sed fingitur? 2. quomodo potest ab intellectu concipi verè atque *ἀληθῶς* nisi in re ipsa sit? Intellectus requirit objectum 3. aut si per phantasiam solum concipit illa: Ergo omnis scientia nihil erit nisi phantasia; quæ queso est absurditas? 4. Si à solo pendent intellectu notiones secundæ, non autem in rebus fundatae sunt: Ergo intellectus poterit concipere naturam genericam in iis etiam, in quibus non est; aut si non potest concipere, detur ratio? Hæc certè non erit alia, quam quod non sit in re ipsa. *Exe.* Ens rationis sumitur (1) propriè, quomodo dicitur illud, cuius esse ita pendet ab operatione intellectus, ut nihilominus de entibus realibus dici possit, (2) Impropriè,

ita

ita ut de nullo dici possit ente reali: priori modo prædicabilia dicuntur entia rationis. *Reſp.* Verte & fiet calceus, non prius sed posterius erat dicendum ens rationis propriè dictum: prius enim rectè dicitur ens reale. Nam ex ipsius illius hypothesi, qui ita distinguit (nempe Fonsecæ) ens reale dicitur, cuius esse non dependet ab intellectu; jam ens rationis dicit in priori significatione rectè dici de entibus realibus. Si dicitur, Ergo etiam revera iis inest, si inest, utique non dependet ejus esse ab intellectu, si non dependet ab intellectu, Ergo est ens reale. Sed IV. positio, notiones secundas esse ejusmodi entia rationis sive figmenta, nihil hoc obstat sententiae nostræ: non enim qualiacunque entia in decem distingvi prædicamenta dicimus, sed sola vera & propria dicta entia, qualia cum non sint illa figmenta, nihil etiam nobis officiunt. Verum V. Quidam ex Aristotele sententiam suam probant, neq; ille locus est prætermittendus, cùm & in eo citando vitium committant, & propriæ cause officiant. Dicunt enim Aristotelem ibi de notionibus secundis aliquid tradidisse, cùm ne γενὶ vel μὲν de iis ibidem habeat. Dividit quippe ens in ens per accidens, in ens ut verum, & in ens juxta X. Categ. itemque in ens actu & potentia: entis autem rationis vel notionum secundarum ne verbō meminit. Aut, si juxta illos in illa divisione entis hæc continentur, utique non sub alio ejus membro consinebuntur, quām sub ente, quod Aristoteles vocat *ut verum*; ast quām egregie hoc pro illis. Nam si per ens verum intelligit ens rationis; Ergo non tantum notiones secundæ sed & prima sunt entia rationis: non enim tantum verum obtinet in notionibus secundis sed & primis, quapropter si ens rationis novum exposcit prædicamentum, ergo notiones primæ, quas ponunt in prædicamentis illis decem, extra ea in undecimo erunt reponendæ, quibus ergo illa decem reservabuntur? Vide quām ineptè interpretentur Aristotelem. Quod autem VI. ens ut verum attinet, sciendum est, quodd verum sit affectio & πάθος quoddam τῆς διανοίας, sive actuum ejus, nempe compositionis & divisionis, quarum illa dicitur vera, quæ ea componit & dividit, quæ in re ipsa extra intellectum divisa vel composita sunt, illa autem falsa, quæ ea componit, quæ in re ipsa divisa, ea dividit, quæ in re ipsa composita sunt. Unde verum, quām tale, est in prædicamento

mento qualitatis: quodsi enim queratur, qualis est actus intellectus, qualis est oratio? Respondeatur vera vel falsa. Denique VII. Quod ipsas notiones vel conceptus concernit, notandum est, quod per se non sint in praedicamentis, sed reductive: cum enim sint typi & nota ac signa ipsarum rerum, ad illud reducuntur praedicamentum, ad quod res, quarum typi sunt, pertinent. Et notiones quidem primae, h. e. primi, quos de rebus formamus, conceptus, ad praedicamenta decem, in quibus ipsae res sunt, pertinent, notiones autem secundae, sive conceptus secundi, quales sunt illi, quibus res quædam ut universales concipiuntur, v. g. ut genus, species &c. quæ tales, pertinent ad praedicamentum relationis, utpote in quo sunt ipse res istæ conceptuum secundorum fundamenta. Quod ut eō manifestius evadat, notandum est, genus, speciem, differentiam, proprium & accidens duplicitate considerari posse, vel simpliciter & absolute, vel secundum ipsam illam rationem, $\chi\epsilon\sigma\pi$ atque habitudinem, seu modum, quod dicuntur genus, species, differentia, proprium & accidens. Priore modo in variis sunt praedicamentis, posteriori in τῷ περὶ τι. Nam v. g. genus & species substantiarum simpliciter spectata in praedicamento substantiae sunt, ut animal & homo, accidentium vero in aliis, ut color & albedo in qualitate, linea & superficies in quantitate. Differentia simpliciter considerata in omnibus est praedicamentis, quia differentia ex omnibus peti possunt praedicamentis. Propria absolute sumpta pro rebus, quæ propriae sunt, in variis existunt Categoris, ut trahere ferrum est magnetis proprium, & est in praedicamento actionis; rationale esse, est proprium hominis, estque in praedicamento qualitatis, & sic consequenter. Ast spectata ut sunt propria, id est, sub modo & ratione, quæ dicuntur propria, sunt in Categoris τῷ περὶ τι: Proprium enim est alicujus proprium. Et ita quoq; cum accidente & reliquis sese res habet.

CAPUT IV. DE MODIS, QVIBUS ALIQUA IN CATEGORIIS ESSE, ALIQUA VERO IIS EXCLUDI DICUNTUR.

§. I.

Restat circa doctrinam de Categoris in genere, ut modos adhuc consideremus, quibus aliqua in Categoris esse dicuntur, & qui-

N bus

bus rursus aliqua iis excluduntur. In prædicamentis aliqua dicunt esse directè sive in linea recta, ut loquuntur, veluti genera & species, & quæ ista habent requisita, quæ seqventibus exprimuntur versiculis:

*Vox una & simplex rebus concinna locandis,
Entia per se, finita, realia, tota.*

Alia verò indirectè, sive in linea collaterali, ut differentiae generum & specierum. Alia tandem reductivè, ut incompleta & partes vel essentiales vel integrantes ad tota completa & perfecta, modus item ad rem, quam modifcat, composita ad simplicia, entia per accidentem ad entia per se, artificialia ad naturalia, ex quibus constant, concreta accidentalia ad abstrata, privations ad habitus, entia rationis ad entia realia. Verum hæc distinctio ex monstrosa illâ Porphyrii arbore, quam supra jam radicitus evulsa deditimus, orta est: unde cum illa destruta sit, hæc per se corruit. Quò accedit, quòd tota hæc res ex accuratoriâ tractatione Categoriarum in specie satius intelligi possit: Si enim constet, quid sit substantia, quid quantum, quid quale &c. quæque hæc complectantur, facile utique & quæ illuc pertineant, quæ verò non, dijudicare licet. Unde & Aristoteles neque in libro hoc Categoriarum, neque alibi de modis hisce, quibus illi in prædicamentis aliqua esse dicunt, quicquam tradidit, sed species modò singulas Categoriarum pertractavit.

§. II. Nihilominus tamen seqventia notare è re judicamus. Scil. (1) quòd non genera tantum & species, (sive substantiarum sive accidentium) atque differentia, sed & propria atque accidentia sint in prædicamentis. (2) quòd non omnia, quæ sunt in prædicamentis, statim sunt sub genere vel specie propriæ, absolute atque univocè ita dictis, quamvis sub genere sint prædicandi vel τῆς φύσεως, unde & Plotinus Ennead. 6. inter genus propriæ dictum & φύσης exactè distingvit. (3) Quicquid est in prædicamentis, illud omnino oportet esse unum quid, & quidem unum per se, & vice versa, quicquid significat ens unum & simplex quocunque modò, illud etiam est in Categorîa. Sicque partes etiam hic neutiquam removenda, tum metaphysicæ & definitivæ ut genus & differentia, tum physica & essentiales, materia & forma, anima & corpus, tum etiam integrantes, caput, pes, manus &c. sed equivoca & que multa significant, veluti integræ orationes, itemque entia per accidentem, ut homo Musicus, Philosophus Christianus &c. meritò à prædicamentis removentur. (4) Artificialia quoq; sunt in prædicamento, utpote quæ non sunt entia per accidentem sed per se,

se, quia per se unum sunt, & quidem per continuatatem, ut fascis & vestis, quemadmodum clarè docet Philosophus lib. 4. Metaph. cap. 6. ubi simul meminit, quod licet naturalia magis unum sint, quām artificialia, nihilominus tamen hæc per se unum sint. Ars quoque facit substantiam lib. 12. Met. c. 3. dantur enim substantia artificiales, ut fornax, mensa, quæ omnino pertinent ad prædicamentum substantię, ita etiam ex lapidibus & lateribus composita domus substantia dicitur 8. Metaph. c. 2. Denique (5) concreta accidentalia sunt in prædicamentis, concreta enim qualitatum significant qualitatem, concreta quantitatum designant quantitatem, & ita porrò.

§. III. Quando autem in §. præc. entia per accidens exulare ex prædicamentis diximus, adhuc probè observandum, non omnia, quæ vulgo appellantur entia per accidens, extra prædicamenta esse: quædam enim omnino unum quid per se certò modò constituant. Ita habitus disciplinarum, Grammatica, Rhetorica, Poëtica, Physica, Logica &c. omnino sunt in prædicamento qualitatis: quia scilicet omnia principia & conclusiones unius scientiæ ad unum γένος ὑποκείμενον unumque finem reducuntur. Sic etiam Civitas, Respubl. Exercitus, & similia pertinent ad aliquod prædicamentum: significant enim ordinem certorum hominum, ut exercitus ordinem militum sub uno Duce, Respublica ordinem civium sub imperantibus; ordo verò relationem denotat. Imò hæc entia, quæ alijs entia per aggregationem vocantur, nusquam Philosophus inter entia per accidens recenset, & potest de iis haberi determinata scientia, sic v. g. possum scire de acervo lapidum, quantus & qualis sit, ad quid referatur, & ubi sit, de Republica peculiaris scientia, nempe Politica, agit; at hoc entibus per accidens minimè competit, utpote circa quæ nulla versatur scientia, docente ipsumet Aristotele lib. 6. Metaph. c. 2.

§. IV. Communi:er ex prædicamentis excludunt initio Transcendentia, quæ supra prædicamenta esse dicunt, ut sunt termini communissimi metaphysici. Deinde Eminentia, ut sunt res divinae, ut Deus atq; opera ejus. Tandem Deficientia, quæ infra prædicamenta dicunt esse ut entia rationis & facta, itemq; termini artium & scientiarum proprii. Verùm (1) minus rectè transcendentia appellant, quæ sunt supra prædicamenta: nam transcendentia quidem excluduntur prædicamentis; at non ideo, quod ipsa summa genera transcendunt, & supra ea sint constituta, sed quia non significant unum quid, sed multa, quæ vel in omnibus vel in plerisque sunt prædicamentis, adeoque ob æquivationem

suam è numero prædicamentorum removentur. Deinde (2) quomodo eminentia, Deus nempe & divina, ita simpliciter prædicamentis eliminari possunt? quippe cùm Deus certà ratione in prædicamento substantiæ collocari queat, & aetü quoque in eodem collocetur non solum ab Arist. lib. I. Eth. c. 4. (al. 6.) lib. I. Evd. 8. lib. 4. Met. c. 8. & lib. 7. Met. c. 2, sed & ab Ammonio Interpretè illius insigni Comm. in præfat. Porphyri. Deniq; (3) quod deficientia attinet, ut vocant ea, palam est, quod entia quidem facta, ut reverè non sunt, ita neque verè in prædicamento aliquo esse possint; at verò species & imagines rerum, cùm sint signa entium atque sic suò modò etiam esse dicuntur, hinc eò modò, quod sunt, etiam in prædicamentis collocari possunt. Termini autem artium & scientiarum nihil aliud sunt quàm nomina vocum ipsarum, quibus utuntur istæ artes: at voces simplices utique entia sunt & in aliquo prædicamento collocari possunt: vox enim sonus est; sonus autem est motus seu passio aëris, adeoque qualitas patibilis sensum afficiens.

§. V. Ut autem rectè intelligatur, quomodo Deus in prædicamento substantiæ collocari possit, quod præc. §. est dictum, annotari oportet 1. dupliciter aliquid esse in prædicamentis, vel quod ipsum de substantia aliqua singulari certò modò prædicatur, vel id, de quo certò modò aliquid prædicatur, sive in quid, sive in quale, sive in quantum &c. quà ratione singularia vel individua in prædicamentis esse dicuntur. 2. Deum dupliciter considerari posse, vel in se & suā naturā, prout est; vel quoad nostrum concipiendi atque cognoscendi modum. Jam Φυσικῶς & in sua natura spectatus Deus neutrò modò est in categoria vel prædicamento. Non priori, quia Deus de nulla substantia alia prædicatur: non posteriori, quia neq; de Deo in suā naturā spectatò aliquid prædicari potest. Nam in omni enunciatione, in qua aliquid de aliquo prædicatur, aliud est id, de quod aliquid dicitur, aliud verò est id, quod de illo dicitur, atq; sic compositio locum habet, quæ cùm in Deo non reperiatur: est enim ens simplicissimum, neq; aliud atq; aliud in ipso existit; hinc clarum est, Deum non esse ita in prædicamento, ut de eo aliquid dicatur. Interim tamen si consideretur Deus λογικῶς b. e. quoad nostrum concipiendi modum, & quoad cognitionem nostram, est quidem in prædicamento substantiæ, at verò non priori, sed posteriori solum modò, ita scil. ut non ipse de aliò dicatur, sed alia de ipso dicantur. Et hæc de Categoris in genere sufficient; nunc ad eas in specie lustrandas pedem promovemus.

CAP.



CAPUT V.
DE CATEGORIIS IN SPECIE.
ET QVIDEM
DE
CATEGORIA SUBSTANTIÆ.

§. I.

 Cetus de Substantia Aristoteles lib. Categ. c. 5. illicet
 eam dividit in primam & secundam. Substantia pri-
 ma ei definitur, *qua neque de subiecto aliquo dicitur,*
neque in subiecto aliquo est. Quæ definitio vel ex
 precedentibus jam intelligitur, ex quibus constat, quid
 sit dici de subiecto, itemque esse in subiecto & exemplo quoque fa-
 cilis illustrari potest. V. g. Socrates est substantia prima, quia ne-
 que de subiecto aliquo dicitur: est enim singulare quoddam, hoc
 autem de alio per naturam prædicari aptum non est; neque etiam
 in subiecto aliquo existit: est enim ipsum subiectum, in quo omnia
 illa, quæ in subiecto esse dicuntur, nempe accidentia, existunt, quod si
 enim nullus foret Socrates, nullave substantia singularis alia, nulla
 quoque accidentia v. g. color, virtus, doctrina existerent, utpote,
 qua non tam sunt, quam insunt, non tam existunt, quam inexi-
 stunt. Substantia secunda dicuntur *genera & species, in quibus*
substantia prima insunt. In qua definitione 1. substantia secun-
 da dicuntur genera & species; qua contradistinguntur individuis
 & differentiis. 2. Dicuntur esse genera & species, in quibus insunt
 substantia prima; id quod nota ter addidit Philosophus, quia non
 omnia genera & species statim sunt substantia secunda, & ad præ-
 dicamentum substantia reducuntur: nam color v. g. est genus ali-
 quod, albedo species; at nihil minus sunt quam substantia secunda,
 quia non continent sub se substantias primas: hic color enim & haec
 albedo non sunt substantia prima, quia sunt in subiecto, nempe $\alpha\lambda\alpha\varphi$,
 in quo substantia prima non est, ut ex definitione ejus patet; sed
 sunt accidentia, & ad prædicamentum substantia nunquam referun-
 tur. At animal itemque homo sunt substantia secunda, quia sub-

O

se con-

se continent substantias primas, nempe hoc animal, hunc hominem, Platonem v. g. Socratem, Aristotelem &c. qui quod sint substantiae primae, ex definitione ejus constat. Vid. Boëth. Lib. I. in prædic. Arist. & Ammonius Comm. in Categ. cap. V. Denique 3. dicitur in substantiis secundis inesse primas, id quod probè intelligendum est, ne putemus Aristotelem sibi ipsi in definitionibus contradixisse, cum antea substantiam primam definiret, quæ non sit in subiecto, hic autem esse eam in substantiis secundis dicat. Scilicet esse in alio, vel inesse aliqui, non uno modò dicitur. Initio inesse dicuntur, quæ in subiecto ἀλλα φ. sunt ita ut non sint pars ejus, neq; si ne eo existere possint, & hæc ratione sola accidentia inesse dicuntur. Deinde inesse dicuntur illa, quæ sunt in subiecto οὐκετι φ. eōq; tanquam fundamenta existendi nituntur: hōc modò substantiae secundæ, ceu universales sunt in primis: universalia enim non per se existunt à singularibus sejuncta, ut Plato somniavit, sed in singularibus existentiam suam habent. Denique ut alias hoc non pertinentes significations τοις inesse omissam, inesse dicuntur illa, quæ sub aliquo tanquam latiori continentur; & hōc sensu substantiae primæ dicuntur esse in secundis: continentur eam substantiae primæ sub secundis, tanquam angustiora sub latioribus, communioribus & universalioribus, genus quippe & species, tanquam universalia, de pluribus individuis prædicantur, eaque sub simu quasi suo complectuntur.

§. II.

Et rectiori methodo, hac tenus progressus est Aristoteles, quam vulgares Logici, qui à definitione substantiae generali ordiuntur, quorum definitiones postmodum examinabimus: in tractatione enim vocabulorum τοις εν καὶ αὐτῷ εἶδος, & quidem talium, quæ inæqualiter & secundum prius atque posterius, secundum magis & minus de suis inferioribus dicuntur, non licet à definitione generali initium facere, quia vocabula hujusmodi nullam communem naturam exprimunt, indeque nec generalem & univocam definitionem admittunt, sed statim in sua significata sunt dividenda, eaque describenda, aut in primariâ specie, vel significato primariâ definita, & enumeratio omnium significatorum subjicienda, ut notorium jam est ex iis, quæ circa Anteprædicamenta fuisse enucleavimus. Substantia autem, quod sit tale vocabulum τοις εν, dubium amplius esse non potest: substantiae enim primæ magis sunt substantiae

stantiæ quām secundæ. Nam (1) Substantiæ secundæ existentiam suam habent in primis, ita ut existere nequeant, nisi primæ existant. Deinde (2) substantiæ primæ subjiciuntur secundis, quæ de primis prædicantur; primæ autem nunquam de secundis dicuntur, sed sunt instar *βάσεως*, ac fundamenti, cui secunda sunt superstructæ. Hinc etiam Aristoteles substantiam primam *κυριώτατην καὶ πρώτων καὶ μάλιστα* talem appellat cap. V. lib. Categor. §. 1. Quarum appellationum ratio ex dictis facile innotebit. Nimirum substantia prima *κυριώτατη* vocatur, quia per se subsistit, reliquæ autem substantiæ in ea existentiam suam habent: *πρώτας* verò substantia dicitur, quia existunt in ea secundæ, adeoque naturā est prior illis, quatenus naturā prius dicitur, quod quomodo cunque causa est, cur alterum existat, juxta lib. Categ. cap. XII. §. 7. Sed & cognitione prior dici potest substantiis secundis, quia primū se offert sensibus, utpote accidentibus quibusdam singularibus convestita, quæ primò sub sensum cadunt, à quo omnis nostra oritur cognitio, nihil enim est in intellectu, quod non ante fuerit in sensu, sive per se, sive per partes suas, sive per effecta, sive per aliud quidpiam. Denique dicitur *μάλιστα* substantia, eò quòd maximè subjiciatur omnibus rebus tamen substantiis, quām accidentibus immediatè & primò, substantia verò secundæ subjiciuntur tantum accidentibus, neque primò, sed mediante primā. Nam v. g. homo perdius & pernox stetisse non diceretur, nisi id olim alicui accidisset individuo, nempe Socrati, de quo illud refert Favorinus apud Gellium Lib. II. Noct. Att. c. 1. Neque homo diceretur sapiens vel justus, nisi singulare aliquod his accidentibus vestitum esset. Idem docet Boëth. Lib. 1. in prædic. Arist. Excipienda tamen hīc sunt accidentia, quæ ab intellectu dependent & denominationem habent. v. g. intelligi, esse genus, esse speciem &c. hæc enim substantiis primis seu individuis primò non insunt, imò proflus non insunt. Sufficiunt tamen priora illa ad hoc, ut substantia prima *μάλιστα* seu maximè dicatur Substantia.

§. III.

Dicat autem aliquis, quomodo dici potest, substantias primas naturā priores esse secundis, & has existere non posse nisi illæ existant: Contrarium enim videtur luculentius. Nam v. g. Si non

O 2

est

est homo, recte quoque negatur huic esse hominem, sive individuum aliquod Petrum vel Socratem, ast non contrà dicere licet: Socrates non est, Et. neque homo est. Verum facile huic occurri potest. Nam quando Substantias secundas diximus non posse existere, nisi primæ & singulares existant, id non de hac vel illa, sed omnibus in universum substantiis primis coniunctim acceptis intelligimus, & hæc ratione verissimum est, quod diximus: quodsi enim nullus homo singularis, nullum individuum humanum existat, homo quoque existere non potest, quodsi nullum animal individuum existat, ipsum quoque animal existere nequit. Excipit: Hoc quidem ita est, ast hinc sequitur substantias primas & secundas potius naturâ simili esse, quia sublati illis tolluntur & haec & his rursus sublati tolluntur & illæ, adeoque se mutuò ponunt, & simul naturâ sunt. Sed & hoc facile solvitur. Scilicet, ut videtur substantia prima & secundæ reciprocari quoad existentiam, tamen, quia primæ sunt causa existendi secundis, hinc recte dicuntur naturâ priores, quia naturâ prius etiam dicitur, quod quidem cum altero reciprocatur, quoad existendi consecutionem, sed illius causa existit. Lib. Categ. c. XII. §. 7. v. g. Sol & radii solares se mutuò seqvuntur, quoad existentiam, attamen, quia sol est causa radiorum, hinc sol dicitur naturâ prior radiis. Simul autem illa esse dicuntur, que non tantum reciprocantur, quoad existentiam, sed & quorum alterum alterius causa non est. Lib. Categ. cap. XIII. §. 2. Dicat quis denuò, quomodo autem dicebatur §. præced. substantiis primis sublati, tolli quoque ea, que in iis sunt, neque posse accidentia aut alia quædam existere, nisi substantiæ singulares existant, cum tamen scientia & cognitio Socratis non intereant, sublati & denatæ Socrate, sed in anima ejus sint & permaneant. Reþ. Sublati substantiis primis, quoad singulas suas partes, necessariò omnia intereunt, qua in ipsis insunt, ast si salva maneat altera earum pars, ut ex allato patescit exemplo, ubi anima tanquam præcipua pars hominis, integra permanet, sit, ut ipsa illa ei insint.

§. IV.

Verum enim verò non tantum substantiæ primæ magis dicuntur substantiæ quam secundæ, sed & secundarum altera magis, altera minus substantia appellatur. Cum namque genera & species sint substantiæ secundæ, species magis dicitur substantia quam genus.

nus. Initio propterea, quia species sunt substantiis primis propiores, & earum essentiam magis explicant, quam genera: quarenti enim v. g. quid sit Socrates, magis ejus essentiam declarabis, si dixeris speciem, nempe esse hominem, quam si genus dixeris, esse eum animal; jam autem, quod quid proprius ad primarium significatum accedit, eò magis nomine isto dignum est. Deinde & propter analogiam, quae speciei cum substantiis primis intercedit. Quidammodum enim se habent substantiae prima ad cætera entia, ut scilicet iis omnibus subjiciantur: ita quoque se habet species ad genus, ut illi subjiciatur, cum tamen contrà genus speciei subjici (κατὰ φύσιν) nequeat. Jam autem substantiae primæ propterea dicebantur maximè substantiae, quod maximè rebus omnibus subjiciantur: igitur & species magis est substantia, quam genus, quia generi subjicitur, genus vero speciei non item. Interim vero quod species ipsas, infimas scilicet, quæ tantum sunt species, non vero etiam genus, attinet, harum nulla magis est substantia, quam altera, cum omnes æqualiter suis individuis & substantiis primis sint propinquæ; quamvis hoc non impedit, quod minus una species nobilior substantia dici possit, quam altera, v. g. homo nobilior est aliqua Substantia, quam formica: hoc enim substantiae non simpliciter & quatenus Substantia est, inexsistit, sed aliâ ratione, & aliò quoddam respectu: Sic namque homo & formica æqualiter sunt substantiae, neque ille magis est substantia, quam hæc: attamen nobilior substantia rectè dicitur respectu rationis, quæ pollet homo, formica vero caret.

§. V.

Utut vero substantia sit vocabulum ἀρχής, quod dicitur secundum prius & posterius, tamen non est ex eorum numero, in quibus primum significatum tantum re ipsa & formaliter tale est, reliqua autem externâ solùm denominazione talia sunt, quæ proximè ad naturam æquivocorum strictè dictorum accedere suprà dimicimus. Sed ex eorum numero est, qua media naturæ sunt, h. e. in quibus omnia quidem significata sunt formaliter talia, ita tamen ut unum sit maximè & excellenter tale. Substantia namque prima πεδίστικη & περιττως talis est, ut vidimus, substantiae vero secundæ δευτέρες, secundariæ & minus tales sunt; interim tamen & ipsæ substantiae secundæ reveræ & simpliciter sunt substantiae,

contradistinctæ accidentibus, quæ substantiæ appellationem respunt. Etenim substantiæ secundæ declarant naturam & essentiam primarum, quod accidentia facere non possunt, v. g. Si essentia Socratis exprimi posseletur, id rectè sit per substantias secundas, nempe animal & hominæ, non item per accidentia, v. c. bonum, album &c. Deinde quemadmodum se habent primæ substantiæ ad cetera omnia, ut scilicet iisdem subjiciantur, non verò de iisdem dicantur: ita se habent substantia secunda ad accidentia, ut nimirum iis subjiciantur, non verò de iis prædicentur, nisi παρά φύσιν & per accidens. Unde patet substantias secundas rectè appellari substantias, accidentia verò eò nomine appellari non posse, & per consequens substantiæ secundæ non nominetenus solum sed re ipsâ sunt substantiæ, quia naturam substantiæ primæ participant, sicut substantia prima maximè & omnibus numeris sit substantia.

§. VI.

Ex his jam patet, errare Logicos vulgares, dum in genere substantiam definire laborant, quorum definitiones jam lustranda veniunt. Solent autem ita definire eam: *Substantia est ens per se subsistens*. Ubi (1) falso ens ponitur genus substantiæ, ens enim dicitur inæqualiter & secundum magis & minus de substantia & accidente, adeoque verum genus non est, quod æqualiter de omnibus prædicatur. Itemque ens absolute dictum, idem est cum substantia, Lib. VII. Metaph. cap. 1. Igitur genus substantiæ esse negavit, secus idem sui ipsius genus foret. Sed (2) falso quoque est, quod omnis substantia per se existat: Substantiæ enim secundæ non per se existunt, sed in substantiis primis, uti ex antecedentibus constat. Neque est, ut dicas, per se subsistere hic idem esse, quod non esse in subjecto. Nam non esse in subjecto non unde modò dicitur, sed initio id dicitur non esse in subjecto, quod non est in subjecto ἄλλως, in quo accidentia sunt, cuius partem non constituant. Deinde dicitur illud non esse in subjecto, quod prorsus non est in subjecto, sive aliò sive propriò, utròvis modò sumatur rò non esse in subjecto, non potest univocam substantiæ definitionem confitituere: quodsi enim substantia definitur esse ens, quod prorsus non est in subjecto, angustior ea est suo definitio, quia substantiæ secundæ sunt in subjecto, non quidem ut accidentia in alio, sed

sed in proprio, in substantiis primis, in quibus existunt; Si vero substantia dicatur ens, quod non est in subjecto alio, rursus ea est obscura; licet enim de substantia recte dicatur, quod non sit in subjecto alio, nondum tamen id in genere naturam omnis substantia declarat, sed obscuram reddit, substantia quippe prima planè non est in subjecto; at quæ dicuntur non esse in subjecto alio, illa non simpliciter in subjecto esse negantur, sed secundum quid solèm, scilicet in subjecto alio. Hinc putare quis posset, substantias primas posse esse in subjecto aliquo proprio, cum tamen prorsus in nullo sint subjecto; proinde æquivoca & obscura est definitio, qua debet clara esse & univoca, & pro tali quoque venditabatur.

§. VII.

Sed nec melior est definitio illa, quâ substantiam definitur ens, quod habet proprium esse & sustinet accidentia. Nam (1) & accidentia habent proprium esse. v. g. albedo, nigredo virtus: illa enim definitur color disgrans visum, hæc vero habitus in mediocritate consistens, quod nos relata, II. Eth. VI. Sustinent quoque accidentia, seu accidentia iis insunt, albedini v. g. & nigredini esse in pariete, esse in ligno, esse amaram vel dulcem, virtuti contemni, puniri & alia. Deinde (2) neque omnis substantia sustinet accidentia: Nam DEUS λόγος consideratus est in praedicamento substantiae, ut ex cap. preced. constat; at vero Deus nulla sustinet accidentia, quia immutabilis est, & sic accidentibus obnoxius non existit. Dices: Sustinere accidentia hic idem est, quod esse subjectum inhaesitionis, in quo inhaerent accidentia, & hoc de omni substantia verum est, quia omne accidens alicui inhaeret substantia. Verum hoc ipso magis adhuc impingis. Etenim 1. Deo, qui est substantia, nullum inhaeret accidens, quia simplex & immutabilis est, ita ut non possit v. g. ex justo fieri inactus, quemadmodum id in homine contingit, sed semper idem existit, nec quicquam in Deo est, quod non sit ipse Deus. Deinde 2. Subiectum inhaesitionis vel est proprium vel ἄλλο. 3. non est univoca hæc definitio etiam propterea, quoniam esse subiectum inhaesitionis secundum magis & minus de substantia dicitur. Nam substantiae secundæ non sunt primæ & per se subiectum ὑπάρχεις accidentium, in quo inhaerant & existant accidentia, sed substantiae primæ; secundariò au-

tem

tem & his mediantibus etiam secundæ sunt subjectum ὑπάρχεως accidentium, ut ex præcedentibus constat. Unde hæc definitio secundum prius de substantia prima, secundum posterius autem de secunda dicitur, adeoque æquivoce non univocè. Denique 4. falsum quoq; est, omnia accidentia inhærere substantiæ: nam quædam accidentia sunt à substantia, non in substantia, ut actio, quatenus est actio, in hoc consistit, ut proficiuntur ab aliquo, non verò ut sint in aliquo. Neque locus est in subjecto, sed circa subjectum, neque in tempore esse, item situm esse, v. g. jacere supinum vel pronum sunt in subjecto, sed alià quæcunque ratione dicuntur afficer subiectum. Habitus quoque non est in subjecto, sed circa subjectum: est enim ἔστις περὶ ἔστιν περὶ θετικῆς substantiæ circa substantiam circumpositio. Lib. Categ. c. IX. Proinde definitio & hōc modō intellectu admitti non potest.

§. VIII.

Rectius itaque, ut diximus, Aristoteles in hocce libro Categ. in doctrina substantiæ progressus est, quam vulgares Logici, non definiendo, sed dividendo aut distingvendo, vel in significata sua dispescendo eam. Verùm hoc tamen observandum, divisionem hanc ad capitum vulgi esse directam minusque accuratam eā, quam Aristoteles in Metaphysicis adducit Lib. V. c. 8. & lib. VII. c. 8. Præter substantias namque primas seu compositas & secundas seu universales adhuc alia dantur, quibus substantiæ nomen tribuitur. Nimirum materia quoque dicitur substantia itemque forma, nec non quidditas & definitio ejusque rei. Insuper & substantiæ universales, quas hīc secundas vocat, & minus substantias quam primas (captui rudiiorum & in scientiis nondum versatorum se accommodans, quibus illa, quæ sensu percipi possunt & videri, magis imò solùm videntur substantiæ, quam quæ illi hauriri nequeunt) ab Aristotele in Metaphysicis, magis substantiæ esse dicuntur, quam substantiæ singulares: quia ibidem rem hanc accutatiū exponit, & ratione cognitionis intellectivæ substantiam considerat, quod pātē illa magis est substantia, quæ propinqvior est intellectui, minus verò talis est, quæ sensibus est proximior. Verùm cum exacta hujus rei discussio ad Metaphysicam spectet, hīc vel indicasse sufficit.

§. IX.

Conferimus nos ad CONSECTARIA SUBSTANTIÆ, quæ Aristoteles divisioni haecenus atque distinctioni Substantiæ explicatae annexuit,

nexuit, & numero sex sunt: 1. *Commune est omni Substantiae non esse in Subjecto.* Ubi statim notandum est, intelligi hic subjectum non ἐνέργεια sed ἔχον: ita quippe non solum de Substantiis primis verum est hocce Consecutarium, utpote quæ in nullo proorsus sunt subjecto, & proinde neque in subjecto alio, sed de Substantiis quoque secundis faciliter negotiò probari potest. Nam 1. Substantia secunda dicuntur quidem de subjecto, nempe de primis substantiis, inque iis sunt tanquam in subjecto proprio in quo existunt, at non tanquam in subjecto alio, ut accidentia, quia hæc ita insunt, ut non sint pars subjecti, at substantia secunda hoc modò primis non insunt, quia genus constituit partem essentia substantiarum primarum, species vero ipsam totam essentiam earum denotat v. gr. Animal partem essentia Socratis constituit, & homo totam. 2. Eorum, quæ sunt in subjecto alio, ut accidentia aliqua, nec nomen nec definitiōnem subjectis tribuunt, aliqua vero nomen quidem, definitionem non item. v. g. albedo quidem inest Æthiopis dentibus, ast neque nomen neque definitio albedinis tribuitur Æthiopi: nemo enim unquam Æthiopem dixit album, sed ab omnibus dicitur niger. Contrà albedo, quæ inest cygno, nomen quidem tribuit ei, ita ut dicatur cygnus albus; at non definitionem, non enim definitio albedinis cygno essentialiter inest, sed tantum accidentaliter, quomodo eandem albedinis definitionem esse in nive & cerussa ait Arist. lib. I. Ethic. cap VI. At substantiarum secundarum non tantum nomen competit substantiis primis, sed & definitio earum essentialiter de his praedicatur: totam enim v. g. hominis definitionem, quæ Aristoteli est animal pedestre bipes, rectè assignabis huic homini in singulari, nec minus commodè animalis definitionem omnibus illius speciebus. 3. Quæcunq; sunt in subjecto alio, ut accidentia, eorum quoque individua sunt in subjecto. Sic quia color in subjecto corpore est, etiam hic singularis color est in subjecto corpore; at substantia prima, hoc est, individua & singulares, non sunt in subjecto, ut ex definitione earum patet, hinc neq; earum universalia i. e. substantia secunda, quæ sunt genera & species possunt in subjecto esse. Deniq; 4. omnia, quæ sunt in subjecto alio, possunt mutari ipso subjecto essentialiter non mutato, v. g. color, qui est in corpore, eodem corpore secundum substantiam manente, potest mutari, ut ex

albo fiat niger. Non autem similiter substantiae secundæ mutari possunt, salvis manentibus substantiis primis. Quocirca substantiae secundæ non sunt in primis tanquam in subjecto alio, in quo accidentia dicuntur esse, interim tamen concedimus eas esse in primis seu subjecto proprio. Conf. Contrad. Arist. §. 20. 21 & 22. ubi plura in hanc rem diximus, & loca in speciem sibi contradictoria conciliavimus.

§. X.

Commune hoc dicit Aristoteles habere cum substantiis differentias, scilicet, quod non sint in subjecto more accidentium, nam & differentiarum tum nomen tum definitio essentialiter prædicatur, tam de speciebus, quam de individuis, licet non in quid, sed in quale, quemadmodum inductione omnium differentiarum specificarum manifestum est. Unde & h. l. lib. Categ. cap. V. §. 15. differentias synonymous prædicari dicit, latius nempe sumptuō vocabulū Synonymi pro omni eo, cuius nomen & definitio alicui inest essentialiter, licet non prædicetur de eo in quid est, de qua significacione jam in parte prima cap. II. diximus. Neq; est ut dicas Aristotelem hic differentias contradistingvere substantiis, cum tamen sint & illæ substantia: ipse enim antea genera & species verè substantias esse, inde probavit, quia declarant essentiam substancialium primarum juxta §. 4; ast hoc & differentias faciunt, quia sunt pars aliqua definitionis, quae essentiam rei explicat. Non est, inquam, ut ita objicias. Nam utut differentia pertineant ad essentiam rei, eamq; declarant, tamen non ita eam declarant, ut prædicentur de rebus in quid, quemadmodum genera & species, sed in quale, & propterea quoq; Aristoteles eas exclusit è prædicamento substantiae, quia quæ sunt in illo, prædicantur de substantia singulari in quid est, unde & ipsum prædicamentum Substantia appellant τὸ τι ἐστι ut in præced. cap. vidimus.

§. XI.

Deinde II. *Omnes Substantiae predicantur συναρτήσεως*, h. e. ita ut & nomen & definitionem subjecto tribuant. Quod tamen non simpliciter de substantiis omnibus, sed de omnibus substantiis secundis tantum intelligendum est, primæ enim de nullo subjecto dicuntur, ut ex definitione earum patet; secunda autem omnes de primis dicuntur v. g. animal & homo de Socrate: nam & nomina de animalis atq; hominis & definitiones eorum Socrati verè competit.

Com-

Commune hoc rursus dicit Philosophus substantiis esse cum differentia, quæ & ipsa συναρτήσεως prædicetur, quoniam v. g. & nomen terrestre, & ejus definitio vel descriptio, nempe id, quod vivit in terra, de homine dicitur. Ut autem rectè intelligatur hoc Philosophi assertum, quod substantias & differentias συναρτήσεως prædicari dicit, notandum est, quod in hoc consecratio latius usurpet vocabulum synonymi, pro omni eo, cuius & nomen & definitio rei inest essentialiter, sive ea in quid, sive in quale prædicetur: quodsi enim strictè sumatur συναρτήσεως pro eo, cuius & nomen & definitio, non tantum essentialiter subiecto inest, verum etiam in quid prædicatur, tantum substantiæ secunda synonymicè prædicantur, quemadmodum & ex §. præced. & ex parte 1. cap. 2. constat. Quanquam & tum restrictio adhuc aliqua sit addenda h. m. substantiæ prædicantur synonymicè de substantiis primis: se us enim & accidentium genera atq; species prædicantur synonymicè de inferioribus suis, v. g. color de albedine, vitium de intemperantia.

§. XII.

Amplius III. *Omnis substantia videtur τὸ δέ τι hoc aliiquid significare*, sive singulare quid & determinatum ac perfectum esse habens, ita ut digitō quasi monstrari possit. Τὸ δέ enim materia & subiectum significat, ut exponit Ammonius ad h. l. ex Platoni Timæo, & est nota ostensionis, sive ejus, quod quasi digitō monstrari potest, ut Alex. in lib. VII. Metaph. & Simplic. in Lib. II. de anima volunt. Tι autem determinatum & definitum quid notat. Inde τὸ δέ τι accuratè loquendo, subiectum determinatum per formam significat: hæc enim facit ut materia, quæ antè erat ἀοράτη audiat ὄντος & determinatum quid. Hujusmodi autem subiectum determinatum est ipsum compositum ex materia & forma h. e. ipsa substantia prima seu individua. Unde simul liquefit hoc consecarium de solis substantiis primis accipiendum esse, quæ sola τὸ δέ τι significant. Quanquam enim substantiæ secundæ videantur significare τὸ δέ τι ob figuram appellationis τῷ χρήματι τῆς περιγραφῆς seu modo prædicandi, quia seilicet in quid prædi. antur, & in ratione sua materiam aliquam involvunt, non talem quidem quæ digitis monstrari possit, talem tamen, quæ comprehensibilis sit ratione, ac propterea ab Aristotele τὸ δέ τι significare dicantur, lib. 1. de anima cap. 1. & 7, lib. 1. de gen. & corrupt. cap. III. & alibi

passim: & Themistius quoq; eam ob causam initio Paraphras. in II. de anima τὸ δέ τι duplex faciat, aliud τὴν άὐθήσει, aliud τοῦ λόγῳ; tamen si accurate vocabulum τὸ δέ τι sumatur, quemadmodum ante explicavimus, substantiae secundæ non significant τὸ δέ τι, sed potius ποιόν τι quale quid, ut ait Aristoteles, quia non sunt subjectum determinatum, ut prima substantia, sed de pluribus dicuntur, v. g. homo & animal de pluribus individuis, animalibus & hominibus. Notanter dicit Philosophus Substantias secundas denotare ποιόν τι quale quid, quia non ut accidentia simpliciter quale denotant, quemadmodum v. gr. album quale simpliciter denotat, sed qualitatem circa substantiam. Neque est ut dicas: Ergo substantiae secundæ nihil differunt à differentiis; quia & hæc in quale quid prædicatur. Nam substantiae secundæ dupliciter spectari possunt. Primo ut significant essentiam vel aliquid ejus, quæ ratione priores sunt naturæ substantiis primis seu singularibus, quæ & ab illis habent, ut aliquid de iis demonstrari queat: non enim ex sua natura id habent, sed ab universalis generis vel speciei forma, cùm quatenus singulæ nihil perpetuum obtineant. Et hoc modò spectatae substantiae secundæ non significant quale quid, sed quid simpliciter, unde & non in quale quid, sed in quid prædicantur. Deinde spectari possunt ut universales, sive ut denotant similitudinem essentiale plurium inter se: & h. m. spectatae significant quale quid, seu qualitatem circa substantiam, nimirum similitudinem substantialem, in qua plura convenient v. c. plura animalia, plures homines. Atque sic cum differentiis similitudinem quandam habent, priori tamen ratione ab iis distincta manent: quia differentiae licet spectentur prout essentiam significant, seu in definitione ponuntur, & de hoc vel illo individuo separatim spectatæ dicuntur, tamen non in quid sed in quale quid prædicantur. Nam v. g. si quæram quid est Socrates? non rectè respondetur est animal bipes, sed si quæram quale quid est Socrates, tum id rectè respondetur. Contra verò substantiae secundæ seu genera & species si spectentur, ut universalia, quæ de pluribus dicuntur, qualitatem significant, nempe similitudinem essentiæ, in qua omnia individua convenient; at si spectentur prout de essentia sunt uniuscujusq; individui in se spectati & non cum aliis collati, non in quale, sed in quid prædicantur, v. g. si quæram quid est Socrates? rectè respondetur est animal, est homo.

Ulterius IV. *Substantiis nihil est contrarium.* Hoc Consectarium nonnulli sic explicant, ut dicant substantiam unam alteri non esse contrariam, accidentia interim Substantiae contraria esse; verum, explicatio hæc genuina non est, quoniam non modò una Substantia alteri non est contraria, sed neq; accidentia Substantia contraria dici possunt: est enim substantia omnium accidentium subjectum, in quo illa existunt; hoc autem impossibile est, siquidem substantiae accidentia sunt contraria, quia unum contrarium alteri inesse aut alterum alterius subjectum esse nunquam potest. Interim addit ipse Philosophus, hoc non solis substantiis, sed & quantitati convenire, quod scilicet ei nihil sit contrarium, v. g. tricubito, bicubito, decem &c. nihil est contrarium. Quoniam autem aliquis objicere posset magnum tamen & parvum, multum & paucum sibi contrariari, hinc addit limitationem asserto suo: Quantitatæ determinatæ nil contrariati, magnum autem & parvum indeterminatas & indefinitas esse quantitates. Quanquam & aliter postea, ubi de quantitate acturus est, ad hoc respondebit. **Præterea V.** *Substantia non recipit magis & minus*, vel substantia nra, non est magis substantia quam altera. Intelligentum hoc de substantiis ejusdem generis & ordinis hoc sensu: Una substantia prima non est magis substantia quam altera, & una species non est magis substantia quam altera, nec unum genus magis quam alterum. **V. gr.** Socrates non est magis substantia, quam Petrus, Equus non est magis substantia quam leo, Bucephalus non magis quam Melampus &c. Alias enim si diversæ substantiae diversi ordinis inter se conferantur, omnino altera magis dicitur substantia quam altera. Primæ namq; substantiae magis sunt substantiae, quam secundæ, & species magis quam genus, uti jam ex superioribus constat. Sed conf. Contrad. nostra §. XXVIII. XXIX. XXX. & XXXI. ubi fuisis hæc omnia diducta, simul etiam cunctæ, quæ contra duo hæc consecratioi objici possunt, exactè discussa dedimus.

§. XIV.

Deniq; VI. *Maximè proprium substantiae esse videtur, unam eandemq; numero manentem substantiam contraria recipere posse, quod tamen primariò substantiis primis, secundariò autem & secundis competit.* Ut verò eò rectius hoc intelligatur,

certae limitationes & restrictiones notandæ sunt. Nimirum I. una & eadem numero permanens substantia contraria suscipere potest, non simul sed successivè. Sic eadem quidem Substantia & calorem & frigus suscipere potest, at non eodem, sed diverso tempore. Quodsi verò eodem tempore id contingat, notandum II. id non fieri secundum eandem partem, sed ratione diversarum partium, quomodo v. g. Æthiops & albus & niger est, simul atq; eodem tempore, verū ratione diversarum partium, dentes enim albi sunt, reliqua verò membra nigra. III. Suscepitio contrariorum non sit sine mutatione substantiæ suscipientis, non quidem essentiali sed accidentalis, quemadmodum ex eo facilè appareat, quando substantia aliqua incalescit, & iterum refrigeratur. Deniq; IV. significanter dictum est, substantias contraria suscipere posse, ut scilicet intelligatur hoc non de actu, sed de potentia accipendum esse. Unde & Aristoteles non simpliciter dicit substantiam δέχεσθαι, seu recipere contraria, sed esse δέχεσθαι τὸν ἔχατον, susceptivam contrariorum i. e. suscipere eadem posse. Et hoc videtur substantiæ soli competere, non autem ei cum aliis commune esse, cum nihil in contrarium adduci possit, quod non ex modo dictis facilè solvi queat.

§. XV.

Objiceret quis, orationem tamen & opinionem suscipere contraria, dum ex veris sunt falsæ, quam objectionem & Aristoteles ipse adducit atq; solvit. Nimirum ex dictis jam patet responsio. Nam 1. Substantia suscipit contraria, ita ut mutationem accidentalem subeat, ut quando aqua ex calida fit frigida, tum ipsa aqua mutatur contrariam suscipiendo qualitatem; at verò non ita se habet res cum opinione & oratione: quando enim oratio vel opinio ex vera fit falsa, tum non ipsa oratio vel opinio mutatur, sed res de quibus ista oratio vel opinio est v. g. si Socrates sedeat, vera est oratio dicens eum sedere, ubi apertum est non mutari ipsam orationem, eadem enim manet, sed rem tantum mutari. Quanquam 2. prorsus fortè negari possit orationem & opinionem suscipere contraria, quia quodcumq; suscipit contraria, illud patitur aliquid & mutatur, ut inductione aquæ & alias rerum pater, at oratio & opinio dum ex veris sunt falsæ, nihil patiuntur necq; mutantur, ut modò probavimus. Ergo oratio & opinio non suscipiunt contraria. Pari facilitate & alter-

rum

tum refellitur, quod de linea objicere solent, eandem scilicet numero lineam posse contraria recipere, & modò curvam, modò rectam esse. Nam linea consideratur ut compositum quoddam, cuius forma in re-
ctitudine vel curvitate consistit: unde si linea ex recta fit curva, vel
contrà, jam alia in materiam inducitur forma, & ipsa species muta-
tur, neq; amplius eadem linea permanet, sed saltem materia linea, for-
mam a autem perit, at verò substantia aliter suscipit contraria, nimirum
per mutationem tantùm accidentalem, non verò essentiale & ipsius
forma. Unde hic est diversa ratio suscipiendi contraria & proinde
contra nos non facit.

§. XVI.

Antequam hinc abeamus, adhuc observandum (1) nec enumera-
ta hæc substantiæ, nec qua circa reliqua prædicamentorum gene-
ra tradentur, conœstaria, affectiones alias esse proprias & quæ
æqualiter & eodem modò omnibus insunt, sed vel non solis vel non
omnibus inesse, vel inæqualiter neq; eodem modò, quia prædicamen-
ta ipsa non æqualiter, sed secundum prius atq; posteriorius, magis
& minus de suis inferioribus dicuntur, id quod quivis facile percip-
ere potest, si singula inspiciat prædicamenta. Inde enim substantia
distinguitur in substantiam περιττως ήγη μείλισα talem, atq; in sub-
stantiam δευτέρεα vel secundam. Quantum dividitur in continuum
& discretum, quorum hoc secundum naturam prius est & magis par-
ticipat quasi nomen, illud verò secundum naturam posterius & se-
cundum minus, quemadmodum etiam Simplicius in Categ. quantitatis
docet his verbis: *Natum prius est quantum discretum continuo: tri-
bus enim subtaliis colligitur trigonum, trigonò autem subtaliò non tollun-
tur tria: item trigonò inferuntur tria, sed positis tribus non statim
trigonum infertur, unde & dicunt antiquiores esse Arithmeticam Geo-
metriā, quod numerus magnitudine sit antiquior. H. I. Non aliter in
qualitate potentia naturalis prior est natura habitu, & sic in reliquis
similiter, quemadmodum circa definitionem Categ. §. 6. vidimus. At
verò, qua inæqualiter & secundum prius atq; posteriorius dicuntur, de
iis impossibile est communes tradere affectiones, quemadmodum im-
possibile est talium dari communem & univocam definitionem. Hinc
quando substantiæ Conœstariū dicebatur συνωνύμως prædicari, sub-
stantiis tantùm secundis illud competere ostendimus. Item quando*

Sub-

Substantia Consecatarum constituebatur rō d' ē rī significare , propriè illud tantum substantiis primis inesse docuimus . Pariter , quando substantiis nihil contrarium esse , i. e. substantiam unam alteri contrariam non existere dicitur , verum id esse de solis substantiis compositis tenuendum est : formas n. contrarias sibi esse ex elementis patet , quorum formæ sunt calor & frigus , levitas & gravitas , humiditas & siccitas , quæ quod contrariae sint , nemo negaverit . Non minus & inæqualiter insunt consecataria prædicamentis : Ita namq; quantitatæ quidem omni competet esse mensurabile ; cùm & unum in numero & unum in magnitudine reliqua in sua genera mensurent ; at vērō secundum prius & posterius id iis inest : unum enim in numero secundum prius est mensura , unum vērō in magnitudine secundum posterius : unde & ab Arist. unum in magnitudine ad unum in numero , tanquam ad prius reducitur , & in id resolvitur . 10. Metaph. 3. It. à quantitate dici aliqua æqualia & inæqualia , competit quidē & quanto continuo & discreto , ast inæqualiter & secundum prius atq; posterius : secundum prius discreto , secundum posterius continuo , v. g. homo tricubitus est quidem æqualis tricubito alteri , ast primariò propter numerum , nempe ternariū cubitorum . Et ita porrò . Imò quædam , quod (2) observandum , in se Falsa sunt . Veluti Consecataria hæc relatorum : *Relata suscipiunt contraria , relata suscipiunt magis & minus* ; non enim relatis omnibus & quæ talibus hæc competunt fēd per accidens solum & ratione solum fundamenti quibusdam insunt , quæ scilicet in qualitate fundantur , quemadmodum infra videbimus . Neq; Aristoteles ipse unquam arbitratus est , dari posse communes affectiones entium æqualiter omnibus competentes , qui tanquam optimus methodi artifex optimè cognitum habuit , eorum , quæ dicuntur secundum prius & posterius non dari affectiones communes , sed sic ea tradenda esse , ut ordo & dependentia unius ab altero ostendatur , quemadmodum & in tractatione entis l. 6. Metaph. & seqq. fecit . Unde & ipse supra allegata Substantia Consecataria non de omnibus accipienda esse substantiis monet in l. Categ. c. 5. Et de relatorum aliorumq; consecataris id etiam inculcat , ut videbimus infra . Nihilominus tamen in lib. Categ. ea tradere voluit ex communi opinione & famositate , ceu intellectu facilis & utilia quoq; suō modō , quia in libro Categoriarum scientificam *ἀνέβασιν* non seculatur , quemadmodum circa doctrinā de sede Categoriarum propria §. 9. jam abunde ostendimus .

CA-

CAPUT VI.

DE CATEGORIA QVANTITATIS.

§. I.

Dicitur Categoriam substantię proximè sequitur ut Categoriam Quantitatis lustremus. Ubi initio statim notandum est quantitatem sumi vel (1) impropriè & metaphorice pro intensione ac remissione, perfectione & imperfectione naturæ aut viceum. Sic dicimus, magnus animo, magnus morbus, color major &c. Dici solet quantitas virtutis aut vigoris, itemque quantitas intensiva. Vel (2) propriè pro tali accidenti, secundum quod est Substantia divisibilis in partes, & alias dicitur quantitas molis vel dimensionis, itemque extensiva. Quemadmodum vero substantia non erat genus aliquod univocum ac propriè dictum, ita quoque quantitas non est genus *καθ' εύ* & univocum, quod æqualiter de speciebus dicitur, sed inæqualiter ac secundum prius & posterius, primariò quidem de discreta, secundariò de continua. Prior enim natura est quantitas discreta, seu numerus quantitate continua vel magnitudine: nam v.g. tribus sublati tollitur trigonum, trigonò autem sublatò, non tolluntur tria. Itemque positò trigonò ponuntur tria, non vero contrà positis tribus statim infertur trigonum; jam autem natura pruis illud est, quod positò non statim ponitur alterum, sed quod sublatò tollitur & alterum, Lib. Categ. cap. XII. Non tamen ex eorum communium *ως* *εύ* *καθ' εύ* *διφ' εύ* est numero, quæ proximè ad homonyma accidunt, ut sunt ens, medicum, sanum &c. aut quæ mediae naturæ existunt, uti demonstratio, item ipsa substantia; sed in eorum censu existit, quæ proximè ad synonyma accidunt, ut est anima, figura, numerus &c. quæ unam habent naturam communem, æquæ ac synonyma strictè ac propriè dicta, indeque etiam unâ definitione generali definiri possunt, quomodo anima definitur ab Aristot. 2. de anima cap. 1. figura & numerus hoc loco; Synonymis tamen contradistingvuntur, quia ordinem aliquem habent species.

A

inter

inter se, & alia est naturā prior altera, quod in synonymis propriè & strictè dictis non obtinet. Tale itaque commune $\omega\epsilon\sigma\tau\epsilon\pi\alpha$ ēt, proximè accedens ad Synonyma, est & quantitas, quam propterea Aristoteles, non quidem hōc locō, alibi tamen, nempe §. Metaph. 13. in genere sic definit: ποσὸν λέγεται τὸ Διδύλητον εἰς ἐνυπάρχοντα ὡς ἐκάτερον ή ἕνασον ἐν τῷ καὶ τὸ δέ τι πέφυκεν ἔναι: Quantum dicitur, quod divisibile est in ea, que insunt, quorum utrumq; vel unumquodq; aptum est, unum quid & hoc aliiquid esse i.e. in partes inexistentes, quacum una designari potest extra aliam in ipso toto: ut in linea duorum palmorum designantur duo palmi, in binario lapidum duæ unitates lapidum monstrari possunt. Hōc locō divisiones quantitatis in species subiecti, quas ordine lustrabimus.

§. II.

Prima divisio hæc est: Quantum aliud est discretum, aliud continuum. Quantum discretum est, cuius partes seorsim posse, & velet interpunkte sunt, neq; communi aliquō copulantur termino. Communis autem terminus appellatur ille, qui unius partis finis, alterius autem principium est. Talia quanta duo sunt, numerus & oratio, ore scilicet prolata. Numerus est multitudo ex unitatibus collecta, quemadmodum ab Euclide definitur lib. 7. Elem. defin. 2. Ad numerum refertur & unitas, qua principium numeri est, & itidem ab Euclide l. c. definit. 1. definitur: Unitas est secundum quam unumquodq; eorum, que sunt, unum dicitur. Oratio nihil aliud est, quam multitudo ex syllabis collecta. Ad hanc reducuntur & clementa seu literæ, que sunt principia orationis. Et equidem, quod numerus sit quantitas nemo dubitat, de oratione autem id probat Aristoteles lib. Categ. cap. VI. §. 4. inde, quod sit mensurabilis, metimur enim orationem, voce scilicet prolatam, non mente concepiam, syllabā brevi & longā; mensurabile autem & divisibile ad quantitatem pertinent. Quod autem & numerus & oratio sint quanta discreta, patet ex descriptione discreti quanti, nullō enim termino communi copulantur & conjunguntur tam numerus, quam oratio, v.g. numeri denarii partes quinque & quinque, vel tria & septem, vel sex & quatuor, nullō communi termino copulantur, sed sunt separatae & sejunctæ unitates, unius quidem partis finis est quinta unitas, principium vero alterius sexta unitas, si denarius in duas

duas dividatur partes, in bis quinque. Et ita porro. Partes neque syllabæ & literæ orationis communi gaudent termino, quod copulentur, sed sunt separatae atque sejunctæ literæ atque syllabæ, v. g. in voce Socrates, Syllabæ *So* & *era*, nullò gaudent communi termino, quod copulentur cum Syllabæ *tes*. Quantum continuum est, cuius partes communi aliquo termino copulantur & conjunguntur, suntque linea, superficies & corpus. Linea est longitudine sine latitudine, cuius partes copulantur puncto. Si enim in medio linea punctum aliquod notes, idem illud punctum & finis prioris partis linearæ, & initium posterioris erit. Superficies est longitudine & latitudine sine profunditate, ejusdem partes copulantur linea. Corpus est, quod habet longitudinem, latitudinem & profunditatem, cuius partes superficie copulantur. Ad lineam, superficiem & corpus, omnes species linearæ superficie & corporis, quæ in Mathesi traduntur, spectant, punctum quoque ad lineam refertur, quia ejus principium existit. Hoc tamen probè observandum est, hæc omnia eatenus ad quanti Categoriam referri, quatenus secundum dimensiones suas considerantur: alijs enim si considerentur secundum varias inclinationes terminorum & angulorum constitutionem, pertinent ad quartam speciem qualitatis, figuram, unde Aristoteles ipse lib. Categ. cap. 8. §. 14: *Triangulum, inquit, aut quadratum esse quale quiddam dicitur;* corpus etiam suò modò ad prædicamentum substantiae referri potest. Quarunt, inquit in hanc rem perbellè Ammonius Comm. in lib. Categ. p. m. 133. med. cur corpus inter quantitatis species numeravit, cum corpus substantia sit. Dico, ut suprà etiam docui, & qualitatem & quantitatem substantialem esse, ut in igne substantialis est qualitas, in corpore terra dimensio substantialis quantitas est. Si quis igitur calorem ignis absolutè, ut qualitatem non ut ignem consideraverit, eum ad qualitatem referat; ita qui corpus ita considerant, ut absolute longitudinem, latitudinem atq. altitudinem habet, hi non ut substantiam sed ut speciem quantitatis spectabunt. H. I.

§. III.

Ad quantitatem continuam refert hic Aristoteles etiam locum & tempus, dum ita scribit: Συνεχὲς δὲ ὁὐρα γεγματη̄, Περιφέρεια, σῶμα ἔτι δὲ ὡρα τὸν τοπον καὶ χρόνον. Continuum vero (quantum) est linea, superficies, corpus: ac præterea locum &

tempus. Ubi notandum ī. locum hīc ex sententia Veterum ab Aristotele sumi pro spatio seu intervallo, quod occupatur à corpore locato: hāc enim ratione locus continuus est, quoniam continetur à partibus corporis locati, hāc autem communi termino nempe superficie copulantur, hīc ipsius quoque loci partes, communi illō terminō superficie scilicet copulantur, quia à partibus corporis continentur partes loci, ita ut ad mutationem partium corporis ipse etiam locus mutetur, & vel major vel minor existat. Verū quia spatium istud veterum est imaginarium saltem & ens rationis, hīc neque potest ilud reverā continuum dici, quia non entis nullae sunt affectiones, & proinde nec in rei veritate locus hōc pāctō constituit novam aliquam quantitatis continuae speciem; ab Aristotele tamen hōc loco tanquam peculiaris ejus species recensetur ex opinione illorum ex veteribus, quia liber hic est Exotericus, in quo praeisē & in omnibus veritatem adeō sollicitè non sectatur. Nam locus, si propriè & ut in sua natura est, spectetur, nihil aliud est, quām superficies, unde & IV. Phys. IV. per eandem definitur, & per consequens novam aliquam ac à ceteris antea enumeratis quantitatis continuae speciebus distinctam speciem non facit, unde etiam ab Aristotele lib. VII. Metaph. cap. XIII. non recensetur. Objicis, non est quantum aliquid per se, quia est superficies corporis continentis; at omne continens est contenti continens, hīc sequitur, locum esse ex numero relatorum, ergo non per se, sed per accidens in quantitatis prædicamento est. Resp. si propterea locus per se quantus non est, quia est superficies corporis continentis, hoc autem contenti est continens, ergo neq; superficies corporis contenti erit per se quanta, quia itidem contentum est à continente contentum, adeoque superficies corporis contenti est ex numero relatorū, & per conlquentis nulla datur superficies per se quanta, quia omnis superficies est vel corporis continentis, vel corporis contenti; at antea vidi mus superficiem esse speciem quantitatis continuae, species autem per se debet participare genus, non autem per accidens. Excipis: Est tamen locus locati locus, adeoque hōc pāctō ex numero relatorū, id, quod Plotinus quoque indicat, quando Enneade VI. lib. III. cap. XI: Numerum ergo, inquit, & magnitudinem solum esse propriè quanta prædiximus: locum verò & tempus in ratione quantitatis minime

minime computari, sed tempus quidem ex eo, quod mensura motionis existimetur in ordine relationis collocari, locum quoque cum id habeat propriè, ut corporis sit comprehensio in habitudine quadam & relatione censeri. *Resp.* Locum esse ex numero relatorum, & quoque eorum, quæ sunt quanta per se, non sunt contradictoria. Quemadmodum enim idem potest esse ex numero Relatorum & quoque qualitas diverso scilicet respectu v. g. Scientia respectu scibilis est relatum, at respectu scientis est qualitas, quæ inest illi ut subjecto suo: ita pari ratione potest locus diverso respectu esse relatum & quoque quantitas. Nimurum respectu corporis contenti vel locati est relatum, respectu autem corporis continentis est quantitas, quia est superficies illius corporis, superficies autem est quantitas continua,

§. IV.

Deinde II. notandum quod tempus quidem hic quantitatibus continetur accensatur, non tamen per se, sed tantum per accidens talis existat, quemadmodum etiam disertis verbis docetur lib. V. Metaph. cap. XIII, ubi ita scribit Aristotleles: *Eorum autem, que secundum accidens dicuntur quanta, quoddam ita dicitur, ut prædictum est, --- quædam ut motus & tempus.* Neque contrarium inde probari potest, quod definitur ab ipso Aristotele IV. Phys. XI. per numerum, numerus autem per se quantus existat: Numerus enim duplex est: alias numerans, alias numeratus. Numerus numerans, qui ab aliquibus & formalis nuncupatur, est numerus ab omni materia abstractus, & in se simpliciter consideratus, sive est illa notio & quasi forma, quæ in anima aliquid numeramus, ut est denarius, quinarius, in mente formatus. Numerus numeratus, quem & materiale vocant, dicitur is, qui certæ materiæ applicatur, & ipsis rebus est concretus, sive est illud ipsum quod numeramus, ut ternarius boum, quinarius hominum. Tradit nobis divisionem hanc & Ammonius Comm. in lib. Categ. c. 6, sic inquiens: -- *Duplex est numerus, alter in animo, qui numerans est, alter qui in rebus, quæ numerantur, positus est, ut etiam sextarius duplex est, qui dimititur & quem dimensi sumus* --. Ex his numerus numerans solus per se in prædicamento quanti est, numerus autem numeratus non item, sed per accidens & propter ipsum numerum numerantem: per se enim res illæ, quæ numerantur, in aliis prædicamentis exi-

A 3

stunt,

stunt, ast per accidens propter numerum, qui ipsis applicatur, quantis accensentur. Jam vero tempus non est numerus numerans sed numeratus: non enim simpliciter dicitur a Philosopho l.c. esse numerus, sed numerus certae cujusdam rei, nempe motus, & proinde non est per se, sed per accidens quantum. Et hinc quoque in Metaphysicis tanquam in libro acromatico, in quo ex propria sententia de rebus differit, tempus quantis per accidens Arist. accenset, ut vidi-
mus, contra verò hic in lib. Categ. ubi de rebus παχυλας tractat, non verò *en τινι ιστοριών*, sive etiam secundum ipsam rerum essentiam omnia expendit, quantum per se esse dicit. Quoniam enim v.g. tot annos superstitem hunc vel illum fuisse, aut convi-
vium ad tot dies vel horas protractum esse dicentes, res illas tem-
pore numeramus & mensuramus, sit, ut ratione hujus sui officii tem-
pus numerus numerans, qui per se quantus est dicatur; at verò
ratione essentiae, non est id, quod numeramus, sed ipsum numeratum, sive id quod numeramus & propterea in Metaphysicis rectè per accidens quantum esse tempus docet, & neutiquam sibi contradicit, lib. Categ. illud quantum per se esse affirmans.

§. V.

Neque etiam est, ut dicas, tempus non esse quantum continua, sed discretum, quia 4. Phys. i. definitur per numerum. Nam ut circa præcedentem jam diximus objectionem duplex est numerus, alius numerans, alius numeratus: numerus numerans, per se quantum quoddam est, & quidem discretum; at numerus numeratus, per accidens solum quanto accensetur, ac proinde non-
ejusdem rationis est cum numero numerante, neque ut ille quan-
tum discretum, ita & hic tale statim existit, sed pro diversitate re-
rum istarum, quibus applicatur & quorum numerus dicitur, ipse quoque variat, earumque rationem & conditionem sequitur. Jam autem tempus ab Aristotele non statuitur esse numerus numerans, sed numeratus, & quidem numerus motus: prout igitur se habet motus, ita quoque tempus; motus autem est continuus, quia per magnitudinem sit, quæ per se continua est, hinc & ipse numerus iste motus est continuus, & proinde tempus quantum est continua non discretum. Id quod & hinc patet, quia partes tem-
poris præteritum & futurum semper communi copulantur termino,
nem-

nempe $\tau\zeta\delta$ $v\ddot{u}v$ vel instanti, per hoc enim perpetim continuantur præteritum & futurum, & proinde tempus inter quantitatis continua species collocari oportet.

§. VI.

Altera quantitatis divisio hæc est: Quædam quantita constant ex partibus $\theta\acute{e}\sigma\pi$ seu positionem habentibus, quædam vero ex partibus positionem non habentibus. Ubi statim notandum, ad id, ut partes alicuius rei dicantur $\theta\acute{e}\sigma\pi$ vel positionem habere, sequentia requiri: I. ut ordinem quendam habeant, secundum quem sint vel suprà vel infrà, vel antè vel retrò &c. ita ut possimus digitò monstrare hanc partem in illo esse loco, illam in alio, v. c. ubi desinunt femora ibi incipere pedes, caput esse supra collum, brachia dimitti ex humeris. II. ut communi cohærent terminò, & sint continuæ, quemadmodum femora continua sunt cum pedibus, brachia cum humeris, collum cum capite & sic deinceps; III. ut omnes partes sint permanentes, nec celeriter disfluant, sed conjunctæ simul conspiciri possint. Ex his facile perspicitur, quenam sint quantitates positionem habentes, nimur linea, superficies, corpus & locus. Horum enim omnium partes 1. sunt alicubi atque ordinem habent, ita ut altera prior, altera posterior, una superior, altera inferior sit. 2. communi etiam terminò cohærent, ut ex præcedentibus patet. Et 3. quoque permanent, ita ut conspici possint. Quantitates autem positionem partium non habentes, sunt tres, tempus, numerus & oratio. Nam temporis partes non sunt ita alicubi, ut conspici possint, neque etiam permanent, sed fluant ac celeriter intereunt; numeri autem partes non cohærent communi terminò, quemadmodum ex præced. constat. Orationis voce scilicet prolatae partes itidem non copulantur communi terminò, & præterea quoque non simul sunt & permanent, sed celeriter pereunt. Unde etiam eleganter Homerus *verba alata* vocavit, quia volat irrevocabile verbum, & nescit vox missa reverti. Evidem ordinem habet & tempus, & numerus & oratio: in tempore enim hora prima præcedit secunda, secunda tertia & sic consequenter, in numero binarius prior est ternario, hic quaternariò, & sic deinceps; in Oratione Exordium præcedit, sequitur tractatio, hanc peroratio; at vero $\theta\acute{e}\sigma\pi$ seu positionem non habent, quia requisitis cæteris desituuntur.

§. VII.

Tertia divisio vel potius distinctio est hæc: Quanta alia per se sunt, alia per accidens. Quanta per se dicuntur, quæ in & per se sunt divisibilia in partes extra partes i.e. in ejusmodi partes, quarum altera est extra alteram. Et sunt omnia illa, quæ ante sunt enumerata, linea, superficies, corpus, locus, tempus, numerus & oratio, nimirum juxta assertionem Philosophi nostri in hoc libro Categoriarum, in quo minimè accuratè fert de rebus judicium, & aliorum quoque sectatur opinionem; alias enim *καὶ ἀληθεῖαν* tempus est quantum per accidens, ut & ab ipso assertur Philosopho citato jam ante V. Metaphys. cap. XIII. ubi ex professo & *καὶ ἀληθεῖαν* tanquam in scripto acroamatico rem hanc determinat. Locus autem est quidem quantum per se, at non specie distinctum à cæteris, sed sub superficie constitutum. Oratio denique est tantum per accidens quanta. Dupliciter enim ea spectari potet. Vel (1) quatenus constat ex syllabis multis inter se disjunctis, ac nullò termino communī copulatis, quā ratione recte quidem dicitur esse quantitas discreta, at vero non per se sed per accidens, nihil enim aliud est, quam numerus numeratus, qui per accidens quantus est. Duplex enim est numerus, ut subinde monuimus, alias dicitur numerans, qui est multitudo ex unitatibus simpliciter spectatis collecta, & hic per se est quantus; alijs vero dicitur numeratus, qui est multitudo ex unitatibus numeratis, sive in materia aliqua spectatis, collecta. Et hic est quantus per accidens, propter numerum scilicet numerantem. Sic decem homines vel boves, sunt numerus aliquis numeratus. Pari ratione & multæ syllabæ in oratione nihil aliud sunt, quam numerus numeratus. Vel etiam (2) potest spectari oratio, prout continuo tempore profertur, & in proferendo syllabæ producuntur vel corripiuntur, quomodo videtur esse quantitas aliqua continua, verum non per se, sed per accidens, quia à tempore dicitur quanta: longa namque syllaba est, quæ longiori tempore, brevis, quæ breviori tempore profertur. Et hinc etiam Aristoteles orationem inter quanta non recenset lib. V. Met. cap. XIII. Unde in rei veritate quanta per se talia & quidem specie distincta sunt hæc quatuor: linea, superficies, corpus & numerus. Quamquam & hoc cum grano salis accipiendum sit, cum alias & plura quanta

quanta dentur per se. Nimirum duplices rationis sunt quanta per se. 1. quædam ita dicuntur, quia in sua essentia sunt quanta, seu quorum definitionem ingreditur quantitas, & talia sunt quatuor illa modo enumerata. 2. quædam ita appellantur, quia sunt affectiones atque habitus eorum, quæ priori modo nempe per essentiam sunt quanta, veluti *longum, latum, breve, angustum, altum* & similia alia, quæ refert Aristoteles lib. V. Metaph. cap. XIII. Quanta per accidens dicuntur omnia illa, quæ in se & sua essentia, non sunt divisibilia in partes extra partes, neque etiam sunt affectiones quædam quantorum per se talium, quæ iis, quæ talibus insunt, sed per accidens solum divisibilia existunt, aut per accidens quanta per se afficiunt. Sic v. g. album dicitur magnum, quia superficies, cui albedo accedit, est magna. Eodem modo & actio dicitur longa, itemque motus multus, non per se, sed per accidens, quia tempus longum est & multum: longa enim actio si definienda esset, tempore utique definiretur h. m. est annua vel semestris, vel durans horam unam vel similiter. Item quanta hoc modo sunt tempus & motus. Neque est, ut dicas tempus tamen habere ejusmodi partes, quæ communi termino copulantur, nimirum præteritum & futurum, quæ *rebus viis* vel instanti, tanquam communi termino copulantur, ut antea quoque dictum est in §. V. proinde essa quantum aliquod continuum per se. Non est, inquam, ut ita regeras. Nam unde habent istæ temporis partes, quod sint continuae? Utiq; non à se ipsis, sed à continuo motu primi mobilis, quod tempus adeoque & temporis partes efficit, unde & definitur ab Aristotele, quod sit *numerus motus secundum prius & posterius*, lib. IV. Met. cap. XI. t. 101. Quocirca tempus omnino quantum aliquod per accidens existit. Quanquam pro exactiori hujus rei cognitione ex lib. 5. Metaph. cap. 13. notari velimus quanta per accidens non uno modo dici. Alia nempe ita dicuntur *propter subiectum*, cui inest *quantitas*, & cui alia, quæ quanta dicuntur, accident, & talia sunt vel *divisibilia ad divisionem subiecti*, ut album in pariete, calor in aqua, vel non sunt *divisibilia cum subiecto*, ut ars & scientia in homine; alia vero sic dicuntur, quia sunt *quanta per se* & *propter aliud*, licet ex parte *quanta per se* sint, & *subiecto non accident*, ut motus & tempus quæ sunt passiones corporum, & proinde non sunt eodem modo quanta

R.

per

per accidens, ut album vel dulce aut nigrum &c. habent & partes extra partes, in quas dividuntur, ut requirit definitio quanti; attamen per aliud quanta sunt, scilicet tempus per motum, motus per magnitudinem lib. 4. Phys. c. 11. Et hoc respectu quoque dicuntur quanta per accidens, quia scilicet non per se & propter se, sed propter aliud talia existunt.

§. VIII.

Supereft ut Conſequaria quantitatis evolvamus, quorum tria ſuppediat nobis Aristoteles. Scil. I. *Quanto nihil eft contrarium.* Intelligentum hoc, de quanto determinato, quā tali, ſeu quatenus per ſe conſideratur, & non ſimil ſumitur, cum ſubiecto naturali & qualitatum contrariarum capaci. Hinc linea, quatenus linea eft, non contraria eft alteri linea quā tali, nec ſuperficies ſuperficies, aut corpus corpori; quatenus autem ſuperficies calida eft, etenim eft contraria frigidæ, & linea alba nigræ, non per ſe & ſuam naturam, qua contrarietatis capax non eft; ſed per accidens, ſcilicet ratione adjunctarum qualitatum illarum. Objicis 1. Magnum & parvum, multum & paucum ſunt quanta, & tamen ſibi contraria. Verum ipfe Arist. hanc ſolvit contradictionem Lib. Categ. c. VI. Videlicet 1. non eſſe hæc quanta determinata, quemadmodum etiam cap. præced. dictum eſt. 2. magnum & parvum, multum & paucum nequidem videri eſſe quanta, ſed relata, quia alterum in reſpetu ad alterum ita dicitur. Hæc ratio non videtur procedere, quia majus quidem atque minus ſunt relata, magnum autem & parvum non ſunt relata, ſed quanta, ſiquidem credimus Plotino, qui ſic Ennead. VI. lib. III. cap. XI. ſcribit: *Magnum verò & parvum cur non in quantitate ponantur? Quod enim magnum eft, quantitate quādam magnum eft: atq; hec ipsa magnitudo in relatione non ponitur, ſed majus atq; minus ad relationem meritò ſpectare putantur.* Ad aliud enim hoc ipsum, quod ſunt, diuuntur, ſicut & duplum atq; dimidium. Curnam igitur & mons quidem ſep̄ parvus dicitur, granum verò ſepe milii magnum? Forſan quando parvum montem dicimus, parvum ibi, quaſi minorem intelligi voluimus? Sin etiam apud illos, qui hec tractant, conceditur montem appellari parvum, quatenus cum rebus ejusdem generis i.e. cum montibus comparatur, meritò etiam eft concessum, parvum ibi accipi preminori. Jam verò & magnum milium non ſimpliſter judicatur magnum,

gnum,

gnum, sed magnum propriè miliū granum. Hoc autem perinde est, ac si tantū dicatur cum rebus ejusdem generis comparatum, quibus profecto naturali ratione majus appellari potest. H. I. Verū uti re-
tē in hoc sentit Plotinus, quod magnum & parvum sint quanta: ita non necessum est, ut majus & minus à quantitate removeat. Ipse utiq; Aristoteles non tantū magnum & parvum, verū etiam ma-
jus atq; minus quanta per se esse docet, lib. V. Metaph. cap. XIII. sic inquiens: *Eorum verò, que per se sunt (quanta) quādam sunt pas-
siones & habitus hujusmodi substantiae, ut mulum & paucum, lon-
gum & breve, latum & strictum, profundum & humile, grave & leve,
& cetera quoq; hujusmodi. Sunt autem magnum etiam & parvum
majus & minus, tam secundum se, quam ad se invicem dicta quanti
per se passiones.* Amplius verò 3. respondet hōc locō Aristoteles ad objectionem allatam, quod licet concedatur magnum & parvum esse quanta, negari tamen posset ea esse contraria: cum enim parvum in respectu ad magnum dicatur parvum, & magnum respectu ad parvum dicatur magnum, quomodo possent sibi esse contraria? Relativè quidem opposita dici possent, non autem contraria. Deniq;
4. eundem respectu hujus esse parvum, respectu alterius verò ma-
gnum, adeoq; si magnum & parvum sibi sunt contraria, idem sibi
ipsi contrarium fore, quod sit absurdum. Verū & ha rationes Dialectica solūm videntur. Nam (1) utut hoc negari nequeat all-
quid posse dici magnum comparativè & respectu ad aliud, quod tantæ molis non est, & rursus parvum in respectu ad aliud, quod majoris molis est, minimè tamen propterea magnum ita compara-
tum est itemq; parvum, ut nihil possit dici magnum aut parvum
nisi respectu alterius cuiusdam, sed magna itemq; parva concipiun-
tur & dicuntur aliqua etiam simpliciter & in se, citrā Χέστων & re-
spectum ad aliud, non secūs atq; potest aliquid dici leve in respectu
ad aliud, quod gravius est, & aliquid grave in respectu ad aliud,
quod levius est; nihilominus tamen & grave & leve aliquid datur
simpliciter & minimè Χετικόν. Ita quoq; cum magno & parvo se
se res habet. Dein-(2.) non absurdum est idem sibi ipsi esse con-
trarium, nempe diverso respectu, contraria enim in eodem quidem
subjecto non sunt simul & eodem respectu, at diverso respectu eti-
am ea in eodem subjecto esse nihil prohibet. Sic Aethiops sibi ipsi

trarius est diverso respectu: est enim albus quoad dentes, niger quoad reliquas corporis partes; album autem & nigrum, quod sunt contraria dubium nullum est. Idem de multo & paucō esto judicium. Quapropter responione primā standum erit. Objicis II. Locus tamen est quantus, quia est superficies, at locus inferior contrarius est superiori. Responde: Locus inferior relativè quidem opponitur superiori: inferior enim referuntur ad superiorem, ejusque respectu dicitur inferior; at, quod contraria sunt & contrarie sibi opponantur, id veritati haud consonat, adeoque & hoc ipso Consecutarium illud non infringitur.

§. IX.

Deinde II. *Quantitas non recipit magis & minus.* Sic una res bicubita non est magis quanta quam altera res bicubita, nec tricubitum unum magis quantum est altero, circulus item aliò circulò non est magis aut minus talis, nec duplum unum magis duplum alterò: æqualiter enim duplum est, quaternarius ad binarium, atque denarius ad quinuarium comparatus. Majus quidem & minus recipit quantitas, ut major vel minor sit, at non magis & minus adverbialiter sumptis vocabulis, v. g. cera quidem recipit majus & minus, ita ut si partes ejus rarefiant, major reddatur, & si condensentur atq; coarctentur, minor fiat, at non sit magis & minus quanta, sed æquè quanta permanet. Scholastici dicent quantum quidem recipere magis & minus extensivè, h. e. ita ut extendi possit, non verò intensivè vel ita, ut intendi possit. Denique III. *maxime proprium est quantitati effe aequalē vel inæqualē, seu res dici ab ea aequales vel inæquales.* Ubi notandum, quod quemadmodum suprà quantitas propriè & impropriè sumebatur: ita & hæc assertio quantitatis dupliciter accipi possit. Nimirum æquale & inæquale dicitur 1. impropriè de omni eo, quod suprà nomine quantitatis intensivæ seu virtutis comprehendebatur, quomodo calor & frigus possunt dici aequalia vel inæqualia, si æquè intensa ac fortia sunt. Sic etiam febris tertiana dicitur æqualis quartanæ duplice, impropriè & abusivè, cum potius similis dicenda esset, item duo docti possunt dici æqualiter docti impropriè loquendo, quia doctus docto itidem propriè similis appellatur. 2. propriè, de quantitate pro-

propriè dicta, quā ratione in nulla alia, quām quantitatis Categorīa æquale & inæquale reperiuntur, ut etiam Aristoteles docet lib. V. Metaph. cap. XV. Neque est ut dicas: Substantia tamen una alteri est æqualis: Ergo & substantia competit hæc assertio. Nam substantia non per se & quā tali hoc inest, sed quatenus quantitate gaudet, secundum quam dicitur alteri æqualis vel inæqualis. Sed dicas ulterius: Infinitum tamen per se quantum est, at nec æquale, nec inæquale existit. Verum hoc facile diluitur: loquitur enim hic Aristoteles non de quavis, sed de actu existente quantitate; ast corpus infinitum actu nullum existit, quia omne corpus trinam habet dimensionem, quæ in infinitum cadere nequit.

§. X.

Sed obverteret quis adhuc nobis, atque diceret: Si proprium maximè est quantitatī, dici ab ea, aliquid æquale & inæquale, sequitur quantitatē recipere magis & minus, quia æquale & inæquale magis & minus recipiunt, ut exp̄s̄ docet Aristoteles cap. VII. hujus libri §. VII. his verbis: *Simile & dissimile recipit magis & minus, æquale quoque & inæquale dicitur magis & minus.* Resp. 1. non sequitur æquale & inæquale suscipiunt magis & minus: Ergo quantitas quoque suscipit magis & minus. Nam æquale & inæquale non sunt ipsa quantitas, sed quantitatis quedam affectio & consequens, at non statim, quod consequenti inest, & ipsi rei, cuius est consequens, tribuere licet. Sic namque consequens S. B. est voluptas animi, lib. 10. Ethic. cap. 4. & de hac dicitur, quod non fiat successivè & in tempore, sed ad modum visionis *ἐν τῷ νῦν* seu in momento integra sit & tota, juxta citat. lib. 10. Ethic. cap. 3; ast hoc de Summo Bono neutrum dici potest, cum tantum absit, ut quis unō momentō fiat beatus, ut potius multi, imò plurimi ad id requirantur anni: quemadmodum enim una hirundo non facit ver: ita neque unus annus⁴ nedum unum *νῦν* reddit beatum lib. 1. Ethic. cap. 6. Igitur neque inde quod æquale & inæquale magis & minus suscipere dicuntur, statim ipsam quoque quantitatē eorum capacem esse concludi potest. Deinde 2. & hoc ipsum æqualia atque inæqua-

S

lia

lia suscipere magis & minus non ex propria sed communi & vulgari opinione Aristoteles afferit. Declarat enim eō cū exemplō consectoriarum illud relatorum, quōd magis ea atque minus suscipere dicuntur, quemadmodum ex verbis ejus integris apparet, quæ haec sunt: *Videntur autem, quæ sunt ad aliquid, recipere etiam contentionem & remissionem: nam simile & dissimile dicitur magis & minus: cum utrumque eorum sit ad aliquid: nam simile alicui simile dicitur & inaequale alicui inaequale,* quod tamen non per se & quā talibus, sed per accidentē solum & quibusdam modō competit, ratione fundamenti, iis scilicet, quæ in qualitate fundantur, ut paulo ante monuimus. Ita v. gr. calx & creta, cum eādem qualitate gaudeant quā nix, nempe albedine, hinc similes eidem sunt, & proinde relata quādam; at creta magis est similis nivi, quām calci, non quidem ob ipsam relationem per se, sed ob fundamentum relationis, quæ ipsis intercedit, nimirum ob albedinem, quæ qualitas est & propriè magis minusque suscipit. Quoniam enim creta minus de contrario nigrōre participat, quām calx, inde quoque nivi, quæ nihil nigroris admixtum habet, similior existit. Contrā centenarius boum & equorum, atque asinorum sunt numeri æquales, atque inde relata, non tamen centenarius equorum, magis æqualis est centenario boum, quām centenarius asinorum, sed æquè & similiter, quoniam in quantitate fundatur hæc relatio, quæ intensionem & remissionem respuit. Quapropter æqualia itemque inæqualia *καὶ ἀληθῶν & in rei veritate magis & minus non suscipiunt, ab Aristotele tamen id iis tribuitur ad mentem vulgi, qui centenarium v. gr. lanæ æqualiorem autem centenario plumarum, quām centenario plumbi, licet in rei veritate utriusque ex æquo existat æqualis.*

CAPUT VII. DE CATEGORIA RELATORUM.

§. I.

§. I.

Ost Quantitatem RELATA proximè aggreditur Aristoteles, quæ cùm tām exilem entis rationem habent, ut quidam ex Veteribus dubitārint, num vera essent entia, existimantes ea non φύσης sed θέσης solum, sive συνθήκη vel constitutione & opinione hominum constare, atque adeò figura esse intellectus nostri, teste Ammonio ad lib. Categ. cap. VII. manifestum utique est, difficilem sat tis eorundem esse doctrinam, teste quoque ipsomet Aristotele sub finem cap. VII. & proinde non mirabimur, quod multa hic ex aliorum sententia Aristoteles asseruerit. Definit itaque Relata in hunc modum: Relata dicuntur, quæcunque id, quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quocunque alio modo ad aliud referuntur. Ubi 1. relata in plurali numero definitur, ut significetur, non idem sui ipsius respectu esse relatum, vel ad se ipsum referri posse, sed ad minimum duo adesse opotere, inter quæ θέσης & habitudo talis locum habere possit, ex quib[us] alterum relatum, alterum verò correlatum appellari solet, ut Pater & filius, Dominus & servus. 2. dicitur, quæcunque id quod sunt, aliorum esse dicuntur, ut scilicet relata distingvantur ab iis, quæ absoluta vocantur: hæc enim per se sunt, neque respectum ad aliud involvunt, sed esse suum obtinent, absque alterius ratione, relata verò non sunt sine respectu ad aliud, sed semper ad aliud respiciunt. Ut Dominus non est amplius Dominus, nisi sit is, ad quem refertur, nempe Servus. Dominus enim servi dicitur Dominus, & Servus Domini servus. Itemque Pater filii dicitur Pater, & filius Patris sui filius, adeoque relata id quod sunt, alterius esse dicuntur. Sed 3. dicitur in definitione, vel quocunque alio modò ad aliud referuntur, ut indicetur, non omnia relata alterius dici vel in casu Genitivo ad correlatum suum referri, quemadmodum servus Domini dicitur servus, sed & in aliis casibus ad aliqua referri, v. gr. amicus dicitur amico amicus, sciens scientiæ sciens, verberans eum, qui verberatur verberans &c. Verum tradidit hanc definitionem Aristoteles ex intentia Veterum, qui relata hōc modō definiebant, quamvis minus commodè, quia & substantiis quibusdam competit, quemadmodum

modum ipse ex divisione substantiae probat. Scilicet substantia, ut constat, alia est prima vel singularis, alia secunda vel universalis, & utraque vel secundum se totam, vel secundum partes specata. v. g. Substantia prima tota est Socrates, partialis vero manus Socratis, Substantia secunda tota est homo, partialis vero manus, caput, in genere. Jam substantiis quidem primis tam totis, quam partialibus haec relatorum definitio non competit: non enim Socrates dicitur alicujus Socrates, neque manus Socratis dicitur alicujus manus Socratis. Pariter nec substantiis secundis totis haec definitio inest: non enim homo alicujus dicitur homo, neque animal alicujus dicitur animal; ast substantiae secundae partiali, sive partibus substantiarum secundarum omnino definitio haec competit: nam manus dicitur alicujus manus, nempe ejus, qui habet manum, caput dicitur alicujus caput, scilicet capitati, vel ejus, qui capite instructus est. Substantiae autem secundae per se non sunt relata, unde definitio haec latior est definitio.

§. II.

Hinc substituit Aristoteles §. 24, aliam relatorum definitionem hoc pacto se habentem: Relata sunt, quorum essentia nihil aliud est, quam certo modo ad aliud affectum esse, sive quorum essentia non est alia, quam respectus ad aliud. In qua definitione 1. dicit: Relata sunt, ut indicet, se ex propria mente loqui, cum antea ex Veterum sententia locutus fuerit, unde & prius relata designebat hoc modo: Relata dicuntur, scilicet ab aliis & vulgo. 2. dicitur relatorum essentia nihil aliud esse, quam ad aliud referri, id quod & lib. VI. Top. cap. III. §. 1. docet, quando ait: Unicuique relatorum idem est essentia & ad aliquid quodammodo se habere. v. g. essentia Patris, quam Patris, nihil est aliud, quam referri ad Patrem. Pater enim nihil aliud est, quam respectus certus ad filium, & filius nihil aliud, quam $\chi\acute{e}\sigma\imath\zeta$ vel respectus aliquis ad Patrem. Qvō ipsō manifeste relata distinguuntur à partibus substantiarum. Utū enim v. g. manus vel caput, alterius manus vel caput dicantur, tamen essentia eorum non consistit in respectu isto, sed caput per se est caput, manus per se est manus, & intelligi possunt optimè sine respectu ejus, cuius sunt caput vel manus. Proinde

inde melior omnino est hæc definitio Aristotelis, quam ista veterum, vulgo usitata. Ut autem melius atque rectius ea intelligatur, tria vulgo ad relationem requirunt: I. duos terminos seu duo extrema, inter quæ versatur relatio seu respectus, & dicuntur relatum atque correlatum. Relatum est, quod habet respectum ad correlatum, ut Pater, Dominus. Correlatum est, ad quod relatum referatur, v. g. filius, servus. II. Fundamentum, seu rationem propter quam respectus iste, seu relatio inter duos istos terminos intercedit, quæ ratio pro diversitate duplicitis termini duplex quoque est, ut generare est fundamentum seu ratio propter quam pater ad filium refertur, generari vero vel generatum esse est ratio, propter quam filius refertur ad Patrem: Ita quoque Dominum est fundamentum, propter quod Dominus refertur ad servum, & servitus est fundatum, propter quod servus Domini correlatum est. III. Subiecta, quibus inhæreat ratio relati vel correlati, ut sunt Philippus, qui est Pater, & Alexander, qui est filius, Xantus, qui est Dominus, & Ælopus, qui est servus. Et aliquando sunt substantiae, ut in his exemplis videre est, aliquando vero accidentia, ut quando v. g. una quantitas alteri dicitur æquivalis vel inæquivalis.

§. III.

Notandum autem I. est, quod relata & correlata, vel sint completa & totalia vel incompleta & partialia. Sic filius & Pater sunt relata partialia: non enim tantum ad patrem refertur filius, sed & ad matrem, neque tantum filius, sed & filia ad utrumque refertur. Nam pater & mater sicuti sunt una totalis causa filii & filiæ, sic etiam simul constituent totale correlatum. Hinc relata totalia & completa sunt v. g. Parentes & liberi: sub Parentibus enim & Pater & mater, sub liberis vero & filiis & filiæ comprehenduntur. Potest autem unum idemque relatum & correlatum, pro diverso respectu esse completum & incompletum. v. g. primus filius, plenum & perfectum est parentum correlatum; quodsi autem nascatur & alius filius & quoque filia, primogenitus ille filius partiale fit correlatum, uterque vero cum filia simul sumptus adæquatum sive completum & totale correlatum est. Ut Cain ante

natum Abelem completum Protoplastorum correlatum erat: natō autem Abele, Setho, Cain factus est partiale correlatum, quia non tantum Caini, sed & reliqvorum, neque illius magis, quam horum parentes erant protoplasti nostri.

§. IV.

Notandum II. quod fundamentum aliud sit remotum, aliud propinquum. Remotum, inter quod & relationem aliud adhuc intercedit, quod proximè relationem causatur. Proximum, quod proximè relationem causatur, vel conditio aliqua, sine qua relatio ad fundamentum remotum non sequitur. v. g. potentia generandi est fundamentum remotum relationis, quā pater refertur ad filium, actus autem generandi proximum est fundamentum: hōc enim positō statim sequitur relatio, nempe paternitas. Scilicet ceteris paribus: si per actum illum producatur filius vel filia; quodsi enim hoc non fiat, neque proximum illud fundamentum relationem efficiet. Vocatur proximum hoc fundamentum ab aliis ratio fundandi, & quartum relationis requisitorum ponitur, sed potest sub fundamento comprehendiri, neque opus est novum constituere requisitorum. Hoc tamen observandum, non in omnibus relatis duplex hocce occurrere fundamentum, sed in quibusdam concurrere in unum, ita ut ratio fundandi & fundamentum coincident. v. g. nix est relatum lactis, quatenus laeti dicitur similis esse, simile enim respectu alterius est simile, & fundamentum hīc est albedo, albedine namque nix similis est laeti, ratio autem fundandi hīc diversa non est, sed cum fundamento coincidit.

§. V.

Sunt autem fundamenta relationum triplices generis. 1. ἡγιαθμός, UNITAS & NUMERUS vel multitudo. 2. δύναμις ποιητική ηγιαθητική POTENTIA ACTIVA & PASSIVA, earumque ἴνεργα seu actus & exercitium. 3. τὸ μέτρον ηγιαθητοῦ, MENSURA & MENSURABILE, ut ipse docet Aristoteles lib. V. Metaph. cap. XV. Relationes, quae in unitate fundantur, rursus sunt triplices. Vel enim fundantur in unitate secundum substantiam aut

aut essentiam, quæ vulgo dicitur idenditas: *eadem enim sunt, quorum eadem est essentia*, Lib. V. Metaph. cap. XV. vel fundantur in unitate secundum quantitatem, quæ dicitur æquivalitas: *æqualia enim sunt, quorum una est quantitas* l. c. vel fundantur in unitate, secundum qualitatem, quæ dicitur similitudo: *Similia enim sunt, quorum una est qualitas* l. c. Relata, quorum fundamentum est identitas, sunt v. g. duo individua humana, Petrus & Socrates, in quantum scilicet speculantur ut eadem: idem enim aliquid dicitur, non secum ipso, sed cum alio, hincque refertur ad alterum, proinde & Petrus refertur ad Socratem; in his autem fundamentem est identitas, seu una eademque essentia, quâ uterque horum gaudet. Qyodsi omnia requisita relationis particularium expetis, duo termini relatum scilicet & correlatum sunt **EADEM**, subjecta duo, quibus relatum & correlatum tribuitur, sunt duo isti homines; fundamentum remotum est essentia humana, fundamentum proximum seu ratio fundandi est unitas specifica essentia, quia unam specie essentiam habent. Relata, in quibus fundamentum est æquivalitas, sunt v. g. duas substantias quantæ, quæ sibi sunt æquales, & ratione æquivalitatis ad se invicem referuntur. Hic enim duo termini, relatum & correlatum, sunt **ÆQUALIA**, duo subjecta sunt duas substantias quantæ, fundamentum remotum est quantitas, fundamentum proximum est unitas secundum quantitatem seu æquivalitas. Relata, in quibus fundamentum est similitudo, sunt duas substantias, eadem qualitate gaudentes, cuius respectu dicuntur sibi similes & ad se invicem respectum involvunt. Duo termini sunt **SIMILIA**, relatum nempe est unum simile, correlatum est alterum simile; subjecta duo sunt v. g. herbae duas in tertio gradu calorem habentes, fundamentum remotum est qualitas, proximum unitas secundum qualitatem vel similitudo.

§. VI.

Uti verò relata, in quibus fundamentum est unitas, triplicia erant, sic & illa, in quibus fundamentum est numerus vel multitudine triplicis generis sunt. Vel enim fundamentum eorum est multitudine secundum essentiam, quæ dicitur diversitas: uti namque easdem

dem sunt propriè, quæ habent unam essentiam, sic diversa propriè dicuntur, *quorum diversa est essentia*. Vel fundamentum est in iis multitudo secundum quantitatem, quæ dicitur inæqualitas: uti enim æqualia sunt, quorum eadem est quantitas, sic inæqualia sunt, *quorum non est una quantitas*. Vel fundamentum est in iis multitudo secundum qualitatem, qua dicitur dissimilitudo: quemadmodum enim dicebantur similia, quorum una est qualitas, ita dissimilia dicuntur, *quorum non una est qualitas*. Prioris relationis exemplum habemus in homine & equo, qui ad se invicem referuntur, quatenus ut diversa spectantur. Termini enim duo sunt DIVERSA seu specie distincta, subjecta duo sunt homo & equus, fundamentum remotum est essentia, proximum diversitas essentie. Posterioris exemplum sunt v. g. Hercules & Paris, qui ad se invicem referuntur, quatenus ut inæquales spectantur. Hic termini sunt INAEQUALIA, relatum enim est inæquale, correlatum alterum inæquale; subjecta sunt Hercules & Paris, fundamentum remotum est quantitas, proximum verò multitudo secundum quantitatem, ille quippe hōc multō major existit. Postremē relationis exemplum possumus dare in Aesopo & Aristotele, qui referuntur ad invicem spectati ut dissimiles. Hic enim termini sunt DISSIMILIA, relatum unum dissimile, correlatum alterum dissimile, subjecta verò Aesopus & Aristoteles, fundamentum remotum qualitas, proximum multitudo, vel pluralitas secundum qualitatem: Aristoteles enim multō fuit doctior Aesopo.

§. VII.

Et tantum de relationibus iis, in quibus fundamentum est UNITAS vel MULTITUDO. Relationis autem ejusmodi exemplum, cuius fundamentum est potentia ejusque actus, est paternitas. Hic enim duo termini sunt, Pater & filius, subjecta duo sunt due substantiae, v. g. Philippus & Alexander, fundamentum remotum est potentia generandi activa in Patre, passiva in filio, fundamentum proximum est ipsa actio, seu ipse actus generandi. Talis quoque relatio est conjugium. Termini enim sunt maritus & uxor, subjecta Abraham v. g. & Sara, fundamentum remotum facultas consenti-

sentiendi in utraque persona, proximum ipse consensus actualis utriusque personæ in individuum vitæ societatem. Est quoque ejusmodi relatio contractus, item regnum, dominatus, & id genus alia. Denique relatio tertii generis, in qua fundamentum, est mensura & mensurabile, obtinet v. g. in scientia & scibili, Hic enim duo termini relatum & correlatum sunt scientia & scibile, subiecta verò sunt Politica v. g. & Respublica; fundamentum est potentia activa & passiva ad mensurandum, activa in Politica, passiva in Republica; ratio fundandi seu fundamentum proximum est ipsa mensura & mensurabile: Politica enim mensurat Rempublicam, & Respublica mensuratur secundum Politicam, omnis namque Respublica secundum Politicæ præcepta institui debet, siquidem rectam esse oporteat.

§. VIII.

De relationibus iis, quæ in unitate & numero fundantur, hoc teneto: *Sublati fundamentis tolli & ipsas relationes.* Sic si tollatur identitas specifica essentiae, quæ Paulo cum Socrate intercedit, ipsa quoque relatio Pauli ad Socratem & hujus ad illum tollitur. Pariter si dissimilitudo eruditionis, quæ Æsopo cum Aristotele intercedit, tollatur, ipsa relatio horum ad invicem tollitur. At secùs se res habet cum iis relationibus, quæ potentia activa & passiva, earumque actu fundantur: *hæ enim sublati fundamentis, nihilominus salva manent, modo subiecta permaneant, quibus terminantur.* Sic Paternitas in Patre jam fene, in quo nec potentia, nec actus generandi amplius est, manet, dummodo filius supersit. Sic quoque Præceptor manet Præceptor, etiamsi nullà amplius in re informet discipulum, si modò discipulus existat: quamdiu enim hic existit, præceptor semper ad discipulum, & hic ad istum refertur.

§. IX.

Notandum III. quòd, cùm duo termini, relatum scilicet
T & cor-

& correlatum, ad relationem reqvirantur, hi termini aliquando diversa sint nomina, ut Pater & filius, herus & servus, Magistratus & subdit*i*; aliquando verò eodem nomine efferantur, ut simile est simili simile, frater est fratrī frater, amicus est amico amicus. Hinc & Ammonius relata dividit in ea, quæ sunt *καθ' ὄμοιοιαν*, seu quæ ejusdem nominis sunt, & in ea, quæ sunt *καθ' ἀρεσμούιαν*, quæ diversa nomina habent. Comment. in hunc locum. Scholastici vocant illa, relata æqviparantia seu æqua is comparationis, hæc disparantia seu inæqualis comparationis. Et hæc rursus cum Psello dividunt in relata *ὑπερθέτεως* seu superpositionis, quæ respectum habent majoris ad minus, ut Magistratus & subdit*i*, Pater & filius, herus & servus; & in relata *ὑποθέτεως* seu suppositionis, quæ respectum dicunt minoris ad majus, ut servus relatus ad herum, filius relatus ad Patrem, subdit*i* relati ad Magistratum. Alii vocant hæc minoris æqviparationis, & illa majoris comparationis relata.

S. X.

Alias dividuntur relata in relata rationis, & in relata rea- lia. Relata realia dicuntur, quæ realem ad aliquid respectum habent, etiam remotō omni actu intellectū & rationis, qualis est inter Patrem & filium, Dominum & servum, quæ respectum ad se involvunt, etiamsi ratio vel intellectus cā de re nihil quicquam cogitet. Ad talem relationem realēm reqviritur I. ut relatum, & correlatum sint entia realia in rerum naturā existentia, quia non entium nulla realis relatio est, ut chimerae &c. II. ut fundatum relationis, per quod ad se mutuō referuntur, sit aliquid reale, v. c. vel numerus, vel multitudo, vel actio, vel passio, vel mensura & mensurabile &c. III. Ut correlatum re ipsā sit distinctum à relato, quemadmodum filius re ipsā distinctus est à Patre, servus à Domino. Relata rationis dicuntur, quorum respectus non est in re ipsa fundatus, sed ab intellectu pendet, comparante res sub quadam habitudine, quam iis aliquando attribuitur. Talis relatio est, quando Deus refertur ad ea, quæ à DEO de-

dependent; quod certè non idèò fit, quasi fundamentum quoddam hujus relationis sit in DEO, aut quasi DEUS sit alterius, nempe rei à se dependentis, sed contrà potius, quia alia sunt ipsius. Porro relata dividuntur in relata secundum dici & secundum esse. Relata secundum esse dicuntur, quæ quoad essentiam suam important respectum ad aliud, sive quorum essentia ipsa est constituta in Χέτι seu relatione, ut Pater, Dominus, Præceptor. Relata secundum dici vocantur, quæ secundum essentiam suam non important respectum, sed sunt absoluta. Sic manus, pes, caput, ala, in se spectata ad aliud respectum non involvunt, sed tūm demum, si spectentur ut partes totius: tum enim manus referunt ad eum, qui manus habet, pes ad pedatum, caput ad capitatum, ala ad alatum. Denique dividunt vulgo relata in prædicamentalia & transcendentalia. Transcendentalia vocantur quæ qualcumque respectum ad invicem habent, qualis in omni Categorio obtinet. Prædicamentalia vocant, quæ referuntur ad aliud non tanquam causa & effectus ejus, vel aliò modò, qui communis est reliquis Categoris, sed tanquam terminus ad terminum, & quidem merè & purè sub ratione termini, & propriè constituunt prædicamentum relationis. v. g. Præceptor & Discipulus, Dominus & servus.

§. XI.

Verùm enim verò de divisionibus hisce hæc breviter tene-
to: I. Non sunt divisiones in species propriè dictas, sed solum distinctiones eorum, quæ propriè & strictè, & quæ latius ac impropriè relata dicuntur. Relata nempe realia & secundum esse, tantum sunt strictè dicta relata, felata verò rationis & secundum dici latè. II. Ultima divisio relatorum in prædicamentalia & transcendentalia, non est diversa ab ista divisione media, quæ dividuntur in relata secundum esse & dici. Utut enim relata prædicamentalia & transcendentalia varii variè explicent, ta-
men si omnia accuratè penitemus, nihil aliud deprehendimus,

T 2 quam.

quām per transcendentalia eos intelligere ea relata, quæ ad prædicamentum relationis præcisè non pertinent, sed in omnibus Categorīis obtinent, dum res quælibet hōc vel illō modō conceptæ ad invicem referri q̄eant; at nonne hæc sunt relata secundum dici, quæ quidem sunt in se absoluta, vel etiam in aliqua alia Categorīa, interim tamen ad relata referuntur, quia hōc vel illō modō concepta, respectum ad alia involvunt? Per prædicamentalia vero nihil aliud intelligunt, quām ea, quæ per se & propriè ad prædicamentum relationis spectant, at hæc omniō coincidunt cum relatis secundum esse. Hæc enim sunt, quorum essentia ipsa nihil aliud est, quām respectus ad aliud; at hæc sunt illa, quæ ad prædicamentum relationis pertinent, unde & relata sic ante ab Aristotele definiebantur. Denique III. & hoc observandum, quod ex modō dictis per se innotescit, relata rationis & secundum dici non per se ad prædicamentum relationis pertinere, relata autem realia & quidem secundum esse talia, per se ac propriè prædicamentum relationis constituere.

§. XII.

Restant Consectaria relatorum, quæ hīc ab Aristotele reconsentur. Videlicet I. *Relatis inest contrarietas*. Ubi notandum est (1) Aristotelem assertō hōc non id velle, quod relatum suo correlato contrarium sit: horum enim oppositio relativa est, non verò contraria, sed quod relatum vel correlatum alii cuiquam rei sit contrarium. v. g. Scientia non est contraria scibili correlato suo, sed alii rei, nempe ignorantia. (2) non ex rei veritate, sed ex altorum opinione hanc affectionem relatis ab Aristotele tribui. Nam relatis per se nihil est contrarium, sed tantū per accidens, ratione fundamenti, si scilicet fundentur in qualitate, cui per se contrarietas inest, v. g. herbæ duæ calorem tertii gradus habentes sunt relata, & habent contrarium, nempe herbam frigus, at non per se & quā sunt relata, sed ideo, quod fundamentum hujus relationis in qualitate, nimi-

nimirum similitudine graduum caloris consistat. Contra vero, quorum relatorum fundamentum quantitas vel substantia est, illa non sunt contraria, quia nec substantiae, nec quantitati inest contrarietas, v. g. Pater & filius, æquales & inæquales. Hinc ipse Aristoteles addit, non in omnibus relatis hoc verum esse, indicans se ex sententia aliorum illud consecutarium posuisse.

§. XIII.

Deinde II. Relata videntur suscipere magis & minus. Quod rursus de omnibus relatis verum non est, quemadmodum ipse Aristoteles ibidem statim monet, sed tantum de iis, quorum fundamentum est qualitas: haec enim cum recipiat magis & minus, seu intendi ac remitti possit, hinc & relata, quæ in ea fundantur, magis & minus recipere possunt; qua vero in quantitate vel substantia fundantur, magis & minus non recipiunt, quia nec quantitas nec substantia magis & minus recipit, quemadmodum ex superioribus patet. Sic Pater & filius duplum & dimidium, magis & minus non recipiunt, quoniam horum fundamentum in quantitate, illorum in substantia est. Neque est, ut objicias, Aristotelem tamen ipsum hoc loco dicere, etiam æquale & inæquale, magis & minus suscipere posse, quæ tamen non in qualitate, sed quantitate fundantur. Nam quid ad hoc respondentum sit, jam circa quantitatis categoriam §. 10. abunde ostensum est.

§. XIV.

Insuper III. Omnia relata τοῦς ἀντισηφόντα λέγεται convertuntur, vel secundum convertentiam dicuntur, id est, quemadmodum prima res ad secundam, sic secunda vicissim ad primam dicitur. v. g. Quemadmodum Dominus est servi Dominus, ita servus est Domini servus. Non tamen omnia relata in easu Genitivo referuntur ad se invicem, sed & in Dativo aliisque. v. g. amicus est amico amicus, verberans verberatum ver-

verbensis &c. Neque etiam omnia relata in eodem casu convertuntur, sed & quædam in diversis, v. g. scientia est scibilis scientia, & scibile est scientia scibile, & sic in aliis. Ut autem conversio in relatis obtineat, cuivis relato aptè ac commodè assignari debet correlatum. In hoc vero assignando decipi quis potest. (1) si loco correlati assumat id, quod per accidens & non essentialiter ad relatum refertur. v. c. si quis dicat Patris correlatum esse hominem, is errat, quia homo, non in quantum homo refertur ad patrem, sed quatenus filius est, cui hominem esse inest. (2) errare quis in assignando correlato poterit, si nomine illud careat. Hinc enim male dicitur ala avis esse ala, & caput animalis esse caput, quia ala avis, & animal capitum correlatum non est, sed verum correlatum nomine caret: nam scarabrus & musca aves non sunt, & tamen habent alas, velut virginis inclusas, teste Aristotele lib. 1. Hist. Animal. cap. III. Ut itaque primum in assignando correlato impedimentum quis declinet, non respicere debet ad absolutam rerum naturam, sed tantum ad affectionem illam & respectum illum, quem ad se invicem habent. Unde cum respectum ad Patrem non habeat, homo quatenus homo, sed quatenus filius, hinc non homo, sed filius correlatum erit. Alterum vero impedimentum ut vitet, ἀναποτομὴ seu novum nomen fingere debet, id quod tamen non à quovis, sed à docto & exercitato Analytico faciendum est, qui nomina accommodata & apta fingere queat. Et quidem ut ἀναποτομὴ recte institutatur, duas regulas Aristoteles ponit, quarum prima haec est: *A nomine relati, cui correlatum assignare volumus, sumendum est denominativum, quod omnia comprehendet, ad quæ illud relatum refertur.* v. g. cum alæ itemque capitum correlatum sit ἀνάρρηψις, denominativum ab ala & capite sumendum, nempe alatum capitatum, quibus omnia comprehenduntur, quæ ala vel capite praedita sunt. Sic & clavi correlatum à clavo deducendum est, nempe clavatum, hoc enim omnia continet, ad quæ clavus refertur. Altera, eaque sat insignis ad dignoscendum, an recte sit assignatum correlatum, regula ita fons:

nat: *Id est verum correlatum, quo manente licet cætera omnia
accidentia fuerint dempta, ad ipsum semper relatum referuntur,
quod autem ita se habet, ut cō reliktō & ceteris demptis, non amplius
relatum referatur ad ipsum, id non est verum correlatum.* v. c. dico:
Servus est Domini servus: Dice etiam, servus est hominis servus.
At video statim, quod Dominus sit verum servi correlatum, quia
negatis omnibus, quæ accidentiū Domino, veluti quod sit bipes,
albus homo &c. reliktō hōc solō, quod si Dominus, servus sem-
per ad ipsum referetur. Hominem autem non esse verum servi corre-
latum inde patescit, quia si separetur ab homine, eum esse Domi-
num, servus non amplius ejus servus esse dicetur, quia multi sunt
homines, servum tamen nullum habentes.

§. XV.

Porrō IV. *Relata dicuntur naturā simul esse.* v. g. Prin-
ceps cum subditis, Rex cum regno, Pater cum filio &c. adēd
ut positō vel sublatō unō, necessariō & alterum ponatur vel aufe-
ratur. Intelligendum verò hoc est de relatis formaliter seu qua-
tenus sunt reata, spectatis: alias enim si absolutè considerentur,
alterum alterō prius esse nihil prohibet. Sic Pater & filius si
absolutè considerentur ut homines, Pater utique filiō multis an-
nis prior est; at verò si secundum respectum ad invicem consi-
derentur, neuter alterō prior est, sed uterque simul est, & tunc
pater esse in ipit, quando aliis ejus filius esse incipit & contra.
Unde simul patet, quid respondendum sit ad illam objectionem,
quam ipse Aristoteles hic movet de scientia & scibili, sensu &
fensiōli. Dicit enim sensibile & scibile prius esse sensu & sci-
entiā, quoniam scientiā & sensu sublati, non statim etiam scibi-
le & sensibile tollitur. v. g. quadraturæ circuli nulla est scientia,
attamen est scibilis, itemque color aliquis manet sensibilis, quam-
vis nullus sensus ipsum actu sentiat. Verūm facile ad hanc re-
spendetur. Nam ut diximus, relata duplici modō considerari
possunt. Unō absolutè & per se, ut res vel entia; alterō, ut
quandam

quandam inter se *χέον* habent & respectum, vel quatenus re-lata sunt. Inde utut scibile & scientia, itemque sensibile & sensus priori modo spectata simul non sint, sed scibile & sensibile priora existant sensu & scientia, tamen posteriori modò si spectentur, scilicet non ut res simpliciter, sed ut res scibiles & sensibles, omnino natura simul sunt, neque ulla res potest esse icti-bilis vel sensibilis, si nulla scientia vel nullus sensus existat.

§. XVI.

Denique V. Relatorum unum cognoscitur per alterum. Ita nimirum, ut si unum relatorum definitivè atque accurate cognoscitur, cognoscatur & alterum, v. c. si accurate & distinctè sci-am, Alexandrum esse filium, etiam simul distinctè cognitum ha-beo, cuius sit filius, nempe Philippi. Quid si verò cognitum non habeam, Philippum fuisse Patrem Alexandri, tum neque cognitum accurate habeo, Alexandrum fuisse filium, sed opinio-nem solùm & *ταύληψιν* seu existimationem qualemcumque habeo. Ratio est, quia essentia relatorum nihil aliud est, quam respectus & habitudo ad aliud, unde si cognosci essentia eorum debet, etiam habitudo illa ad alterum cognoscatur oportet, quomo-do autem hæc sine altero illo subiecto cognosci potest? Neque est, ut objicias. Quæcumque natura simul sunt, ea quoque sunt æqvè nota, neque alterum altero notius est, & per consequens alterum per alterum definiri & cognosci non potest. Nam ve-rum id quidem est, quod definitio, quæ nos in cognitionem rei deducit, ex natura notioribus constare debeat, ast exceptis relatis, quæ se mutuo explicant, cum essentia eorum in mutua *χέ-σει* & relatione consistit, quemadmodum expressè docet Aristoteles lib. VI. Topicor. cap. VIII, §. I. Et tantum quoque de-Relatis.

CA-

CAPUT VII.

DE
CATEGORIA QUALITATIS.

§. I.

 Valitas sumitur 1. latius pro omni eo, quod quomodo-
docunque ad questionem quale est responderi potest,
sive in quale quid, sive quale quantum, sive aliò
modò. Quò sensu differentia substantiarum dicun-
tur qualitates, Lib. V. Metaph. cap. XIV. itemq; ge-
nera & species vocantur qualitates circa substantias Lib. Categ. cap.
V. Dein 2. strictè sumitur qualitas pro accidente, à quo subiectum
propriè & simpliciter dicitur quale. Quà in significatione h. l. su-
mitur & propterea ab Aristotele describitur, quod sit $\tau\omega\delta'$ ή ποιό
 $\tau\omega\eta\tau\epsilon\alpha\lambda\epsilon\gamma\omega\tau\alpha\tau$, secundum quam aliqui dicuntur quales. In-
qua descriptione I. genus quidem vel id, quod generis vicem præ-
stat, (est enim qualitas supremum genus, quod aliud genus propri-
um vel univocum non habet, interim conceptus aliquis communis,
qui generi sit analogus, potest ponit) omissum est, sed facilè subin-
telligitur nimirum accidentis vel forma aliqua accidentaria. II. Di-
citur qualitas esse accidentis, à quo vel secundum quod aliqui dicun-
tur quales, nimirum quales simpliciter & absolute sine addito.
Quò ipsò qualitas non tantum differt à differentiis substantiarum
& omnibus aliis universalibus, quae etiam prædicantur in quale, sed
non in quale simpliciter, verum in quale quid ποιόν τι vel ποιόν
 $\pi\epsilon\eta\lambda\epsilon\tau\alpha\tau$ quale circa substantiam, seu qua significant qualitatem
substantialem, sed & à reliquis accidentibus omnibus, quae quidem
etiam prædicantur in quale, at itidem cum addito v. g. à quantitate
dicitur aliquid quale quantum vel quotum, ab actione quale agens,
à passione quale patiens &c. Denique III. dicitur qualitas esse, se-
cundum quam $\tau\omega\eta\tau\epsilon\alpha\lambda\epsilon\gamma\omega\tau\alpha\tau$ aliqui dicuntur quales. Ubi per $\tau\omega\eta\tau\epsilon\alpha\lambda\epsilon\gamma\omega\tau\alpha\tau$ intel-
ligit substantias primas: de his enim primò & immediate accidentia
dicuntur, adeoque & qualitas: sunt namque subiectum, non tan-
tum

u

tum

tum omnium substantiarum secundarum, sed & omnium accidentium, ut patet ex superioribus; de secundis autem substantiis dicuntur tantum secundarii & propter substantias primas, quemadmodum itidem jam constat. Substantiis itaque primis primo insunt qualitates, adeoque qualitas est accidentis, secundum quod substantiae prima dicuntur quales. Haec autem ipsa qualitas propriè dicta & modò definita, non est uniusmodi, sed quatuor illius existunt species, eæque binomines (1) habitus & dispositio, (2) potentia & impotentia naturalis, (3) passio & patibilis qualitas, (4) figura & forma. Facit autem Philosophus has species binomines, ut omnes qualitates, quarum aliqua ab invicem specie non distinguuntur, complectatur.

§. II.

Ordine itaque has species lustremus. Prima earum est habitus & dispositio. Dispositio vel *πλοτης* est qualitas paucis quibusdam actionibus acquisita, imperfectè subjectum disponens, ad agendum patientiumve & facile ab ipso mobilis, v. g. Continentia, Tolerantia &c. Habitus vero seu *έξις* est qualitas crebris actionibus acquisita, subjectum perfectè ad agendum vel patientium disponens, difficulter ab illo mobilis. V. g. virtus, justitia, scientia. Differunt itaque habitus & dispositio (1) in hoc, quod ille pluribus, haec paucioribus actionibus constet atq; acquiratur, (2) in eo, quod dispositio facile sit mobilis, facileq; amitti possit; habitus vero non item, sed difficulter admodum, v. gr. qui dispositionem habet ad scientiam Physicam, ille brevissimi temporis spatio, per intermissionem Physici studii eam amittere potest; at qui jam habitu scientiæ Physicæ instruclus est, is difficulter eum amittit, etiam si diu studium istud negligat. Potest quidem & ipse habitus amitti, graviori scilicet casu, v. g. morbo ingenti, aut omni prorsus studiorum intermissione per plurimos annos continuata, attamen longè difficiliter amittitur, quam dispositio. Ita de Messalâ Corvino, cive Romano referunt, eum ex gravissimo morbo, quod oppressus fuit, adeò rerum à se cognitarum memoriā amississe, ut proprii nominis fuerit oblitus. Thucydides lib. 2. refert, in infanda peste, quæ Græciam vexavit, nonnullos ubi convalluere, cognatos imò se ipsos ignorasse, id quod ex codem & Galenus lib. III. de causis symptomatum

matum allegat. Plinius de aliquo narrat, quod lapide ictus, nominis sui memoriam amiserit lib. 7. H.N. c. 24. Boëthius lib. 3. in præd. Aristot. meminit Oratoris cuiusdam, qui ægritudine divexus febrique excoctus, omnem literarum doctrinam amisit. Quod autem qualitas ista, quæ diuturnior est, & difficilius amittitur, habitus, illa verò quæ facile perditur, dispositio dicendæ sive probat Philosophus ex communi loquendi consuetudine, quia scil. eos, qui nondum plenam scientiæ alicuius dogmatum cognitionem habent & facile eâ fraudari possunt, nemo dicat habere habitum, sed tantum aliquò modò secundum scientiam esse dispositos & affectos, vel melius vel deterius, alter scil. alterò melius vel deterius, prout habitu proprio vel ab ea remotior est.

§. III.

Unde errant, qui habitum & dispositionem diversas qualitatis species constituant. Nam (1) ipse Aristoteles expresse h. l. habitum & dispositionem vocat ἡδος unam speciem cap. VIII. Lib. Categ. §. 3. Dein (2) differentiæ, quæ habitui & dispositioni intercedunt, tantum sunt accidentiaræ, & partim in actionum numero, partim in temporis longinqvitate consistunt. Hinc (3) una eademque qualitas, quæ est modò dispositio, successu temporis fit habitus, v. g. cum quis incipit discere Logicam, tum initio post paucas actiones & exercitia generatur in eodem dispositio ad Logicam, quæ dispositio, postquam per crebriosas actiones confirmata est, & quasi radices egit, fit ipse habitus scientiæ Logice.

§. IV.

Distingvunt vulgè habitum in corporis & animi habitum v. g. agilitas est habitus corporis, scientia verò & justitia, est habitus animi. Deinde & distingvunt habitum in acquisitum & non acquisitum, & hunc rursus in naturali seu insitum, qualis sit peccatum originale in homine corrupto, & in habitum insitum, qualis si v. g. cognitio lingvarum in Apostolis. Verùm utur prima distinctio admitti possit, tamen posteriores hic non pertinent, cum Philosophi ingenium transcendat: quid enim ille de Apostolis, quid de peccato originali novit? Confunditur ab his lumen naturæ cum lumine revelato, quæ erant probè discernenda.

U. 2

§. V.

Secunda qualitatis species est potentia naturalis & impotentia. Potentia naturalis est *qualitas innata, quā res aliqua ad agendum vel patiendum apta est.* v. g. vis trahendi ferrum in magnete, vis & aptitudo ad studia, ad Palæstram, ad cursum in homine &c. Impotentia naturalis est *qualitas innata, per quam res aliqua minus apta existit, ad agendum vel patiendum aliquid, seu quæ difficulter aliquid agit aut patitur,* v. g. imbecillitas videndi in lusco, quā debilem habet visum & ægrè videt, item stupiditas ingenii, quā quis difficulter discit Philosophiam. Dicitur verò potentia & impotentia naturalis, non quasi rei essentialiter insint, seu naturam & essentiam ejus constituant, sed quia ab eo proficiuntur, quod rei internum est, neque extra illam existit, à naturali nempe complexione & temperamento. Hinc enim fit, ut propter talem vel talem complexionem corporis in hujus v. g. oculis sit facultas benè atque acutè videndi, in aliis verò propter aliud temperamentum naturalis aliqua imbecillitas ad videndum. Ex quibus patet, distinctam esse hanc secundam qualitatis speciem à prima. Nam (1) habitus & dispositio sunt Ἐπιτήτα, i. e. acquiruntur motu & crebris actionibus, potentia verò & impotentia non acquiruntur, sed ab ipso rei ortu statim insitæ sunt, vel ex natura conditione consequuntur, quod discrimen etiam ipse Aristoteles tradit Lib. II. Eth. cap. I. & V. Deinde (2) habitus & dispositio est tantum rerum animatarum, potentia verò & impotentia etiam inanimatarum v. g. potentia illa, quā ignis sursum, & quā terra deorsum ferri apta sunt. (3) potentia si in actum dederatur, non amplius dicitur potentia, sed dispositio vel habitus. Ut celeritas in Achille puerō, nondum in actum deduēta dicitur potentia naturalis, eadem verò in Achille adversus Trojanos dimicante, cùm actū se exserit, dicitur habitus.

Ulti autem habitus & dispositio unam tantum qualitatis specimen constituebant, sic & potentia atque impotentia naturalis. Eadem namque qualitas diversò respectu & potentia & impotentia existit, ita, ut respectu ejus, ad quod apta est, potentia, respectu verò ejus, ad quod inepta est, impotentia dicarur, v. c. dum habet potentiam ad resistendum fecanti, nē facile fecetur, hæc ipsa autem potentia simul est impotentia ad id, ut facile fecetur.

Salubritas in homine est potentia ad resistendum morbis, eadem
verò etiam est impotentia patiendi à morbis. Neque est, ut
quis objiciat: impotentia est privatio; at verò privatio per se
ad nullum prædicamentum pertinet. Ergo neque impotentia,
proindeque nequit esse species qualitatis. Nam impotentia pariter
atque potentia non unō modō dicuntur. Potentia (1) in genere
pro quavis sumitur aptitudine, ita ut habitum etiam comprehen-
dat. Lib. X. Metaph. cap. II. & V. Dein (2) in specie & stricti-
us pro viribus naturalibus, quæ posterior significatio h. l. obtinet.
Pari pacto & potentia significat (1) totalem parentiam, seu Privati-
onem potentiae vel aptitudinis alicujus, qualis est v. g. cœcitas lib. V.
Met. cap. 12. Dein (2) significat imbecillitatem positivam ad ali-
quid agendum vel patiendum, nihilque aliud est, quām potentia
imperfecta, qualis v. g. est imbecillitas videndi in sene. Jam non
in priori, sed posteriori significatione h. l. vocabulum impotentiae
sumitur, quā non est privatio, sed positivum quid, nimirum po-
tentia aliqua imperfecta.

§. VII.

Tertia qualitatis species est patibilis qualitas & passio. Ubi
statim notandum vocabulum πάθειαν vel passionis non unō modō
sumi. Nam (1) sumitur pro quovis accidente lib. IV. Top. cap. V.
Unde & proprium accidens ιδίον πάθειαν appellari sivevit. (2) pro
specie motū oppositā actioni, quæ sextum prædicamentum consti-
tuit, prædicamentum nempe passionis. (3) pro qualitate, quæ ori-
tur à motu aliquo. Exclusis duabus prioribus significationibus,
in postrema h. l. significatione vocabulum passionis sumitur, dici-
turque qualitas esse, ex qualicunq; subita & minus durabili mutati-
one rei orta v. g. rubor qui ex pudore in hominis facie oritur, item
calor, quod incalescit homo, frigus, quod ex calido fit frigidus. Ut
verò vocabulum πάθειαν, ita & vocabulum πάθητικὴ seu patibilis
est ambiguum. Et quidem (1) πάθητικὸν dicitur, quod est ob-
noxium passioni seu aptum ad patiendum. Sic aqua, quia ex fri-
gida potest fieri calida, patibilis dicitur. (2) πάθητικὸν dicitur,
quod est ποιητικὸν τοῦ πάθειαν, seu quod passionem in aliquo effi-
cit, ut objecta sensuum, v. c. dulcedo mellis, calor ignis, amaror-
bilis, odor pomi &c. quia movent sensus & in iis mutationem ali-

quam efficiunt, dicuntur qualitates passibiles. (3) παθητικὸν dicitur τὸ διπλὸν πάθος θεόνδων, id quod à passione ortum est, quando scilicet subjectum, in quo qualitates illae sunt, aliquid perpeſsum est, à qua subjecti perpeſſione ipsa tales qualitates ortum ducunt. v. g. rubor dicitur qualitas patibilis, quia subjectum illud cui inest, nempe corpus, perpeſſum est talem vel talem commixtionem vel temperamentum, quod copiosā ſangvinis effuſione conſtat, à qua paſſione cum ortum ducat hæc qualitas, inde patibilis ea dicitur. Jam hæc loco in posterioribus duabus ſignificationibus τὸ παθητικὸν ſumitur, ita ut patibilis qualitas non dicatur id, quod paſſionem ſubire potest, ſed id, quod vel effectivum eſt, & cauſa paſſionis diuturnæ, ut calor ignis, frigus aquæ &c. vel ex paſſione & mutatione durabili ortum habet, ut rubor, pallor & alia. Et hæc quidem patibiles qualitates, quæ à paſſione ortum habent, vel ab initio ſtatiu & primordio vite inſunt, ut rubor, ortus ex naturali ſuſſione ſangvinis per minutas venas in cute faciei, vel ab ortu quidem non inſunt, ſed poſtea demum adveniunt, interim tamen diuturnæ ſunt, & vel planè non, aut diſſiculter mobiles à ſubjecto. Ut pallor ex morbo gravi in facie contractus. Quodſi autem non ſint diuturnæ & facile amittantur, paſſiones dicuntur, non patibiles qualitates. Ut pallor in facie ex metu, rubor ex verecundia ortus.

§. VIII.

Patet hinc non eſſe diuersas qualitatis species, paſſionem & patibilem qualitatem, ſed unam eandemque. Differunt enim diu- ratione ſolum, & diuturnitate, non ſeius atque habitus & diſpoſitio. Eadem nemp̄ qualitas, v. g. rubor pallor, dicitur & patibilis qualitas & paſſio: patibilis quidem qualitas, ſi ex mutatione & paſſione durabili ortum ducat, ut rubor naturalis, paſſio verò, ſi ex mutatione minus durabili & citò evanescente oriatur, ut rubor ex verecundia, pallor ex metu. Nimirum quemadmodum ex iis, quæ §. præced. diuina ſunt, jam patet, dicuntur παθητικὴ ſeu patibiles qualitates & πάθη ſeu paſſiones h. l. (1) qualitates illæ, quæ afficiunt & alterant ſubjectum, veluti color & ſonus, quorum ille viſum, hic auditum afficit, odor & ſapor, quorum ille olfactum, hic gustum alterat, calor, frigus, humor & ſiccitas, quæ tactum afficiunt; amor, odiuſi, mifericordia, quæ animam ſenſitivam com- movent.

movent. (2) illæ qualitates, quæ ex alteratione aut mutatione ortæ sunt, ut rubor, itemque pallor in facie, horror & tremor in manibus, gaudium & tristitia in animo &c. Et quidem patibiles qualitates appellantur hæ omnes, quatenus durabili motu subiectum afficiunt, aut diutius in subiecto permanent, passiones autem, quatenus minus durabili & subitanè motu illud alterant, vel non diu in subiecto permanent, sed subito pereunt v. g. rubor faciei, à diuturniori & naturali suffusione sanguinis ortus patibilis dicitur, qualitas, contra rubor in erubescente ex subitaneo pudore ortus passio vocantur. Item calor ignis patibilis qualitas, calor aquæ patefactæ passio: tremor manuum in fene patibilis qualitas, tremor idem ex confestatione subitanea ortus, passio dicitur. Et ita porrò. Ex quibus abundè innotescit, hæc duo specie non differre. Sed ex hoc simul quoque alterum discrimen exsurgit, quod Arist. §. 12. adducit. Namirum à patibili qualitate subiectum propriè & simpliciter quæle denominatur, v. g. à rubore naturali vel pallore, simpliciter & verò dicitur aliquis ruber vel pallidus; ast à passione subitanea vel potius à qualitate ex passione orta, non dicitur aliquis simpliciter & propriè qualis, v. g. à rubore ex verecundia vel pallore ex metu orto, non dicitur aliquis ruber vel pallidus, sed potius ruborem aut pallorem passus. Unde & Arist. expresse dicit, talia quidem passiones appellari, non verò qualitates. Neque est, ut quis objiciat: Si à passione non dicimur quales, neque passio est qualitas, cur ergo inter species qualitatis ponitur? Non erit illa species qualitatis. Non est, inquam, ut ita quis objiciat: nam dupliciter spectari passiones possunt: vel in se & absolutè, quoad ipsam naturam atq; essentiam suam, vel quoad inhærentiam seu inhæsionem, ejusq; modum & diuturnitatem. In se & essentiâ suâ spectatae, omnino subiectum qualificant: quis enim hominem illum, qui pudore suffunditur & erubescit, qualitate aliquâ imbuī, licet minus durabili negare? Et hinc eō modō atque respectu optimè ab Arist. speciebus qualitatis annumerantur. Quoad inhærentiam verò in subiecto suo consideratae, cùm ea inconstans sit, debilis & sèpè momentanea, inde subiectum simpliciter non dominant, sed quodammodo saltem & ad tempus breve, ac propterea non dici qualitates, rectè vicissim afferit Aristoteles. Sic rubedo, quæ alicui incutitur à pudore, in se quidem

quidem & essentiā suā qualitas quædam est, & subjectum afficit, at-
tamen quoniam leviter prorsus inhæret, & subitō transit, non deno-
minatur inde quis ruber vel rubicundus, nisi forte hōc tempore
rubicundus aut ruborem passus, & propterea quoque non appellat-
ur qualitas sed passio, ad differentiam patibilis qualitatis, quæ à
passione quidem specie non differt, interim tamen, quoniam perpe-
tuo, vel longum tempus subjecto inest, absolute illud qualificat, &
inde etiam qualitas dicitur. Quare non simpliciter negat Aristote-
les posteriori loco passionem esse qualitatem, sed secundum quid
saltem, nempe ratione inhærentia, quæ tanta non est, ut absolute
qualis ab eadem quis dici queat, & proinde sibi hōc in passu non
contradixit.

§. IX.

Sunt autem patibiles qualitates pariter atque passiones aliæ in
corpo, aliæ in anima. Passiones in corpore sunt v.g. horror, rū-
bor, pallor; passiones verò in anima sunt, gaudium, ira &c. Pa-
tibiles qualitates in corpore sunt rubor itemque pallor à natura in-
siti, itemque objecta sensuum, quæ sensus movent. Patibiles qua-
litates in anima sunt affectus durabiles, iracundia, odium, metus
& alia.

§. X.

Quarta denique qualitatis species est forma & figura, quæ ni-
hil aliud sunt, quam *continuae quantitatis terminatio quædam*, in
quo cum utriusque ratio consistat, unam quoque speciem qualitatis
constitunt. Interim distingvunt formam à figura, quod forma tri-
buatur rebus animatis, figura verò rebus animæ expertibus & Ma-
thematicis. Ut ita forma sit *externa rei animatae species & consi-
tutio*, v. c. pulchritudo in facie hominis, item statura hominis &c.
Figura autem *externa rei cuiusq; inanimate species & constitutio*.
Ut triangulum, quadrangulum, rectitudo, curvitas &c. Alii aliter
distingvunt. Verùm hic multa velle cumulare supervacaneum du-
cimus, res namque eadem existit, conceptione solum distinta. Ob-
jecis cum Ramo: Figura hic ad qualitatem refertur, cum tamen 3.
de anima cap. I. quantitati subjiciatur. Respondimus ad hanc ob-
jectionem, figuram pro diverso considerandi modo in diversis hisce
prædicamentis ab Aristotele ponit. Cum enim consideratur quoad
dimen-

dimensionem, seu quoad spatiū, vel aream, quæ conclusa & circumscripta est lineis, ad quantitatem pertinet, cùm verò spectatur quoad ipsam terminationem linearum externam, quā terminatur area, seu quoad varias inclinationes terminorum & constitutiones angulorum ad qualitatem reclē refertur. v. g. triangulum, quatenus denotat aream, vel spatiū tribus lineis circumscriptum, quantitas est; quatenus autem denotat spatii illius per tres lineas terminationem, est qualitas. Et sic conseqventer cum aliis figuræ speciebus se res habet. Dividitur autem figura itemque forma in naturalem, quæ est à natura, & artificialē, quæ ab arte est. Sic figura rotunda cœli, figura quadrata faxi, sunt naturales; mensæ verò figura quadrata, circuli ænei figura rotunda sunt artificiales. Pari pactō forma naturalis est, v. g. pulchritudo & color nativus in facie hominis, artificialis autem forma est species fucata.

S. XI.

De raritate verò & densitate, lævitate item & asperitate queri posset, an ad hoc prædicamentum qualitatis pertineant, hinc Arist. de his ita determinat, ut dicat, ea ad prædicamentum Sitū non qualitatis pertinere, quia nihil aliud denotant hæc omnia, quām partium inter se possum & situm. v. g. rara sunt, quæ partes disjunctas habent, ut spongia, pumex &c. Densa autem, quæ conjunctas, ut lapis & lignum. Aspera sunt, quæ prominentes habent partes, ut rupes; lavia, quæ æquales, ut speculum & ferrum politum. Videri posset sibi ipsi Philosophus contradicere, dum hæc lib. 7. Phys. c. 2. t. 11. disertè inter qualitates, ad quas si alteratio, numerat his verbis: *Id enim dicimus alterari, quoā aut calefit, aut dulcescit, aut densatur.* Et lib. 2. de Gen. & Corrupt. c. 2. t. 8. asperum & lave ad easdem qualitatis species refert. At facile hæc apparens solvitur contradic̄tio. Notorium enim jam existit, vel ex §. præced. unam eandemque rem diversimodè consideratam sine omni virtute in diversis collocari prædicamentis. Id quod & pluribus illustrari exemplis facile potest. Sic scientia si absolutè spectetur, ut perfectio quædam animæ humanae qualitas quædam existit, & ad Categoriam qualitatis reducitur, nempe ad primam ejus speciem, ad habitum; at si consideretur in re-

specie ad res scibiles, seu quārum datur scientia, est ē numero ratiōne & ad relata revocatur. Item corrivalis, quatenus spectatur ut homo, est in prædicamento substantia; quatenus autem consideratur, ut est corrivalis, & unā cum alio virginem quampliā deperit, est in prædicamento relationis; quatenus denique consideratur prout amat, in prædicamento passionis est, cūm amare sit pati. Et sic in aliis se res habet, indeque ipse Aristoteles sub finem cap. 8. lib. Categ. monet, ne quis turbetur, quod aliquas ex qualitatibus ad relata retulerit, quoniam unam eandemque rem diversimodè spectatam in diversi quoque collocare prædicamentis licet. Non oportet autem, inquit, commoveri & vereri, ne quid dicat, nos cum de qualitate dicere insinuerimus, multa, quae ad aliiquid referuntur enumerāsse, quoniam habitus & affectiones dicebamus esse ad aliiquid. Ferè enim in omnibus istis genera dicuntur ad aliiquid. H. I. Jam autem pari ratione & cum denso, aspero atque lœvi comparatum est: prout hæc diversimodè considerantur, in diversis quoque reponi possunt categorii. Si enim spectentur absolute & in se, nihil aliud sunt, quām qualitates aliquæ, quibus sensibilia corpora afficiuntur, quibusque à se invicem distinguntur, & hæc ratione optimò jure ad qualitatis prædicamentum in cc. II. Physic. ab Aristot. referuntur. Si verò considerentur ratione positionis partium, quæ in corporibus ex iis conspicitur, omnino ad prædicamentum sittis pertinent, & sic quoque ad illud à Philosopho hōc locō revocantur.

§. XII.

Hactenus de qualitate egit Aristoteles ejusque species exposuit, nunc breviter & de qualibus in specie agit. Definit autem qualia, quæ à qualitate denominantur, h. e. paronymicè dicuntur, vel alio quovis modò ab iis dicuntur. Quidam enim paronymicè dicuntur à qualitate, ut justus à iustitia, à sapientia sapiens, pallidus à pallore. Quidam verò à qualitate denominari paronymicè non possunt, quia qualitas est ἀνώνυμος, & nomine caret. Ut δέσποτης aptus natus ad currendum, itemque πυρηνὸς aptus natus ad certandum, appellantur ita quidem à qualitate aliqua, sed non paronymicè, quia qualitas illa nomine caret, paronymia autem requirit

quirit nomen abstractum usitatum, à quo denominativum appellationem habeat, ut constat ex superioribus. Qvamvis enim ἀρχομένη forte vel παρονύμιον abstracta illa dici possent, tamen ea non essent potentiarum naturā insitarum, nomina, sed habituum. Unde manet illa vocabula non habere nomen abstractum, à quo possint aliqua paronymicè dici. Præterea verò quadam appellantur qualia à qualitate quadam, quæ nomine propriō gaudet, attamen iterum non paronymicè. Nam v. g. à virtute tanquam à qualitate dicitur aliquis bonus, at non παρονύμως; nam ad paronymiam reqviritur, ut denominativum cum forma denominante, seu nomine abstracto convenientiam habeat in principio, quemadmodum itidem ex superioribus constat, id quod tamen in hoc exemplo minimè fit.

§. XIII.

Tandem proprietates qualitatis aut conlectaria consideranda veniunt. I. Qualium est contrarietas, sive qualia & qualitates sunt sibi contraria. v. g. justitia est contraria injustitiae, virtus virtutio, albedo nigredini, itemque album nigro, justus injusto. Hæc affectio primò & per se qualitati competit. Utut enim & relata sibi contraria esse suprà dictum sit, tamen relata non primò & per se, sed propter qualitatem, quæ fundatum est ejusmodi relatorum, sunt contraria, quemadmodum ibidem docuimus. Hinc si contraria duo dentur, & unum sit quale, etiam alterum erit quale v. g. justitia & injustitia sunt contraria, justitia autem est qualitas, hinc & injustitia qualitas existit. Non tamen omnibus qualitatibus convenit. Figura enim & forma contrarieatis non sunt capacia, quemadmodum ipse Arist. Lib. de sensu & sensib. cap. IV. docet, his verbis: Χήρα χήρατι & δοκεῖ ἐναρτίον, figura figure non videretur contraria esse. Ita quoque intermediae qualitates inter extremas non possunt dici contraria: non enim v. g. viridem aut purpureum colorem rubro simpliciter contrarium dicere possumus: Sunt enim medii colores inter nigredinem & albedinem. Idem & in aliis quibusdam videre est. II. Qualia recipiunt magis & minus. Ubi notandum ad id, ut alterò aliquid magis vel minus tale dicatur, duo reqviri (1) ut participent ambo definitionem.

eiusdem. (2) ut unum magis participet definitionem, quam alterum. v. g. cerussa & cutis humana, eandem albedinis definitionem participant, nimis esse disaggregatum visus, cerussa tamen magis eam participat, quam cutis humana, quia magis disaggregatus, quam cutis, hinc & cerussa magis alba est, quam cutis humana. Et haec assertio immediate primo atque per se qualitati convenit, categoriis vero aliis per accidens, mediante qualitate. Interim tamen non omni qualitatibus inest: forma enim & figura non recipit magis & minus, neque enim triangulum unum est magis triangulum quam alterum, neque quadratum unum magis tale est, quam alterum. Denique III. à qualitate dicimus similes & dissimiles. Hoc maximè proprium est qualitati, eique soli ac omni competit. Similia enim dicuntur, quorum eadem est qualitas, dissimilia, quorum diversa est qualitas. v. g. Alexander M. & Julius Cæsar dicuntur similes, ob eandem qualitatem, quam fuerunt praediti, nempe ob fortitudinem. Paris & Thersites dicuntur dissimiles ob diversam qualitatem. Ille enim pulcher, hic deformis fuit. Evidem & ea, que eandem habent substantiam, dicuntur interdum similia, quam ratione Arist. Lib. II. de anima cap. IV. dicit, omnem rem animatam gignere sibi similem i. e. eandem quoad substantiam; ast haec impropriè dicuntur similia, propriè vero eadem. Ita quoque Euclides saepe figuræ & numeros similes esse dicit, si eandem habeant quantitatem, verum haec itidem non est propriè similitudo sed æqualitas. Unde ratum esto, ea solum dici similia, quorum eadem est qualitas. Conf. Contrad. Nost. §. 39. Contrad. 28.

CAPUT IX. DE ACTIONE, PASSIONE ET RELIQVIS PRÆDICAMENTIS.

Post qualitatem reliquias Categories omnes simul & quidem brevissime exponit Philosophus, quia nimis minus præcipue

§. I.

pxe sunt, & propterea tam prolixam considerationem ut priores quatuor principales non requirunt. Quare nos vestigia Philosophi legentes breviores in iis erimus. Primo autem ex reliquis sex Categoriorum *Actionem & Passionem* Aristoteles considerat, easque coniunctim tractat, quoniam ab ipsa natura coniunguntur, sic ut nunquam sit actio sine passione vel passio sine actione, sed utraque unus idemque v. gr. motus existat, qui quatenus proficiscitur ab agente, nominatur actio, quatenus vero recipiuntur in paciente, dicitur passio. Ut adeo haec duo non re ipsa sed tantum ratione inter se differant & respectu diverso, non secus atque via ducens Athenis Thebas, ab ea, qua dicitur Thebis Athenas, non re ipsa, sed ratione distinguitur. Vocat vero Aristoteles praedicamenta haec duo ποιεῖν efficere, καὶ πάσχειν pati. Ubi notandum, quod vocabulum ποιεῖν hic non tam stricte sumatur pro efficere, quod contradistinguitur τὸ πάσχειν seu agere VI. Eth. IV. sed generatim quatenus idem notat atque ἐργάζεσθαι seu operari, quod & agere & efficere sub se complectitur. Adeoque & quando Latinis dicitur actio, non ποιεῖσθαι stricte dicta intelligitur, sed ἐργάζεσθαι seu operatio in genere, quomodo calefacio, frigefacio, adficatio, disputatio, doctrina, & hujusmodi operationes aliae, nomine actionis h. l. veniunt. Estque τὸ ποιεῖν nihil aliud, quam in se ipso habere causam operationis vel operacionem in aliiquid exercire. Ut calefacere, frigefacere. Pariter passio hic non sumitur pro affectione, quomodo in praedicamento qualitatis sumebatur, sed pro receptione ἐργάζεται cuiuscunq; v. g. disciplina, quā doctrinam recipit à Doctore suo discipulus, alteratio, quā aqua fit calida ab igne &c.

§. II.

Est autem actio vel operatio alia immanens, que in externum subjectum patiens non transit, sed in ipso operante recipiuntur, quando in se ipsum aliiquid agit, sed tamen, quā aliud est v. gr. quando Medicus se ipsum curat: curat enim se ipsum, non quā Medicus, sed quā aliud quid est, nempe æger: item, quando quis secum ipso disputat, aut contemplatur, ratiocinatur, & deliberat: aliò enim

respectu agit, aliò patitur. Alia verò transiens, quæ in externum aliquod subiectum patiens transit, v. g. calefactio: hæc enim est quidem ab igne, in eodem tamen non manet, sed in aquam transit, & ab aqua recipitur tanquam paciente externo, qualis operatio Græcis dicitur περαβατικη. Rursus alia operatio est mutua, vel reciproca, cum agens agendò reputatur à paciente. v. c. cum percussione mensam, mensa reagit & dolorem in manu producit. Alia non mutua, quando agens nihil reputatur, qualis est operatio Solis in hæc inferiora. Amplius operatio, alia est θεωρεια seu speculatio, ut contemplatio entis vel DEI, alia περιέξει propriæ dictæ seu actio v. g. actio secundum justitiam, alia ποίησις in specie dictæ seu effectio v. g. effectio calcei, vestis &c. Insuper actio, alia est secundum rem & realis, quæ agens aliquid reale in subiecto in quod agit, producit, ut calefactio, quæ ignis aut Sol realem in paciente corpore producit calorem; alia secundum speciem vel imaginem, quæ vulgo dicitur intentionalis, quæ agens sui speciem vel imaginem patienti imprimit, quomodo iris agit in oculum ejus, qui intuetur eam, non enim producit realem iridem, sed solum speciem oculo hominis imprimit. Eodem modò, objecta sensuum, appetitus sensitivi, voluntatis, intellectus agunt in sensum, appetitum, voluntatem & intellectum. Denique actio, alia est perfectiva, quæ subiectum patiens perficitur, ut doctrina, ædificatio, illuminatio; alia destruktiva, quæ subiectum patiens destruitur, aut deterius redditur, ut liquatio ceræ, diratio ædium, flagellatio &c.

S. III.

Uti verò ποιεῖν generatim sumebatur pro exercere operationem qualemcumque, ita & πάσχειν seu pati hic in genere significat, ab aliquo recipere ἐπέργειαν seu operationem qualemcumque. Ut refrigerari, calefieri &c. Non ipse calor aut frigus in hoc prædicamento collocantur: sunt enim illa in qualitatibus prædicamento, sed motus calefiendi & refrigerandi. Dividit Ammonius passionem in eam, quæ vergit εἰς τελείωσιν in perfectionem rei, & vulgo dicitur perfectiæ, qualis est illa, quæ subiectum patiens perficitur. Ut sunt passiones sensuum, quæ pati ab objectis dicuntur, ita tamen, ut perfici-

perficiantur ab iis. Itemque tales passiones sunt, erudiri, admoneri, corrigi &c. Et in eam, quæ eis φθοεῖ seu ad corruptionem & destructionem rei tendit, diciturque destructiva, quā subiectum patiens destruitur, aut deteriorius redditur. v.g. comburi, liquefieri. Sed & dividi potest passio in eam, quā quis operationem ab alio recipit, ut est passio aquæ, quæ calefit ab igne, item disciplina, quā à Doctore aliquid dicit discipulus, & in eam, quā quid à se ipso, sed non quā tali, verūm quā aliud quid est, patitur, ut Medicus à se ipso curatur, non tamen quā Medicus, sed quā ægrotus. Pariter rectè passio alia dicitur realis, quā reali gerunt mutationem subjectum, quomodo v. gr. qui vapulat, calefit, excitatur &c. pati dicitur; alia intentionalis, quā species rei absque reali mutatione in subiecto percipitur, quā ratione oculus à coloribus patitur, intellectus à noëmatibus.

§. IV.

Sed notandum bene, quod neque actiones, neque passiones mensurare oporteat Grammaticorum terminatione, verūm significatione. Non enim omnia verba activi generis apud Grammaticos in prædicamento actionis reponuntur, ut verba sensuum, videre, audire, olfacere: sentire enim est pati, & qui sentit, patitur ab objecto sensibili, docente Aristotele Lib. II. de Anima. cap. V. VII. & XIV. Neque etiam omnia verba passivi generis ad prædicamentum passionis pertinent, veluti metui, videri, audiri; sed in prædicamento sunt actionis, licet terminationem passivam habeant, & à Grammaticis inter passiva censeantur.

§. V.

Proprietates vel potius consectoria actionis & passionis duo sunt. I. *Actio & passio recipiunt contrarietatem.* Ita scil. ut alia actio alii actioni sit contraria, & alia passio alii passioni. Ut calefacere & frigescere, calefieri & frigesieri. Hæc affectio non per se & primò competit actioni atque passioni, sed ratione qualitatum, circa quas verlantur, quæ cùm sint per se contraria, hinc & ipsæ actiones atque passiones dicuntur contrariae, v. g. calefacere & fri-

& frigefacere, itemque calefieri & frigesieri dicuntur contraria, quia per calefactionem imprimitur corpori calor, per frigefactionem frigus, quæ contrariae qualitates sunt. Neq; etiam omnibus actionibus & passionibus hæc affectio inest, sed solum iis, quæ versantur circa contrariae qualitates. Sic *magis* generare & generari, scribere & scribi, ædificare & adificari, nulla contrariatur in universum actio, vel passio. Item *minus* numerare & numerari, aliisque pluribus. *Obj.* Ædificare habet contrariam actionem, destruere, scribere contrariam expungere. Item generari habet contrariam passionem, mori. *Resp.* Ædificare & destruere non sunt actiones contrariae, sed contradictoriae, quia termini eorum sunt ens, dominus nempe, & non-ens dissoluta domus, quæ non-ens est. At contrariarum actionum termini debent esse contrarii. Sic calefacere & frigefacere sunt contrariae actiones, quia termini eorum sunt contrarii, frigus nempe & calor. Igitur ædificare non potest dici habere contrariam aliquam actionem. Idem de scribere & expungere dicendum: nam hæ sunt actiones pariter contradictoriae, cum termini sint ens & non-ens: non enim qui expungit literas, aliquid ens producit, aut positivum aliquid inducit, sed tantum literas annihilat; at actio contraria debet reale quid & positivum producere, quia contraria sunt duo entia positiva. Denique quod generari & mori concer- nit, hæ sunt quidem & dici possunt passiones contradictoriae, at non contrariae, ex eadem ratione, quia termini eorum sunt ens & non-ens, qui enim moritur, penitus interit, & in non-ens conver- tur. At aliter se habent contrariae passiones, veluti calefieri & frigesieri, nam per illam calorem, per hanc frigus patimur, frigus au- tem & calor sunt duo entia realia & positiva. Deinde II. *Actio & passio recipiunt magis & minus.* Hoc rursus per se & primò qualitatib; hæc verò mediante competit actioni, atque passioni. Et præterea neque omnibus actionibus atque passionibus inest, sed tantum iis, quæ versantur circa qualitates recipientes magis & minus. Sic calefa- cero recipit quidem magis & minus, quia ejus terminus est qualitas *magis* & *minus* capax, nempe calor; ast generatio non suscipit magis & minus, quia terminus hujus est substantia, quæ magis & minus respuit.

§. VI.

§. VI.

QVANDO denotat in tempore esse. Non enim interrogativè hic accipitur, sed indefinitè, prout nihil aliud est, quām *notatio temporis, secundum quam res vel esse, vel fuisse, vel futurum esse dicuntur.* Unde non ipsum tempus, sed ea, qua differentiam temporis notant, hanc Categoriam constituant, v. g. pridiè, heri, hodiè, cras, perendiè, olim, pridem, aliquando. Item, quando aliquid factum dicitur superioribus diebus, ante annum, ante seculum. Porro concreta, hesternus, hodierius, pomeridianus, antelacanus, matutinus. Non minus, quæ fieri aut facta dicuntur in pueritia, adolescentia, juventute, senectute &c. item concreta atatum harum, adolescens, puer, infans. Proprietates vel Consecaria hujus Categoriarum sunt I. *τόιού quando nihil est contrarium:* non enim heri bibisse contrarium τόιού bibisse pridiè; neque cras ingredi templum adversatur τόιού perendie intrare templum. *Objicis:* Omnidè in quando obtinet contrarietas: præteritum enim est contrarium futuro; heri contrarium est τόιού pridiè &c. *Reff.* Hæc neutiquam sunt contraria. Nam (1) se mutuò includunt: pridiè enim includit heri, hesternus enim dies, cum eo qui præcessit, constituit τόιού pridiè: annus item includit menses, mensis includit dies, sicque consequenter. (2) Contraria, præfertim quæ constituunt terminos motūs, in se invicem mutari possunt. v. g. album & nigrum, calidum & frigidum &c. at ita se non habent in tempore præteritum & futurum, itemque pridiè & heri, annus & dies. Nam utut videri posset præteritum in futurum mutari posse, quia futurum sequitur post præteritum, nihilominus tamen futurum in præteritum neutiquam mutari potest. Ita quoque ersi pridiè in heri, non tamen heri & hodiè in pridiè mutari potest. Quanquam nec propriè præteritum in futurum, nec pridiè in heri & hodiè mutari dici possit. II. *Quando non recipit magis & minus.* Non enim una res magis dicitur esse in tempore, quām altera. Sic qui hodiè ambulat, non magis est in tempore, quām qui heri ambulavit, vel cras ambulabit. Et sic in cæteris. Hæc Consecaria omni quidem τόιού quando competit, non tamen soli, sed & substantiæ, itemque quantitatæ.

Y
§. VII.

§. VII.

UBI est notatio loci, quā quid dicitur esse alicubi hic vel illic, ibi vel alibi, v. g. esse in foro, in Lycō, in templo, in cōclō, in terra, in Musaeo, collegio &c. Ad quā referuntur etiam ea, quā motum de loco in locum significant, ut venire Thebis, proficisci Athenas &c. ut adeō non ipse locus, sed esse in loco prädicamentum hoc constitut. Consectaria r̄t̄ UBI dicuntur I. Non habere contraria. Sic esse in templo, non est contrarium r̄t̄ esse in Schola. II. Non recipere magis & minus: non enim qui domi est, magis alicubi est, quam qui in agro est. Verū non immitrō quis in dubium vocaverit hæc consectaria. Nam cum omnis motus propriè dictus sit inter contrarios terminos, atque hōc ipsō à mutatione qualicunque distingvatur, in ubi autem detur motus propriè dictus, nempe localis, quā ergo r̄t̄ ubi proprium erit non habere contraria.

§. VIII.

SITUM esse hōc locō nihil aliud significat, quam ordinem habentis partes secundum locum, ut Aristoteles lib. V. Metaph. cap. XIX. describit, h. e. dispositionem partium in loco, secundum quam quis stare, sedere, cubare, item elevare brachia, contrahere manus, genua flectere, incedere rectus dicitur. Ut ut enim abstracta horum, situs nempe, vel thesis seu positio, statio, sessio &c. videantur ē numero relatorum esse, reverā tamen relata non sunt, nisi solūm quo ad dici. Interim θέσις hōc locō non significat positionem partium ad rotum: hæc enim erat affectio quantitatis, secundum quam aliqua dicebatur habere θέσιν, sed significat ordinem habentis partes secundum locum, ut modō dicebamus. Dividitur vulgo situs in naturalē, qui à natura ipsa dependet, ut manus ad carpum positio, narium ad tempora, & in voluntarium, qui à voluntate hominis pender. Ut supinitas, pronitas, accubitus, sessio, status &c. Qd̄ pertinent & illorum concreta, pronus, supinus, stans, sedens &c. Verū hæc divisio non est genuina, quia solus situs voluntarius hujus loci est, & ad prädicamentum situs spectat, naturalis autēm hujus loci non est, sed ad quantitatē spectat, nihilque significat aliud,

ud, quām positionem partium ad totum, quam modō ad quantitatem spectare dicebamus.

§. IX.

CONSECTARIA Sitūs à Porretano tria recensentur. I. *Non habere contrarium.* v. g. qui jacet, non est contrarius ei, qui sedet, nec qui stat contrarius est ei, qui accumbit. *Objiciū:* Omnitudo, qui jacer, contrarius est sedenti, itemque stanti: qui enim jacet, neque sedere neque stare potest, quamdui jacet. *Reff.* Hinc neutiquam sequitur, quod sint contraria, quia & ea, quæ disparata seu ~~est~~ vel diversa dicuntur, non possunt simul stare. v. g. ovis & lupus, neutiquam tamen sunt contraria, qualia quidem hīc intelliguntur. Qyđ autem jacens & sedens non sint contraria, id inde manifestum est, quia prædicamentum situs, secundum quod dicitur jacens vel sedens, non denotat esse simpliciter in loco, sed hōc vel illō modō in loco esse, adeoque certa habitudo ad locum ejusque partes constituit hoc prædicamentum; hæc autēm habitudo non est per se contrarietas capax, nisi per accidentis, & propter ipsas differentias atque contrarietas loci. Hinc jacens, quā talis, non est contrarius sedenti, sed quatenus loci differentia, ad quam certam involvit habitudinem, est contraria alteri, termini autem motūs debent per se esse contrarii. II. *Non recipere magis & minus.* v. g. qui jacet, non magis aut minus est situs, quam qui stat aut sedet. III. *Quām proximē adhærere substantiæ.* Ut jacere vel sedere, proximē adhærere substantiæ, v. g. Socrati, aliisque.

§. X.

HABITUS vel habere hōc locō nihil aliud est, quām substantiæ circa substantiam circumpositio, ut annuli circa digitum, seu annulatum esse, item calceatum, galeatum, tunicatum, oreatum, armatum &c. Ubi tamen notandum est (1) Ad Categoriam non pertinere ipsa nomina rerum, quæ habentur, v. g. vestis, tunica, calceus &c. hæc enim simpliciter substantiam quandam significant, &

Y 2

ad

ad prædicamentum substantiæ pertinent, cum è contrario Categoria, hæc, nempe habere, περιθετιν seu circumpositionem substantia denotet, sed paronyma, inde deducta v. c. vestitum esse, calceatum, armatum, pileatum esse, quippe qua talem circumpositionem significant. (2) neque pertinet hoc, habere agros, opes, &c. quia illa non significat circumpositionem: non enim agri & opes circumposita sunt circa substantiam, vel hominem, quemadmodum quidem digito proximè circumpositus est annulus, sed longè ab ipso remota sunt. Neque (3) hoc pertinet habere manus, pedes &c. hæc enim non circumpositionem sed conascentiam significant. Denique (4) non pertinet hoc, habere albedinem, colorem &c. quia hæc propriè circumpositionem non significant, sed impropiè accidentium nempe, quæ propriè ponî & circumponi non possunt. Unde id, quod secundum Categoriam hanc haberi debet, substantiam esse oportet, quæ sola propriè circumponi potest. Id quod & in definitione significatum est, quando habitus dicebatur esse substantiæ circa substantiam circumpositio. CONSECTARIA Habitu sunt 1. *Habitus non recipit contraria.* v. g. armatus non est contrarius calceato, nec pileatus tunicato. Ratio est, quia ipse vestitum tanquam substantia quedam non est contrarii capax, igitur neque vestitum esse. Quemadmodum enim quantitas contrarietas capax non est, sic nec quantum quanto, quæ tali, contrarium est. Pari ratione, quia vestis vesti non est contraria, utpote cùm sint substantiæ quedam, artificiales nempe, ut modò dicebamus, hinc neque vestitum esse seu calceatum esse rū' galeatum esse contrarium est. 2. *Habere non recipit magis & minus.* Licet enim pluribus quis vestibus amictus esse possit, non tamen magis dicitur habere, quam qui paucioribus est amictus.

Tantum de Categoris.

PARS

163

PARS III. ET ULTIMA. DE POSTPRÆDICAMENTIS VUL- GO SIC DICTIS.

CAPUT I. DE OPPOSITIS.

§. I.

Ultima libri categoriarum pars Postprædicamentorum nomine venit, in qua paralipomena quādam traduntur, seu termini obscuriores, quorum crebra in Categorii facta est mentio, explicantur, ut eō melius haec tenus dicta intelligentur. Cūm enim de substantia dictum sit, illi nihil esse contrarium, itemque quod contraria recipere possit, hinc explicatur nunc, quid sint contraria. Et quoniam contraria sunt species quādam Oppositorum, hinc de oppositis initio agit, dein de speciebus eorum. Rursus quia dictum est naturam actionis & passionis in motu consistere, hinc de motu ejusque speciebus hic agit. Amplius quia in prædicamento relationis relata simul esse dicebantur, certò verò respectu etiam prius & posterius agnoscere, inde quoque quid simul, quid prius sit, in Postprædicamentis declarat. Denique ut prædicamentum habitus vel habere magis atque diductiū explicetur, de variis habendi modis hic agit. Sunt itaque postprædicamenta seu termini post prædicamenta explicandi numerō quinque. 1. Opposita. 2. Prius. 3. Simul. 4. Motus. 5. Habitus, quæ vulgari hōc versiculō continentur:

Opp. Pri. Mo. Simul. Ha. tot sunt Postprædicamenta.

Nos Aristotelem Dūcem seqvimur, exordium ab oppositis ducentes. Ubi statim notandum, oppositionēm vel spectari in Syllogismis, de qua agitur Lib. II Prior. cap. II X, IX. & X. vel in propositionibus, de qua Lib. de Interp. cap. VII. vel in simplicibus terminis, de qua

h. I. solliciti sumus. Sunt autem Opposita quadruplicia: (1) Relativè opposita. (2) Contraria. (3) Privativa sive habitus & privatio, itemque (4) contradictoria seu affirmatio & negatio.

§. II.

In libellis Logicis vulgaribus communiter definiunt opposita in genere, at malè, quia opposita sunt ex numero æqvivocorum, non quidem strictè dictorum, sed talium, quæ secundum magis & minus dicuntur, magis enim & fortius sibi opponuntur contraria, quām relata, maximè autem omnium contradictoria. Hinc unam generalem definitionem omnibus sub definito contentis, univocè & æqualiter competentem opposita respuunt, & si qua detur generalis definitio, illa semper erit æqvivoca. Id quod obscurum esse nequit, si definitiones vulgares lusstremus. Definiunt opposita sic: *Opposita sunt, quæ non possunt esse in eodem subiecto; secundum idem ad idem & eodem tempore.* Vel etiam sic: *Opposita sunt repugnantes termini, qui in eodem subiecto, secundum idem, & eodem tempore circa unam eandemque rem simul esse non possunt.* Verum (1) quòd hæ definitiones non omnibus competant sub definito contentis, quivis videt, quia in iis opposita dicuntur esse illa, quæ non possunt simul esse in subiecto, adeoque tantum iis competit, quæ in subiecto sunt, ast dantur & opposita, quæ in subiecto non sunt, v. g. duplex & dimidium, par & impar. Neque est ut dicas: Non posse simul esse in subiecto, ita intellegendum est, ut sensus sit, non posse simul afficere subiectum, sive sint in subiecto, sive extra subiectum. Nam hòc modò æqvivoca est definitio, sensum ambiguum dignens. Sed (2) neque sic definitiones æqualiter omnibus competunt oppositis, sed secundum magis & minus: magis enim repugnantes termini sunt contraria, quām relata, maximè verò omnium contradictoria, & magis de contrariis dicitur, quod non possint simul esse in eodem subiecto, quām de relatis, maximè autem de contradictoriis. Dices ita melius definiri opposita: *Opposita sunt, quæ ita sibi invicem repugnant, ut simul stare non possint.* Verum & hæc non æqualiter, sed secundum magis & minus de oppositis dicitur: magis enim repugnant sibi contraria, & simul stare nequeunt, quām relata: quia relata quidem sibi repugnant, attamen ad se invicem quoque respiciunt. Ita pater nequit

nequit quidem esse filius, attamen respectum ad filium habet; non autem ita sibi repugnant contraria, hæc enim ad se invicem non respiciunt, sed simpliciter sibi repugnant, ut calor repugnat frigori simpliciter, neque frigus respicit. Maximè vero omnium sibi repugnant contradictionia. Quapropter opposita generaliter definiti non possunt, sed statim dividenda & in sua significata distingvenda sunt, præeunte ipsis Aristotele Lib. Categ. cap. X. Lib. V. Metaph. cap. X.

§. III.

Primo itaque se nobis offerunt relativè opposita, quorum oppositio μαλακωτάτη, seu mollissima appellatur ab Ammonio. Sunt autem relatè opposita, quæ quicquid sunt, oppositorum esse dicuntur, aut quocunque aliò modò ad ea referuntur. In qua definitione 1. Relativè opposita dicuntur esse ea, quæ quicquid sunt, oppositorum sunt & esse dicuntur, h. e. quorum essentia nihil aliud est, quam oppositorum esse & dici, seu ad opposita referri in casu genitivo. Sic Pater & filius sunt relativè opposita, & Pater est atque dicitur filii pater, ad eundemque in genitivo casu refertur. Item duplum & dimidium, Dominus & servus, conjux & maritus, & aia. 2. dicitur, vel quocunque aliò modò ad ea referuntur, id quod propterea in definitione additur, quia non omnia relata referuntur ad invicem in casu genitivo, sed & in aliis & sëpè diversis. Ita amicus dicitur amico amicus, verberans verberatum verberans, & verberatus à verberante verberatus, scientia scibilis scientia, & scibile scientiæ scibile. Denique 3. significanter additur, quæ quicquid sunt, oppositorum sunt, vel quocunque modò ad ea nempe opposita referuntur. Aliter enim hic considerantur relata, quam supra in Categorias relationis. Ibi simpliciter spectabantur, & ut se mutuò ponunt, hic vero ut opposita spectantur, & quatenus se invicem tollunt. Hinc ibi definitiebantur relata, quæ quicquid sunt aliorum sunt, vel quocunque aliò modò ad aliud referuntur, hic autem definiuntur quæ quicquid sunt, oppositorum sunt, h. e. quæ quidem sunt alii, vel ad aliud quocunque modò referuntur, sed ad tale, quod est oppositum, ita ut illud nequeat esse alterum quod ad ipsum refertur, neque hoc quod ad alterum refertur, sit illud ad quod refertur. v. g. Pater est quidem filii pater, at neque pater est filius,

filius, neque filius est Pater. Servus quidem Domini est servus, at neque Dominus, quā Dominus, est servus, neque servus, quā servus, est Dominus. Et sic in aliis similiter.

§. IV.

Seqvuntur CONTRARIA, quæ vulgò cum Petro Hispano ex Psello ita in genere definiunt: *Contraria sunt, que sub eodem genere maximè distant, & eidem susceptibili vicissim insunt, à quo se mutuò expellunt, nisi alterum insit à natura.* Verūm hęc definitio angustior est definitio suo, neque omnibus contrariis inest. Nam (1) contraria hęc dicuntur eidem subiecto vicissim inesse, adeoq; illa solum contraria definiuntur, quæ in subiecto sunt, vel accident rei; at dantur quedam contraria, quæ in subiecto non sunt, aut rei non accident, sed per se insunt, ut par & impar, calidum & frigidum, hęc enim non sunt in subiecto, sed sunt differentiae numeri, itemque ignis & aquæ, differentias autem quis dixerit esse id subiecto? strictè nempe sumpta hęc phras, prout hęc, in lib. nempe Categoriarum, Aristot, eā utitur, & notat idem atque esse in subiecto ἀλλα vel accidere rei. Deinde dicitur contraria se mutuò expellere; talia verò sunt tantum ea, quæ possunt in se invicem agere; at dantur contraria, quæ non agunt in se invicem, ut albedo & nigredo, par & impar. Alii ita in genere definiunt: *Contraria sunt due qualitates opposite, que in eodem subiecto simul esse non possunt.* Verūm hęc quoque definitio πάντα τὰ ἔκτα non habet, sed definitio sibi angustior est: quoniam sic tantum definuntur contraria, quæ sunt in subiecto; at verò esse contraria, quæ non sunt in subiecto, modò dīctum est.

§. V.

Rectius sic contraria definiuntur: *Contraria sunt due qualitates, que sub eodem genere maximè distant seu maximè sibi repugnant.* Sic v. g. nigredo & albedo sibi invicem repugnant quām maximè sub eodem genere, nempe colore; avaritia & prodigalitas, audacia & timiditas, luxus & sordities sub eodem genere, nempe virtùs; calor & frigus sub eodem genere, nempe qualitate tactili &c. Sed notandum statim, non esse hanc definitionem contrariorum in genere, verūm primæ speciei seu contrariorum ἀπλῶς vel simpli citer atque ex toto talium; prater quæ dantur & contraria κατὰ τι vel

vel secundum quid & ex parte modò talia, quæ ex parte modò
sibi repugnant, & non solum sub eodem, verùm etiam sub con-
trariis generibus, imò quædam in omnibus generibus, prædicandi
nempe, vel Categoriis sibi repugnant, eademque non qualitates,
aut ex prædicamento qualitatis, sed & ex cæteris sunt categoriis,
v. g. frigidum & tepidum: hæc enim non ἀπλῶς & in totum,
sed ex parte solum pugnant: item fortitudo & timiditas, quæ sub
contrariis generibus, illa sub genere virtutis, hæc sub genere vitii
pugnant, non tamen ἀπλῶς & ex toto, sed κατὰ τι, ut medium
& extremum: magis enim pugnant ipsa extrema, nempe audacia &
timiditas, quæ sunt contraria ἀπλῶς talia. Rursus bonum & ma-
lum, quæ in omnibus Categoriis dantur: hæc enim pariter ἀπλῶς
contraria non sunt, quia bonum propriè à virtute, & malum à vi-
tio dicitur, virtus autem & vitium pugnant modo ut medium &
extremum, cùm ipsa extrema duo vitia longè magis inter se pu-
gnent & à se invicem distent. Scilicet contraria sunt ex numero
eorum, quæ dicuntur secundum magis & minus, secundum prius &c.
posteriorius; talia autem in genere univoca definitione definiri non
possunt, sed prima species vel primarium significatum in iis defini-
tur, & tum omnia significata enumerantur: id quod nos quoque
fecimus: traditâ nempe definitione contrariorum ἀπλῶς talium,
enumeravimus & reliqua, quæ ex parte talia dicuntur, & sunt vel
sub eodem genere, vel in contrariis generibus, vel in omnibus ge-
neribus, prædicandi nempe, sive in omnibus Categoriis. Neque est,
ut excipias & dicas, possit Contraria generatim sic definiri; *Contra-*
ria sunt due qualitates, quæ maximè a se invicem distant, vel sub
eodem genere, vel sub contrariis generibus, vel in omnibus generi-
bus seu Categoriis. Resp. nequaquam sic in genere contraria defi-
niiri possunt. Nam (1) dicuntur in hac definitione *contraria due*
esse qualitates; at non omnia contraria esse qualitates aut in præ-
dicamento qualitatis, jam ante monuimus, & ex hac ipsa patet de-
finitione, ubi dicuntur contraria quædam in omnibus esse generi-
bus vel categoriis. (2) dicuntur contraria maximè pugnare vel
sub eodem genere vel sub contrariis generibus, vel in omnibus ge-
neribus; at non omnia maximè distant, sed tantum secundum quid,
quemadmodum ex §. constat præcedenti, præsertim ea, quæ sub

contrariis sunt generibus, itemque in omnibus generibus vel Categoris dantur. Igitur melius res haec pertractatur, si contraria primò talia definitantur, & reliqua postmodum addantur, siveque per enumerationem omnium specierum vel significationum tota natura contrariorum manifestetur.

§. VI.

Nequit obscura ex his esse differentia relata & contraria oppositorum. Relata enim opposita, id quod sunt oppositorum efficiuntur, & ad invicem referuntur; at vero contraria ad se invicem non referuntur, neque aliorum esse dicuntur, sed aliis sunt contraria, vel è diametro opposita, v. g. albedo & nigredo simpliciter sibi opponuntur, non autem ita, ut sui invicem esse dicantur: albedo enim non est nigredinis albedo, neque nigredo albedinis nigredo, sed simpliciter haec duo inter se sunt contraria; at dimidium & duplum opponuntur quidem invicem, ita tamen, ut quoque alterum alterius esse dicatur, duplum enim dimidii est duplum, & dimidium est dupli dimidium.

§. VII.

Sed & ultrò ex dictis intelligitur, rectè distingvi contraria in mediata, inter quae datur medium, quorum alterum non necesse est inesse subiecto capaci atque idoneo. v. g. album & nigrum, calidum & frigidum: inter illa enim interjacet viride, cœruleum, fuscum &c. inter haec vero tepidum, hinc corpus nec album nec nigrum esse necesse est, quia color aliquis intermedius ei inesse potest, neque necessariò frigidum aut calidum, quia potest esse tepidum; & in immediata, inter quae non datur medium, seu quorum alterum necessariò inest subiecto per naturam capaci. v. g. par & impar, inter numerum enim parem & imparem nullus datur medius, sed necessariò est omnis numerus par vel impar. Notanter dicitur in subiecto capaci, necessariò inesse alterum ex contrariis immediatis: alias enim si promiscue quodvis subiectum etiam incapax accipitur, contrariis immediatis haud denegari poterit medium. Sic inter sanitatem & morbum obtinebit lignum, lapis aliudve subiectum incapax: hisce enim nec sanitas, nec morbus tribui potest.

§. VIII.

Est autem medium vicissim duplex: alterum participationis,
quod

quod de utroque extremorum aliquid participat, v. g. tepidum, intertemque flavum, quorum illud medium est inter calidum & frigidum, hoc vero inter album & nigrum, quoniam de utroque extremo, tepidum nempe & de calido & de frigido, flavum autem & de albo & de nigro aliquid participant; alterum negationis, *quod utriusque extremi negatione exprimitur, non tamen simplici, sed privatâ, privationem in subiecto capaci significante*. v. g. inter bonum & malum, justum & injustum, medium esse dicimus id, quod neutrum est neque bonum, neque malum, neque justum, neque injustum, utriusque tamen capax, nempe puer item infans. Pro diversitate hujus medii & contraria mediata distingvuntur rursus in ea, *quibus intercedit medium participationis, & in ea, quibus intercedit medium negationis*, quorum utrorumque exempla modo dedimus.

§. IX.

Sed plures adhuc ab Interpretibus Aristotelis Contrariorum mediatorum annotatas deprehendimus distinctiones, quas addere adhuc operæ pretium ducimus. Scilicet contrariorum mediatorum quædam unum tantum habent medium, quædam verò plura, ut Ammonius, Boëthius, Simplicius & alii advertunt. Contraria mediata unum tantum medium habentia sunt, v. g. calidum & frigidum, que unum tantum habent medium, scilicet tepidum. Contraria mediata plura habentia media sunt, v. c. album & nigrum, inter quæ interjacet flavum, rubrum, viside &c. Rursus contraria mediata alia habent medium nominatum, & certò aliquò nomine expressum, ut flavum, rubrum, quæ sunt media inter album & nigrum; quædam habent medium innominatum, neque certò aliquò nomine designatum, quod propterea negatione utriusque extremi exponitur. v. g. medium inter justum & injustum, inter bonum & malum est, quod neque justum, neque injustum, neque bonum, neque malum est. Objici & dicens: Falsum est, quod inter bonum & malum detur medium, boni enim & mali dicuntur à virtute & vitio, ut docet Aristoteles in Ethicis; ast inter virtutem & vitium non datur medium. Reff. quando dicimus, inter bona & malum dari medium, id non est accipiendum ratione generis, sed ratione subiecti naturâ ad suscipiendum virtutis & vitii habitum apti. Etenim respectu generis, quod est habitus moralis, non

datui medium inter bonum & malum, sed omnis, qui habitu morali praeditus est, aut bonus est aut malus. At ratione subjecti nondum habitu prædicti, sed naturā ad recipiendam virtutem vel vitium idonei, datur omnino medium. Infans enim & puer nondum est virtute aut vitiō prædictus, licet aptus sit successu temporis ad virtutem aut vitium capessendum, propterea adhuc dum neque bonus neque malus est.

§. X.

Privativè opposita dicuntur, quæ ut ens & non ens privatum seu ut habitus & privatio sibi opponuntur, & vehementius quam contraria pugnant: quoniam hæc in se invicem commutari possunt, illa non item, cum privatio nunquam in habitum commutetur: Evidem varia significata habitus Aristoteles recenset lib. 5. Met. c. 23. itemque privationis cap. 22. ejusdem libri, at hōc loco capitur habitus pro præsentia formæ in subjecto naturā ad recipiendam illam idoneam, qualis habitus est v. g. visus, auditus &c. Privatio autem non latè pro quavis absentia cujusque positionis hīc sumitur, quā ratione in omnibus contrariis, id quod deterius est, privatio audit, sed strictè pro absentia habitus naturā inesse debiti; ad quam posteriorem privationem tria requiruntur: (1) subjectum περιουσίας seu naturā aptum ad recipiendum habitum vel perfectionem. v. g. cœcum non dicitur nisi illud, quod visus quoque capax est. Hinc lapis vel stirps cœca dici non possunt, quia naturā apta non sunt ad recipiendum viuum. Itemque domus combusta non potest dici mortua, quia per naturam suam vita capax non est. (2) requiritur ad privationem talem, ut ei parti tribuantur, cui inesse potest habitus secundum naturam. Hinc homo non dicitur cœcus, quia pedibus vel auribus non videt: haec enim partes visus capaces non sunt. Benè Ammonius duo hæc requisita complectitur, quando Comm. ad h. l. ita scribit: *In qua re dicitur habitus in eadem quoque privatio spectatur. Neque enim dicimus lapidem privatum esse aspectū, quia ei nunquam fuit naturā comparatum, ut aspectum haberet, neque dicimus hominem in pedibus privatum esse aspectū, cum in ea parte non sit aptus, ut videat.* (3) requiritur justum & à natura destinatum tempus. Hinc infans non recte dicitur edentulus, quia hoc tempus non destinavit dentibus natura.

natura, catuli quoque recens nati ante nonum diem non possunt dici cœci, quia à natura statutum non est, ut ante diem nonum videant catuli. Unde plena privationis descriptio hæc est: Privatio est absentia habitus aut perfectionis ab eo, quod aptum est, & in quo aptum est, & quando aptum est.

§. XI.

Ex quibus patet, hic non sermonem esse de privatione, habitum seu formam antecedente, sed de privatione eâ, quæ habitum seu formam sequitur, sive jam habitam sive habendam. Duplex namque est privatio, alia est absentia habitus succendentis, & vulgo dicitur Physica, talis est privatio in homine generando; alia verò est absentia habitus jam existentis, aut inexisterе debiti, quæ communiter dicitur Logica, & hic quoque in considerationem venit, estque de hac privatione intelligendus canon tritus: Privatio præsupponit habitum, scilicet vel eum, qui jam existit, vel eum, qui existere debebat in subjecto capaci. Sed rursus privatio alia est totalis & perfecta, alia partialis & imperfecta. Privatio totalis est absentia tam actus quam potentiae, quando quis non tantum actu formæ privatus est, sed & potentiam recipiendo eam, ut mors itemque cœcitas omnimoda. Privatio imperfecta & partialis est absentia tantum actus, v. g. somnus est privatio actus videndi, quies actus movendi sese.

§. XII.

Non autem confundenda sunt habitus & privatio cum ^{zad} habere habitum, & privatum esse, quod enim hæc distincta sint, patet (1) inductione specierum: Nam cœcum esse non est ipsa cœcitas, neque visum habere est ipse visus: igitur neque privatio & privatum esse, itemque habitus & habere habitum coincidunt. (2) & inde patet abstracta atque concreta hæc non esse eadem, quia si essent eadem, possent quoque ambo de uno eodemque subjecto prædicari. At hoc falsum est; dicimus enim quidem hominem esse cœcum, at non esse ipsam cœcitatem, dicimus animal habere visum, at non esse ipsum visum. Scilicet habitus ipse & privatio qualitates sunt, quæ verò prædicta sunt habitu vel privatione, qualia dicuntur, & ab illis nomen trahunt, annotante Ammonio

c. i. his verbis: *Illa enim (habitus nempe & privatio) sunt qualitates quedam: hæc vero (privatum scilicet esse & habere habitum) sunt Substantie qualitatum participes.* Nihilominus tamen quemadmodum habitus & privatio privativè sibi opponuntur: ita quoque habere habitum & privatum esse privativè sibi opponuntur. v. gr. non tantum cœcitas & visus, sed & cœcus atque videns, itemque cœcum esse & videre privativè sibi opponuntur.

§. XIII.

Differunt autem privativa oppositio 1. ab oppositione relativa, in eo quod extrema privationis relativæ, b. e. ipsa relata alterius esse dicantur, nempe oppositi, v. g. filius Patris filius, & Pater filii pater; at vero habitus & privatio non dicuntur alterius: et si enim cœcitas dicatur privatio visus, non tamen dicitur visus cœcitas, multò minus dicitur cœcitas visus, neque mors vita mors, aut vita mortis vita dicitur. 2. Differunt privativè opposita à contrariis immediatis, eò quòd horum alterutrum inest subiecto capaci, v. g. par & impar in numeris. Item sanum & ægrum juxta eos, qui *ναχεζιαν* à morbo non differre specie asserunt, alias *ναχεζικον* est medium inter sanum & ægrum; ast privativè oppositorum interdum neutrum inest, v. c. infans neque dentatus est, neque edentulus rectè dicitur, catulus ante nonum diem neque videns neque cœcus dici potest, ut ex superioribus constat. (3) Differunt à contrariis mediatis, quorum alterum inest per naturam in aliquo, & quidem definitè, id est, in tota ejus specie, v. g. calidum & frigidum sunt contraria mediata: tepidum enim est medium inter ea; ast calidum naturā igni inest, atque in tota specie, cum omnis ignis calidus sit, neque cogitari ignis sine calore possit, ab his, inquit, differunt privativa, quia privatiorum alterum non item inest definitè in tota specie, sed dissimiliter, quoniam eorum, quæ secundum naturam apta sunt videre, aliqua vident, aliqua vero non vident, sed cœca sunt, adeò ut neutrum horum toti speciei definitè inest. 4. Differunt ab iis contrariis mediatis, quorum alterum per naturam non inest, sed quæ se expellunt: nam hæc permuntant ita, ut idem, qui modè calidus est, fiat frigidus, & contraria ast ita non possunt permuntari habitus & privatio: utut enim aliquis

quis videns possit fieri cœcus, cœcus tamen non potest rursus fieri
videns.

§. XIV.

Tandem duo quasi quædam Consectaria habitus & privationis notanda veniunt. I. *Habitus & privatio sunt circa unum idemque subjectum, non specie tantum, sed & numerò, diverso scilicet tempore.* v. c. idem est subiectum vita ac necis, sanitatis & morbi, visus & coecitatis, nempe animal vel homo. Dein II. *Omne subiectum capax habitus potest quoque particeps fieri privationis, non autem contrà, quod privationem habet, habitus quoque particeps fieri potest.* Sive: ab Habitū ad privationem quidem datur progressus, à privatione ad habitum autem non datur regressus. Intelligendum autem hoc est de privatione Logica, eaque totali. v. g. homo videns potest quidem fieri cœcus, at omnimode & totaliter cœcus non potest rursus fieri videns. Secus autem se res habet cum privatione Physica, ab hac enim semper datur progressus ad habitum seu formam, ut in generatione hominis à privatione formæ humanae ad ipsam formam hominis. Itemque à privatione Logica partiali datur regressus ad habitum. v. gr. Si oculus alieijus sit obductus cuticulâ quâdam, ita ut nihil videre aequaliter queat, sed cœcus homo sit, potest nihilominus hâc cuticulâ detractâ oculo forma, nempe visus, restituī.

§. XV.

Tandem Contradictoria, quæ in vehementissima omnium repugnantia versantur, dicuntur, *quæ ut ens & non ens negativum sibi opponuntur*, sive quæ tanquam affirmatio & negatio sibi opponuntur. Significanter Aristoteles dicit contradictoria esse, quæ sibi aīs ut affirmatio & negatio opponuntur, quia h̄c non agit de contradictoria propositionum oppositione, quæ in affirmatione & negatione consistit, sed de contradictoria oppositione simplicium terminorum, qui quidem non sunt affirmations & negations, interim tamen veluti affirmatio & negatio sibi opponuntur, dum unus alterius quasi negatio existit. v. g. homo, non homo; doctus, non doctus; justus, non justus. Differt oppositio hæc contradictoria à

reli-

reliquis oppositionum generibus, quod si καὶ συμπλοκὴ vel in propositione aliqua sive affirmatione & negatione aliqua dicatur, semper altera illius pars necessariō vera, altera falsa sit. v. g. Socrates valet, Socrates non valet, contradictionia sunt in propositiones jam redacta, & horum semper alterum necessariō verum, alterum falsum est, sive Socrates in rerum natura existat sive non. At ita series non habet cum oppositionibus reliquis, quaε καὶ συμπλοκὴ dicitur seu in propositiones redactae veritatem & falsitatem ita non dividunt, ut alterum verum, alterum falsum sit: quia si id ulla faceret, tūm certè quām maximē id faceret ista oppositio, quaε est inter contraria immediata. v. g. Socrates valet, Socrates ægrotat; ast ista hoc non facit: et si enim si Socrates existat, alterum ex his verum, alterum falsum recte dicatur, tamen si non existat, utrumque falsum erit, neutrum verum, quoniam id, quod non est, neque valere neque ægrotare potest, cūm non entis nullæ sint affectiones.

§. XVI.

Expositis quatuor oppositorum speciebus, Aristoteles corollaria quædam annexit, quaε sunt quasi consecutaria contrariorum, & contrariis antea subjungi potuissent. Scilicet I. *Bono semper malum est contrarium, malo autem tām malum, quām bonum.* v. g. Liberalitati, quaε bonum quoddam est, contrarium est tantū malum, nempe prodigalitas & avaritia, quarum utraque mala est, altera in excessu, altera in defectu, ast prodigalitati, quaε mala est, opponitur & malum, nempe avaritia, & bonum, nempe liberalitas. Neque est ut objiciat aliquis: Uni tamen unum tantū est contrarium juxta lib. X. Metaph. cap. VIII. Nam uni quidem unum tantum contrariatur at eodem modo, diverso autem modo uni duo vel plura contraria esse nihil prohibet. Sic prodigalitati opponuntur & avaritia & liberalitas, at non eodem modo, sed liberalitas tanquam συμμετέρα τῆς ἀσυμμετέρα, ut loquitur Ammonius, moderationi immoderatio, avaritia tanquam defectus excessui. Dein II. *Contrariorum uno existente in rerum natura, non necesse est, ut existat alterum.* v. g. Si omnes homines essent sani, non necessum esset quosdam ægrotare. Intelligendum autem hoc corollarium

rium de contrariis, non quatenus contraria sunt & dicuntur: ita enim positò unde necesse est ponи alterum, juxta lib. II. de ccelo c. III. nequit enim albedo contrariari nigredini, eique contraria dici, nisi utraque existat; sed intelligendum de rebus, quae dicuntur contrariae, quatenus res sunt, non quatenus contraria sunt, aut esse dicuntur: ita namque verum est, quod albedo possit esse, etiam si non sit nigredo & sanitas, etiam si non sit morbus, at si considerentur ut contraria, omnino & albedo supponit nigredinem, cui contraria dicitur, & sanitas morbum. Idem valet & in privativis, si non ut privativa, sed ut res simpliciter considerentur: potest enim esse visus, itemque vita, licet non existat cœcitas, neque mors, ast ut privativa opposita si spectentur, omnino & cœcitas & mors sit necessum est, quia cœcitas visui, mors vitae ut privatio opponitur. Insuper III. *Cui inest unum contrarium, ei alterum inesse non potest*, nimicum eodem tempore, secundum eandem partem & eodem respectu. v. g. Æthiops quidem simul & eodem tempore est niger & albus, ast quoad diversas partes. Aqua quidem est frigida & calida, ast non simul, sed diverso tempore. Neque est ut diccas, potest tamen eodem tempore, & eodem respectu & nigrum & album esse in oculo, quando scilicet nigrum & album simul inspicio. Nam quando dicimus Contraria non posse esse in eodem subiecto simul, intelligimus contraria realia, non vero species & imagines rerum contrariarum, ast nigredo & albedo, quae percipiuntur oculo, non est realis, sed tantum species & imago nigredinis & albedinis: non enim ipsas res & ipsa objecta, sed speciem solium & imaginem eorum visu percipimus, secus quomodo tam vastæ turre, tam augusta ædificia possent in tam parvo oculo apparere. Amplius IV. *Naturā ita comparatum est, ut contraria existant in eodem subiecto, vel genere, vel specie eodem*, h. e. idem subiectum, quod unius contrarii est capax, alterius quoque capax sit necessum est. v. g. Sanitatis & morbi subiectum unum idemque est, scilicet genere, nempe animal. Justitia & injustitia idem est subiectum specie, nempe homo. Verum non tantum in eodem subiecto genere vel specie, sed & numero eodem contraria sunt, quamvis non simul v. g. idem Socrates modo valere, modo ægrotare potest.

A a

test.

test. Hoc tamen tanquam manifestum Aristoteles omittit. Denique; V. *Contraria sunt vel sub eodem genere, ut albedo & nigredo, vel sub contrariis generibus, ut justitia & iniquitia, vel sunt ipsa genera, ut bonum & malum.* Quemadmodum jam ex superioribus patet. Hoc tamen addimus, hic bonum & malum non cō sensu dici ipsa genera esse, quod Categoriae ita appellari solent, sed ideo dicuntur ipsa genera, nempe communia vel summa, quia omnes Categorias, quae summa appellantur genera, pervagantur. Et tan-
tum de Oppositis.

CAPUT II. DE PRIORI ET POSTERIORI.

PRIOUS dicitur quatuor modis. I. Temporis ratione, quomo-
do prius dicitur, quod est verius & antiquius. Ita Achil-
les Romulò, Ignatius Augustinò prior est. Neque verò tan-
tum ratione temporis præteriti, sed & ratione futuri aliud
dicitur prius, ut ex Lib. IV. Met. cap. XII. patet. Nimirum hōc
modò dicitur prius, quod huic temporis puncto est vicinius & pro-
pius. v. g. infans post annum nasciturus prior est infante post quin-
quennium nascituro. II. Prius aliiquid dicitur secundum naturam,
quod duplex vicissim est. Nam (1) naturā prius dicitur id, quod
non convertitur secundum existendi consequentiam, hoc est, quod
positō non statim ponitur alterum, licet alterō positiō ponatur &
ipsum, sed quod sublatō tollitur & alterum. Sic unitas prior naturā
est numerō binariō: positā enim unitate non statim ponitur num-
erus binarius, licet numero binario positō ponatur & unitas, interim
tamen sublatā unitate tollitur & binarius numerus. Deinde (2)naturā
prius dicitur, quod quidem convertitur secundum existendi
consequentiam, seu quod eodem tempore cum altero existit, ita
tamen ut alterius causa sit. Ita Sol naturā prior est radiis, utut e-
nim simul tempore cum radiis existat, ita, ut quando radii sunt,
etiam Sol sit, & quando Sol est, etiam radii existant, tamen Sol est
causa

causa radiorum. Et hoc modo omne, quod quomodounque causa est alterius, recte natura prius altero dicitur. Amplius III. prius dicitur alterum altero ratione ordinis, quomodo Exordium prius est Narratione, narratio tractatione, haec epilogo. Denique IV. Prius dicitur alterum altero *dia* vel dignitate & præstantia. Ita aurum prius est argento, Consul' Senatore, Rex Duce' bellico. Qyanquam hoc potius dicendum sit honorabilius vel venerabilius, quam prius. Addunt aliqui prius tanquam causa, verum hoc sub secunda significatione jam continetur. Uti vero prius quatuor modis dicebatur, ita & posterius aliud tempore, quod altero recentius est, aliud natura, quo sublatu non tollitur alterum, vel quod alterius causa non existit, sed potius effectus, aliud ordine, aliud denique dignitate posterius dicitur, quod adeo manifestum ex prioribus est, ut prolixio & peculiari tractatione non indigeat.

CAPUT III. DE MODIS SIMUL.

SIMUL aliqua dicuntur I. Tempore, quorum ortus in eodem tempore est. Ut sunt gemini. Non enim stricte simul sumuntur, quatenus illa dicuntur simul, quæ in eodem momento sunt vel sunt, quomodo lib. IV. Phys. cap. X. rò simul sumuntur, sed quæ in eodem tempore sunt aut sunt, sive à natura sive etiam ab arte. Imò referunt hoc aliqui & modum illum vulgarem, quo illi dicuntur simul esse, qui magnam partem & diu convixerunt, ut Scipio Africanus & Lælius, Alexander M. & Aristoteles. II. Naturā simul dicuntur esse, qua secundum existentiam reciprocantur, & quidem ita, ut neutrum alterius causa existat v. c. duplum & dimidium: positò enim duplò ponitur etiam dimidium, & positò dimidiò ponitur quoque duplum, & neutrum alterius causa existit, neque duplum dimidi, neque dimidium dupli. III. Species quoque ejusdem generis dicuntur simul esse & quidem natura, non tamen simpliciter, acsi unā specie positā, ponatur etiam altera: potest enim una species posterior esse altera, quoad existentiam; sed ratione generis vel natura divisionis,

A a 2

quæ

quà genus immediatè partiuntur. Ita homo, equus, canis & leo
naturà simul sunt, non quasi simul existant, sed quia simul & æqua-
liter generi subsunt, quod in ea, tanquam in species suas dividitur.
Intelligendum tamen hoc est de genere univoco, quod vulgò dici-
tur *καθ' εν*, non de æquivoco, quod dicitur *καθ' οὐ*, cuius una spe-
cies prima est, à qua reliquæ tanquam posteriores dependent. Pri-
mus modus *τούτῳ* simul oppositus est primo modo prioris, secundus
secundo, tertius tertio; quarto autem modo prioris nullus opponi-
tur modus *τούτῳ* simul, quia modus ille quartus prioris est prorsus
alienus & impropriè dictus, ipso Aristotele monente lib. Categor.

XII. §. 5.

CAPUT IV. DE MOTU.

Nunc de MOTU agit, non tamen accuratè, quemadmodum
de eo agit lib. V. Phys. sed tantùm populariter & rudi Mi-
nervà, quantum scilicet ad propositum sufficere putatur. E-
numerat verò species motùs sex, *generationem*, *corrupti-
onem*, *augmentationem*, *diminutionem*, *alterationem* & *lationem*
φοργὴ seu motum localem. Generatio & Corruptio desumpta sunt
ex Categoria Substantiæ, & illa quidem est *mutatio rei à non esse ad
esse*, ut quando equus vel homo generatur, qui ante non erant. Cor-
ruptio est *mutatio rei ab esse ad non esse*. Ut quando homo vel e-
quis moritur, tum enim non sunt amplius, quod ante erant. Au-
gmentatio & diminutio ex prædicamento quantitatis desumptæ sunt,
& illa dicitur *motus*, quib[us] major acq[ui]ritur *quantitas*, ut quando
homo crescit & ex minori fit magnus; hæc verò est *motus*, quô
diminuitur *quantitas*, ut quando senes decrescent & minuantur.
Alteratio ex Categoria Qualitatis deprompta est, diciturque *motus*,
quô res ex una qualitate mutatur in aliam. Ut quando quis ex ca-
lido fit frigidus. Motus localis denique ex Categoria Ubi desum-
ptus est, & nihil aliud est, quam *mutatio loci*; quando *aliquid de
loco in locum movetur*. Ut quando homo è domo sua vadit in
templo.

templum. Ex hisce descriptionibus, utut differentia specierum motū pateat, dubium tamen adhuc alicui videri posset, an alteratio vel variatio à reliquis speciebus motū sit distincta, quia & in generatione atque corruptione, & in augmentatione atque diminutione, nec non motu locali videtur obtinere alteratio. Verū enim verò quodsi alteratio à generatione, augmentatione cæterisque motibus non esset distincta, sed cum ipsis idem motus existeret, tum utique, quotiescumque alteramur, etiam generaremur vel augmentaremur, vel loco moveremur, quod tamen neutiquam ita se habet. Nam quando ex indoctis evadimus docti, tum alteramur, quia novam qualitatem nanciscimur, ast non generamur, neque etiam augemur, ita ut majores fiamus. Igitur alteratio distincta est à reliquis motibus. Evidem negare non possumus, in omni ferè motu alterationem deprehendi, v. g. in generatione hominis alteratur materia, ex qua fit generatio, in augmentatione ejus alteratur alimentum, per quod augetur & crescit aliquid, & sic deinceps, ast inde non sequitur hos motus omnes specie & definitione esse eosdem, sed manent omnino diversi, quoniam termini eorum sunt diversi. v. g. generationis terminus substantia est, augmentationis quantitas, localis motus locus, alterationis verò qualitas, ex quibus terminis tantum dijudicari debet, an motus aliqui iidem, an diversi existant. Opponitur motui in genere quies, hinc quot modis dicitur motus, tot etiam modis dicetur quies. Nimirum cum generatio & corruptio sint motus secundum substantiam (nimirum populariter loquendo; strictè enim loquendo non motus, sed mutationes sunt, ut lib. V. Phys. cap. II. docetur) hinc opponitur ei quies circa substantiam. Augmentatio verò & diminutio, cùm sint motus circa quantitatem, hinc opponitur iis quies circa quantitatem. Alteratio, quia est motus circa qualitatem, opponitur ei quies secundum qualitatem. Latio cum sit motus secundum locum, hinc ei opponitur quies secundum locum, Qvantum & in spe. ie singuli motus singulis sint contrarii. Ita generationi opponitur corruptio, augmentationi diminutio; alterationi verò mutatio in contrariam qualitatem, & motui locali motus in contrarium locum.

A a 3

CAP.

CAPUT V.
DE
MODIS HABENDI.

MODOS HABENDI recenset hic Aristoteles, secundum quos 1. dicimus aliquid habere, ut qualitatem, v. g. justitiam. 2. ut quantitatem, v. g. staturam magnam vel parvam. 3. Habere aliquid dicimus circa corpus, ut vestem, arma &c. 4. Habere dicimus quidpiam ut ornamentum, circa particulam quandam corporis, ut annulum circa digitos. 5. Habemus aliquid ut partem, v. g. nasum, manum &c. 6. Habemus aliquid in loco, aut vase, ut pecuniam in crumena, libros in repositorio, vinum in dolio. 7. Haberi aliquid dicitur ut possessio: v. g. ager, domus, dvitiae. 8. Denique vir dicitur habere uxorem. Ex hisce habendi modis primus pertinet ad Categoriam qualitatis, secundus ad quantitatem, tertius & quartus ad praedicamentum habitus, quintus ad substantiam, sextus ad ubi, septimus ad praedicamentum relationis. Octavus ab ipso Aristotele dicitur esse ἀλογάτας alienissimus, quamquam ad Relationis Categoriam referri queat, cum uxorem habere nihil aliud sit, quam cohabitare, quemadmodum docte Muretus ex Aristotele, Aristippō apud Ciceronem, Luciano, Diogene Laertio & aliis probat, εξαγγείλει idem esse atque συνομένη. Lib. VI. Var. Lect. cap. VII.

Et tantum quoque de Postpraedicamentis, ac in universum de Libro Categoriarum Aristotelis.



AP-

APPENDIX I.

Oratio Præfationis loco ad Disputatio-
nem Inauguralem, pro LOCO Professionis
Logicæ & Metaphysicæ habita:

DE NOVELLIS PHILOSOPHIS EORUMQUE PHILOSOPHIA.



*Magnifice Domine Pro-Rector, Viri Maximè
Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Excellen-
tissimi, Amplissimi atq[ue] Clarissimi,
Domini Professores, Collegæ, Fautores atq[ue] Hospites
omnium Ordinum Honoratissimi,
UT ET TU
Nobilissima atque Florentissima Studioſe
Juventutis Corona.*

Potquam administratâ hacenus per octodecim annos
Gr. L. Professione, dirigente sic divinô Numine, per
Gratiam atque Clementiam SACRAE REGIE MAJE-
STATIS in Prussia, Logices arque Metaphysics seu
Philosophiae primæ P. P. sum constitutus, pri-
mum functionis hujus exordium à Disputatione pro Loco in nomi-
ne SS. Trinitatis facturus, ante omnia maximas habeo gratias Ve-
stre Magnificentie, Vestris Excellentie, atque Amplitudinibus, Cla-
ritatibus, atque Praestantiis pro comitatu honorifico, præsentia bene-
volâ atque acceptâ, omnem in modum rogans, quoniam procemii
loco Conditionem atque indolem Philosophie novæ & Philoso-
phorum noviter exortorum studiosa juventuti exponere statui, ut
favorem favori addant, mihiique non solum hâc de re disurrenti,
sed & postmodum disputanti, benevolas ac vacivas præbere aures non
dedi-

dedignentur. Ac euidem ubi novos hosce Philosophos eorumque doctrinam solliciti sis expendo, miras mirari cogor rerum viciſſitudines & admiranda Dei judicia. Cuu enim haſtenas ultra dimidium jam ſeculum in Iuſtifiacione Albertina vera atque antiqua floruerit ſapientia monumentaque Aristotelis, Philofophorum Principis, à Viris quibusque Excellentissimis atque Doctissimis, indeſeo ſtudio ſummoque juventutis cum fructu traſtata ſint, in aliis quoque Academiis Europæ inſignioribus, eandem Philofophiam ſedulo per annos quamplurimos viri docti excoſuerint, hodienuum noſtra quidem Academia per Dei gratiam antiquum ſuum obtinet, at In reliquis Academiis quamplurimiſis ejusmodi metamorphoſin conſpicor, qualem fateor mente mea me alſequi non poſſe. Enimverò non ſolūm Drejeri Beati Metaphysicam omnibus merito exoſculandam undique eliminatam, Zeidleri Beati Analysis posteriorem exactiſſimam planè proſcriptam, Wichelmanni, Piccarti, Scherbii, Neldelii, Soneri, Paclii, Giphanii, Riccoboni, aliorumque acutissimorum Philofophorum ſcripta elegantiſſima neglecta; ſed Ariftotelem ipsum, qui per bis mille annos, doctis ubique viris in deliciis, quin admirationi vel iþiſis hoſtibus fuit, nunc ut nugatorem inanem & ſtolidum altò ſupercilio contemni video, imò quod cogitatu nedum dictu horrendum, omnes in universam Philofophos, tam antiquos quam recentiores, ipſos quoque Ecclēſicos, qui præ omnibus optimam philofophandi rationem elegiſſe ſibi videbantur, ut ſultos, aſiāos, pedantes ſannis & cachinnis excipi inque pontem aſinorum à noviter exortis Philofophis relegari deprehendo. Obſtupui certè, ubi audaciſſimorum horum Philofophorum novellorum ſcripta primū mihi legere contigit. Cogitavi aliquandiu, an forte Titan novos finxiſſet homines meliori de luto, qui reliquos omnes mentis acie ſuperarent, & quod verum redūtumque judicarunt tot myriades doctiſſimorum virorum, hi ſoli non eſſe verum Lynceis ſuis viderent oculis? an verò juſtò Dei judiciò mentes hominum istorum fascinatae atque incantatae eſſent? ponderatā tandem exacteque novā hāc Philofophiā, ejusque ut vocant veritatibus novis ſollicitè expenſis, concludere coaſtus ſum: aut omnes viros omni eruditioñis laude tot ſeculis celeberrimos non fuiffe homines, quod nemo facile dixerit, aut novellos hosce Philofophos reverā delirare. Etc-

nina

nim dogmata Philosophi hinc inde emendare, partem hanc illamve scientiae alicujus augere, omissa complere, obscurius paulò tradita in luce clariori ponere, ordinem & methodum perficere, id hominis est sapientis & docti; at integras scientias ordine jam concinnatas & à multis millibus virorum ex assū doctorum probatas, in totum, quod illi novelli Philosophi faciunt, rejicere, syllogisticam facultatem penitus ut ineptam damnare, novamque ratiocinandi artem, imò novam in universum Philosophiam cedere, inque omnes ante se Philosophos, ut nugatores, stultos, asinos & pedantes debacchari, id hominis est extra omne dubium in delirio constituti.

Excutiamus fundamenta solum generalissima novellæ hujus Philosophiæ, & verum me dixisse comperiemus. Fundamentum primum est *luminis naturæ cum lumine revelationis turpis & faida confusio*. Hinc enim cum Aristoteles eumque secuti tot seculis viri doctriñ alii Philosophiam ordiantur à Dialectica, & locos tradant probabiles, quibus tenerior intellectus excollitur & ad solidiorem veritatis cognitionem disponitur; illi contrà à libro tertio de anima incipiunt, sive doctrinam de intellectu humano ejusque facultatibus primò omnium proponunt, & quantopere per lapsum atque peccatum Protoplastorum intellectus noster sit corruptus, exponunt, indeque veram Philosophiam in renovatione mentis constituant, & ad eam discendam ante omnia μετάνοιαν atque regenerationem requirunt, simulque defectum suā opinione magnum, omnibus in Academiis censoriā virgulā notant, quòd Philosophi auditores suos regenerationem atque renovationem non doceant, siue veram Philosophiam non tradant, imò quòd omnium facultatum Professores munia sua non compleant, dum ad pietatem juventutem non manuducunt: indeque Philosophiam suam inter alia medicinam mentis vocant, eò quòd ægris & per peccatum corruptis mentibus hominum medelam adferat, & rectius quam haec tenus à Philosophis aliis omnibus factum est, ratione uti eosdem doceat. At quis adeò imbecillæ mentis est, ut vel hinc homines istos ἀρρώσια τῆς διανοίας laborare non videat? Haec tenus certè Philosophia fuit reædōtης atque perfectio intellectus humani, nunc istorum hominum sive arte, sive vitiō in medicinam degeneravit: quasi Philosophis res esset cum hominibus deliris & helleborum expectantibus. Quid

quales Philosophus novit de lapsu & peccato Protoplastorum? Quid de corruptione intellectus nostri per peccatum? Quid de generatione atque renovatione? Philosophia utique est cognitio ex lumine naturae hausta, & principiis rationis rectæ sibi soli reliqtæ innixa; illa autem omnia ad lumen superius, ad lumen nempe revelationis perirent. Quid ergo aliud novelli isti Philosophi faciunt, quam quod lumen naturae cum lumine revelationis turpiter confundant. Et porrò, num per peccatum Protoplastorum ipsam substantiam intellectus prostratam cum Flacio autumant, sic ut ne quidem in rebus ad lumen naturae spectantibus, & ex eodem cognoscibilibus verum intelligere absque regeneratione homo possit? Hoc pactò novelli isti Philosophi non solum gentilibus omnem Philosophiæ cognitionem absurdè denegare coguntur, sed omnes tandem ex orbe ejicient artifices, pictores, aurifabros, statuarios, pistores, Musicos & reliquos, eò quod discipulos suos regenerationem atque pietatem non doceant. At qua hæc est manifesta absurditas? Quam turpiter diversarum artium atque facultatum munia hi novi Philosophi simul confundunt? Pietas à primis annis instillatur juventuti in scholis, quotidie in templis à verbi divini ministris inculcatur & secundum omnes partes suas explicatur, neq; vel Philosophi vel reliquarum Facultatum Professores in Academis ad pietatem hortari auditores suos iisque vita sanctimoniam prælucere unquam negligunt; at verò Philosophiam ipsam, Jurisprudentiam & Medicinam imò & Theologiam propterea in regeneratione, pietate atque renovatione mentis consistere, omniumque Professorum doctrinam horum explicatiōne contineri, id sine absurditate maximā dici non potest. Et hoc est primum novellæ Philosophiæ miserum satis fundamentum. Secundum est contemptus gravissimus scientiarum Philosophiarum, aliarumque humanarum omnium. Inde quippe pleraque in Philosophia, in Jure, in Medicina supervacanea & negligenda judicant, & tempus longè melius in lectionem verbi divini collocari, rebusque divinis & cœlestibus meditandis impendi prolixè inculcant. Verum & hic rursus *anachoritæ* suam manifestant. Cœlestia enim præferenda esse humanis, verbi divini lectionem, ipsorumque mysteriorum divinorum meditationem atque explica-

plicationem, verbo, Theologiam reliquis omnibus præferendam es-
se artibus & scientiis humanis nemo unquam negavit; at propterea Philosophiam omnesque artes & facultates alias humanas negligendas aut perfunctorie tractandas, & tempus omne Codici sacro ipsiusque Theologie ab omnibus consecrandum, quis cum ratione dixerit? Hoc pactò omnes futuri essent Theologi & verbi divini ministri, quibus quidem regeretur Ecclesia Christi, at quinam regerent Rem-publicam? quinam informarent juventutem Academicam? Quinam vita necessitatem respicerent & victum atque amictum procurarent? Ordinem ab ipso Deo institutum novelli hi Philosophi evertunt, & cum ille non solum futura sed & hujus vitæ rationem haberi voluerit, cui artes & scientiæ humanæ inserviunt, illi quasi in ecclasi constituti hanc vitam oblitii esse, seque in mundo vivere ignorare videntur. Tertium fundamentum novella Philosophia est *affectata obscuritas, sub qua latitare quam maxime querunt.* Hinc enim voces à nativa sua & haecenüs usitata significacione ad alias trahunt, quin voces etiam novas singunt, iisdemq; philosophiam suam sic obscurant, ut Delio Urinatore opus sit ad mentem ipsorum assequendam. At quis palpare in tenebris eligeret, cum in clara luce ambulare queat? Quis balbutire cum Empedocle mallet, quam cum Aristotele rectè atque articulatè loqui? Quartum fundamentum est *audacissimum contradicendi studium*, quò dementiati omnium Philosophorum reliquorum asserta non modo improbant; sed & subsannant atque exsibulant, ac sub prætextu novarum veritatum, nescio quas non deliras sententias & anniles nugas libris infasciunt suis, qui propterea vix digni sunt, ut Pantagruelis Bibliothecæ inserantur, aut cum Tartareto de modo cacandi in unum idemque volumen campingantur. Quintum denique fundamentum generale novella Philosophia est *ratio docendi apud odˆ Et iτta>oyisˆ* Cū enim Aristoteles omnia sua dogmata non solum methodicè atque ordinatè tradat, sed & solidè demonstrat; hic è contrario methodi præcepta negligere & pro placito scribere jubar, dummodo non prorsus stolidè scribatur. Rationes solidas assertionum suarum nullas adferunt, sed similibus fermè ubique utuntur, syllogisticam concludendi rationem planè ut ineptam rejiciunt,

ciunt, adeò ut nequidem digni judicari possint illò, quod alicui Magistro DAVIDI positum olim fuisse memoratur, epitaphiò:

*Hic jacet Magister David,
Qui tecum in vita argumentavit:
Semel in Celarent,
Sic ut omnes admirarentur.
Bis in Fisiomorum,
Requiescat in secula seculorum.*

Hæc est Συναγερόσα atque idea novellæ istius Philosophiæ. Cui hæc non placet? Qvis non præferendam judicet hanc Aristotelis omniumque aliorum Philosopherum doctrinæ? Nonne hanc ambabus scilicet manibus amplectamini Viri Juvenes Nobilissimi atq; Præstantissimi? Sed ut damna Philosophia hujus eò clariùs perspiciat, fructus adhuc illius mecum expendite: ex fructibus enim magis dignoscetis eam.

FRUCTUS primus est *fastus animi insolentissimus, arrogantia intolerabilis.* An enim major fastus, an elatio animi atq; arrogancia cogitari major potest, quam Philosopherum celebratissimum, Aristotelem, proclamare nugatorem ineptum, omnes autem reliquos viros eruditos stultos, asinos, pedantes, eorumque doctrinam ceu merum pedantisimum juventuti reddere odiosam? At talen fastum, hujusmodi arrogantiam ingenerant suis discipulis, qui, uti fieri sivevit, Doctoribus suis ut plurimum sunt impudentiores. Ubi vero manet pietas, ubi regeneratio horum Philosopherum novellorum, quam suæ Philosophia præcipuum volunt esse momentum? Certè tantum abest, ut hò ipso se piòs & regenitos ostendant, ut potius à modestia gentilis Philosophi, Aristotelis, infinitis parafangis se adhuc abesse demonstrent. Hic ita philosophatur, ut alios non contemnat Philosophos, sed contrà eorum dogmata exactius expendat, & hò ipso feliciùs veritatem se inventurum judicet. Hinc lib. 1. de anima c. 2. Verum enim vero, inquit, necesse est, considerantes de anima, & de his dubitantes ac ambigentes, quæ nos oportet procedentes invenire atque percipere, in medium eorum antiquorum afferramus opiniones, qui de anima tractârunt aliquid atque dixerunt, ut ea quidem accipiamus, quæ benè sunt dicta, ab his autem caveamus,

que

quæ non bene rectèque dicta sunt. Ad normam prorsus Apostolici mandati I. Thess. V. 21. Omnia probate, quod bonum est tenete. Item lib. 3. Metaph. c. 1. Necesse est, inquit, ad hanc, quæ queritur, scientiam imprimis nos percurrire, de quibus primò dubitandum est. Hac autem sunt & quecumque de, alio aliter quidam existimarunt, & si quid ultra hæc pretermissum sit. Rursus lib. 13. Metaph. c. 1. Cùm autem consideratio, ait, sit utrum præter sensibiles substantias, aliqua sit immobilis & aeterna, & si sit, quanam sit, quæ ab aliis dicuntur, primò speculandum est, ut si quid minus rectè dicant, non ballucinemur cum illis, sin verè commune aliquod nobiscum ipsis dogma sit, non agrè feramus, si propriè nobis adscribi nequeat. Et sic in aliis locis innumeris idem inculcat, atque à nobis fieri desiderat: imò nec illos negligi vult, qui superficietenus modò rem tractârunt, sed potius & iis gratias habendas judicat, quando sic lib. 2. Metaph. c. 1. ait: Non solum iis gratia agende, quorum opinionibus quis acquiescit, sed & illis, qui superficietenus dixerunt. Nam & bi aliquid adjicunt: habitum enim nostrum exercuerunt. En exemplar modestiæ & gratitudinis! Agnoscite hinc pietatem Aristotelis, vestram vero impietatem novelli Philosophi. Non debachatur ille in Philosophos alios eosque stultos, nugatores, asinos, pendentes per contumeliam vocat, sed dogmata ipsorum vult ritè expendi, & gratias etiam haberi illis, qui perfunctoriè rem solum per tractârunt, taliumque operâ se juvari gratus agnoscit; Vos vero optima quæque allorum dogmata altò supercilios contemnitis, & propria solum admiramini somnia, laudeque propriâ, quæ tamen omnibus sordet modestis viris, inclarescere laboratis. Atque hic est frustus primus novellæ Philosophiæ, seqvitur secundus primò haud melior, nimirum *novitatis, non veritatis studium.* Aristoteles laudabili proposito in omni Philosophia sua veritatem metam atq; scopus sibi fixit, adeò ut refutaturus sententiam Socratis & Platonis de idea boni, gravem quidem & difficilem istam tractationem sibi esse dicat, eò quod Autores hujus sententiae φίλοι ἀνδρες h. e. amici viri sint, quoniam utrumque usus erat præceptore; attamen statim subiectat veritatem esse iis præferendam hoc cedrō digno effato: Αριφοῖν γδ ὅντοι φίλοις στοιν περιπατητὴν τὴν αἰληθὲαν, cūm enim utnique eham sint, (amici nempe & veritas) pium tamen est

amicis antiquorem habere veritatem. Lib. I, Eth. c. 4. Imò propria asserta, veritatis causâ relinqueret atque emendare itidem jubet his verbis latinitate donatis: *Tortaffis artem prestare atque adeò operare videtur veritatis tuenda causâ nostra ipsorum decreta evertre, præsertim cum etiam nos Philosophi simus.* O verè veritatis Philosophum! Quid autem novelli Philosophi? Hi novatuentes sui genii foetus adeò depereunt, ut reverentiam omnem erga doctos quosque exuant, eorumque doctrinam meliorem verioremque inscenentur, discipulis porrò suis præcipiant: abjicienda omnia, quæ ex Præceptorum ore hauserunt, proprio indulgendum genio, novas quærendas veritates. Egregios scilicet veritatis Doctores! Quid si in hoc consilium vera philosophandi ratio, nova utique Philosophariorum horum Philosophia e vestigio corruet, utpote, quam discipuli juxta præceptum illud rejicere tenentur & proprio indulgere genio. Quid autem hinc tandem fiet? Certè quot capita, tot exsurgent novæ Philosophiae genera. Fœcunda hæc est Philosophia, verum monstrorum absurdissimorum. Id quod uberior declarare potest fructus, qui seqvitur, tertius novellæ istius Philosophiae: *Principiorum nempe evidentissimorum abjectio, & vanissimum introductio.* Etenim Aristoteles, cumque eo omnes rectæ rationis judicio pollentes Philosophi, non de omnibus dubitandum esse docent, cum dentur aliqua, quæ per se manifesta sunt, veluti quæ sensu omnibus requisitis gaudente percipimus, quæ videmus oculis, audimus auribus, palpamus manibus &c. item, quæ intellectus illicè vera esse percipit sine omni demonstratione, ut prima principia. Novellorum contrà Philosophorum primum est principium: De omnibus dubitandum, liberandus intellectus præjudicii. Ergone dubitandum etiam an homo sis? an vigiles? an videoas? an edas? an bibas? Utique ad minimum semel in vita. O stolidos verè Philosophos, quos rectè ex Arist. lib. 8. Phys. c. 3. ἀρρωστοῖς τῆς διανοίᾳ, h. e. infirmitate judicii, vel ut clarius exprimamus, deliriō mentis labore dixeris. Rursus principia haec tenus ab Aristotele aliisque Philosophis approbata sunt hac: *Sensus est primum κείμενον & norma reliquorum in naturalibus: Impossible est idem simul esse & non esse.* Philosophis novellis hæc non arrident, melius

lius suppeditant, nempe hoc: *Cogito, ergo sum:* Quoniam enim sensus aliquando & ex accidenti, ubi nempe debitum destituitur requisitus, errori ansam aliquando præbet; hinc simpliciter sensu non est credendum; quasi verò & cogitatio non subinde errori ansam præbeat. Ex hoc principio Prudentia cogitandi exorta, quæ omnem evertit prudentiam, in d rationem omnem, & inanibus cogitationibus eruditum orbem implevit. Unde & Vir aliquis doctus principium hoc novum considerans, stomachabundus tandem in hac erumpit: Æqvale si non melius est hoc principium: *Crepitum ventris emitto: Ergo sum.* Acerbum quidem hoc, at verum est judicium. Nam (1) æqvè utrumque meretur principii primi titulum, i. e. neutram hoc nomine appellari potest: sed utrumque posuisse argumentatio aliqua est truncata, quæ hoc ntititur principiō: *Non entis nullæ sunt affectiones:* Hinc enim sequitur, si quis cogitet aut alterum illud præstet, ipsum esse oportere, quoniam secus non entis essent affectiones, quod est absurdum. (2) Posterius illud melius esse, ex novellorum philosophia necessariò sequitur. Rejiciunt enim hi, ut mox pluribus dicetur, Logicam Aristotelis & reliquorum Philosophorum exinde, quia pro doctis tantum est, cum revera Logica non minus rustico cuivis quam Philosopho debeat esse cognita. Quodsi hoc, verè judicavit utique vir ille, principium evidenter & melius esse hoc: *Crepitum ventris emitto, ergo sum;* quam illud: *Cogito, ergo sum:* quis enim prius illud rusticos præ posteriori concessuros dubitaverit? Sed properamus ad fructum quartum, qui est, *dogmatum ineptissimorum absurditas.* Ex his non postremum est, cuius modò mentionem inieclimus, Logica nempe rusticorum præ Aristotelica præstantia. Inanem atque nullam esse Logicam ab Aristotele aliisque Philosophis haecenus traditam Philosophi isti novelli docent, quia propria illa sit doctis, cum vera Logica etiam simplicibus hominibus, ipsis rusticis æqvè sit perspecta atque acutissimo Philosopho; at quam miserè isti Philosophi confundunt naturalem ratiocinandi facultatem, quæ omni inest homini (exceptis Margitis, qui adeò infirma mentis sunt, ut vix ad quinarium usque numerum numerare valeant, teste Svidā in Lexico) cum ipsa arte Logica vel arte ratiocinandi. Releganda hoc pacto & Rhetorica Aristotelis aliorumque Rhetorum omnium, quia datur

datur facultas naturalis dicendi, suffragante ipsò Aristotele 1. Rhet.
 1. Rejicienda Poëtica Aristotelis & aliorum Poëtarum omnium,
 quia imitari, in quo vis Poëeos portissima sita est, etiam naturale est
 hominj, adstipulante eodem rursus lib. de Poët. c. 1. At quantæ
 ha absurditates? Sed quemadmodum dato uno absurdo sequuntur
 plura, ut ait Aristot. 1. Phys. 2. ἐνὸς ἀτόπες δοθέντοι τὰλλα συν-
 βάψει: ita hic quoq; error errore premit atq; trudit. Nimirum do-
 ctrina Syllogistica de forma & figura syllogismi est inepta & rej-
 cienda: novum est novella Philosophia dogma. Si qværis cur? Re-
 spondetur, quia syllogismus in forma optimus potest constare ex
 falsis propositionibus, & contra syllogismus in forma pravus potest
 veras continere propositiones. Herculeum certè argumentum, quod
 veritatem non solum de ponte dejicere, sed tota mœnia evertere
 posset. Quid si collectio illa procedit, ego simili ratione colligam:
 Propositio verè negativa potest esse in se falsa, propositio verè af-
 firmativa potest in se esse absurdâ: Ergo doctrina propositionum
 est inepta, eliminanda, exsibilanda. Quid ergo facient tandem Phi-
 losophi illi novelli? An nudos recitabunt terminos? An in blitri
 & scindapsis argumentabuntur? Gaudent alias similibus adeò ut fer-
 mè similibus omnia probent, quod suprà diximus, simili ergò hunc
 ipsorum errorem quoque denudare placet. Nimirum vestis splen-
 dida & ornata nulla est & rejicienda: Cur? quia sub sordido pal-
 lio sâpe latet vir sapiens, & sub splendida veste rudis Margites.
 Egregia certè argumentatio; at similis prorsus illi de forma sylo-
 gistica. Ulterius improbat Philosophia novella definitionem homi-
 nis: *Homo est animal rationale, meliorem suppeditat: Homo est a-*
nimal mente præditum: En angībeay! En veritatem novam! Tan-
 dem ut plura, tedium evitaturus, non adducam, refellit Philoso-
 phia novella divisionem Entis generalem in substantiam & accidens,
 & melius ens dividi in Deum & creaturas affirmat. Ratio, quia
 per priorem Deus cum creaturis in eadem classe, substantiatum nem-
 pe, ponitur; hoc autem Deo indignum est. At cum obstat sibi
 videat peccatum, quod neque ad Deum, neque ad creaturas referre
 audet, hinc ut salvet suam divisionem, restringit eam, & non cu-
 juscunque entis divisionem hanc esse, verum substantiæ, monet.
 Hic quæso vertiginem Philosopherum illorum novellorum pondé-
 remus,

remus. Scilicet (1) divisionem prius generalem entis se tradere adjunt, & quidem meliorem illa, qua ens dividitur generaliter in substantiam & accidens, deinde non divisionem entis in genere, verum substantia esse dicunt, quae est una contradictione. (2) indignum esse Deo dicunt, ut in eadem classe cum creaturis ponatur, in classe nempe substantiarum & post tamen divisionem entis in Deum & creaturas ad substantiam ipsum restringunt & substantiae divisionem esse assertunt, adeoque ipsum quoque Deum & creaturas in eadem classe substantiarum circa indecorum aliquod collocari posse innunt, quae est altera contradictione. Hem! Philosophi novelli, qui tantoper vestrum ipsorum obliviscimini? Sed (3) num indignum esset Deo, in eadem classe suo modo ponit ipsum cum creaturis? Scriptura sacra utique Deum Spiritum esse docet, & idem de Angelis, idem de anima hominis affirmit, adeoque Deum in eadem classe, spirituum nempe, ponit cum creaturis. An forte majori pietati atque reverenti erga Deum novelli illi utuntur Philosophi, quam ipse sacer codex? Et (4) ut alia taceamus plurima, quid novit Philosophus de creatione atque creaturis? Απαιδευσιαν suam manifestant illi Philosophi noviter exorti, seque distinctionem inter lumen naturae & lumen revelationis aut ignorare, aut scire nolle indicant. Verum maturum est, ut ad fructum quintum & ultimum progrediamur, nempe *Evangelice doctrinæ corruptionem & Ecclesiæ Christi turbationem.* In vulgus proh dolor! notum est, quantoper multis in locis turbata haec tenus sit Ecclesia Christi Lutherana à fanaticis quibusdam hominibus, qui Babel sibi novum in ipso Lutheranismo fingentes, inque omnia ministeria debacchat, absurdula multa dogmata sparserunt, novumque Ecclesiae, imo & Reipublicæ statum sibi impresserunt, adeo ut Magistratus tandem finibus civitatum suarum expellere eos coactus fuerit. Non aliunde certe hi tenebriones, quam ex Schola & Philosophia nova novellorum horum Philosophorum prodierunt. Edicti enim de re omni dubitandum, dogmata omnia præceptorum ut præjudicia, ut præconceptas opiniones, abicienda esse, proprio genio indulgendum, novas veritates querendas, Russicos & que Logicos esse atque Aristotelem aliosque Philosophos, & innumera talia persvasi, quid aliud machinari potuerunt, nisi purioris doctrinæ Evangelicae corruptionem? quid moliri aliud nisi

Ecclesiam novam, novum Reipubl. statum? Hinc alios ortum Ecclesiae verae in Japonia sperare eoque abeentes expectare, alios spectra negare, incestus omniaque delicta horrenda elevare ceu naturae non adversa, alios dæmones olim salvandos somniare, alios ritus omnes Ecclesiarum nostrarum subsannare, publicum Dei cultum enervare, alios alia nugari experti sumus. Hi sunt fructus novae hujus Philosophia, & ultimus quidem omnium pessimus, ad Quakerismum partim ducens partim ad Atheismum. Qui enim spectra extenuant, Diabolos olim salvatum iri defendant & sceleris gravissima inducunt, Atheismum revera inducunt, illi theoreticum, hi practicum. Si enim spectra atque Dæmones non dantur, neque datur Deus: à Deo namque defecisse dæmones Scriptura sacra docet, si non dantur dæmones, igitur figuramentum est defectio ista à Deo & ipse Deus. Quodsi autem Diaboli aliquando salvabuntur, si incestus non sunt contra naturam: quid oberit omnibus flagitiis & sceleribus indulgere pessimis, cum gratiam sperare cum diabolis queas? At his abnegari Deum, practice nempe, Scriptura sacra docet. Qui ritus omnes Ecclesiae nostrae damnant, novamque illius formam in mente sua circumferunt, næ hi Quakerismum & cœrum hominum deiiorum formare in rei veritate intendunt. De Juliano Apostata notum est ex Historia, quod suppremissus Ecclesiam Christi, Iohannes Rhetorum & Philosophorum claudere Edicto jussit, quod crudeliter ab optimis judicatur Historicis. Qvod ille Apostata vi Tyrannica moliebatur, hoc tenebentes illi per fraudem novâ suâ Philosophiam machinantur, etiamsi forte id sibi ob fascinatam mentem suam imaginari non possint, aut non velint. Omnen enim veram & antiquam Philosophiam damnantes, omnem *anci^βav*, omnem methodum atque ordinem exactum exsibilantes, omnia confundentes & cœlestia terrenis, ima summis miscentes, quid aliud nisi confusionem omnium statuum inducere possunt, quid aliud moliri, nisi armis spoliare suis Ecclesiam, quibus contra haereticos, fanaticos & schismaticos se haec tenus defendit. Sed quid tandem de totius hujus novellæ philosophiae origine judicabimus? Num forte fortuna eadem exorta? An casu aliquo contigit in ejusmodi absurditates & apertas stoliditates labi homines istos? Nequaquam; sed justa hic Dei judicia adoremus oportet. Quemadmodum enim Judæi in sensu-

repro-

reprobum dati: quia lumen mundi, Christum, rejeicabant: quemadmodum item in Ecclesia hæreticos schismatics & fanaticos exsurgere permittit Deus ob ingratitudinem hominum lucem claram Evangelii vilipendentium: ita quoque in Academiis ejusmodi absurdis opinionibus fascinari multos concedit divinum Numen, eò, quod lumen naturæ & antiquæ sapientiæ vel Philosophiæ repudiae non vereantur.

Cavete ergo vobis sedulò à novella hac Philosophia, Viri Juvenes Nobilissimi atque Præstantissimi: fugite eam ceu pestem, neque vel novarum veritatum, verius stoliditatum, vel ficta & fanaticæ pietatis glaucomate vos fascinari permittite. Communicatâ potius operâ nobiscum contra eandem pugnate. Non enim nos modò Docentes & Professores Academiarum insectantur, stultos, aſinos, pedantes, & doctrinam nostram pedantismum appellantes, sed vos quoque impios, irregenitos & pessimæ vitæ homines proclamant, quos ad regenerationem, ad pœnitentiam atque resipiscientiam à Professoribus Academiarum non debite manuduci conve‐runtur. Nos igitur veritatem docendo, nugas horum Philosophorum novellorum in clara luce ponendo, existimationem & nostram & Virorum ante laudatorum, Praeceptorum nostrorum in Philoſophia olim Honoratissimorum vindicabimus, & Gloriam Academiarum nostræ, quâ in hodiernum usque diem per Dei gratiam fulgidissime culturâ antiquæ veræ atque exactæ Sapientiæ atque Philosophiæ fulget, pro virili conservare antitemur; vos pietatem seriò colendo & veræ Philosophiæ indefessò studio invigilando os maledicuum obstruite. Arguit nos, quod Pietatis Doctores non simus. At prælūximus vobis, teste Deo atque conscientiâ, & prælucubrimus omnes atque singuli, pro viribus à Deo quisque sibi concessis, pietate & verâ vitæ sanctimoniam quoad vivemus: hortamur etiam vos, & qvâvis occasione datâ hortabitur, ad veram pietatem, imò per Deum oramus, ut vitæ sanctitati infuscatae studeatis. Qyoties manè surgitis, ante omnia piis precibus & hymnis Deum vestrum celebrate, verbum ejus sanctissimum legite & piâ meditatione expendite, pietatis exercitiam sedulò inite, tûm verò fiduciâ filiali in Deum labores vestros suscipe & posthabitis omnibus gerris atque nūgis novellorum istorum Philosophorum, antiquam & veram Phi-

osophiam nobiscum excolite, eademque ad superiora vos studia dignè præparate. Peccata mortalia & proceretica omni modo vitate, infirmitates quotidiana poenitentiâ eluite. Qvodsi etiam quod Deus clementissimè avertat, in peccatum mortale fueritis lapsi, nolite desperare, sed feriâ poenitentiâ ad Christum, Salvatorem nostrum omnium, qui pro omnibus satisfecit peccatis, etiam gravissimis, configuite & ad Deum convertimini. Ita futurum est, ut cœlum studiis vestris benedicat, & non solum hujus, verum etiam futuræ vitæ beatitudinem vobis, quod animitus precamur, olim impetrat Deus.

Conclusio Disputationis istius PRO LOCO.

ATQUE ita ad finem deducit hōc Actu Disputatoriō, ante omnia gratias ago immortales, & quas mente concipere possum maximas, DEO Ter Optimo Ter Maximo, quod non solum Disputationem hanc gratiā suā sospitārit, ut eandem & faustè auspiciari & feliciter consummāre licuerit; sed & quod in administranda antehac Professione Graecæ Lingvæ per octodecim annos me sospitem atque incolumem servārit, meisque laboribus ex alto benedixerit, & studiosa juventutis amorem mihi conciliaverit. Sit Nomiini ejus gloriosissimo propterea Laus Honor & Gloria in secula sempiterna: Cantabit lingva mea Dominum & celebrabit anima mea nomen ejus in aeternum. Assit mihi quoque porrò in nova hac Professione Logice atque Metaphysicæ, & labores omnes in Divini sui Nominis Gloriam, studiosæ juventutis commodum dirigat, quod pro intentione mea optima, optimè inservire Deo & proximo meo valeam. Dehinc gratias ago humillimas Augustissimo, Serenissimo atque Potentissimo REGI in Prussia, Domino nostro Clementissimo, Nutritio Munificentissimo, tum pro innumeris beneficiis per omne tempus Professionis pristinæ mihi exhibitis, tum pro Gratiosissima novæ hujus Professionis collatione. Divinum Numen Sacram Majestatem Regiam in omni prosperitate Regia ad seram usque canitiem sospitem & incolumem conservet, Ditiones Regni ejus, uti haec tenus multarum provinciarum accessione

one clementissimè auxit, ita porro indies reddat ampliores, ac Thronum ejus obfirmet ad finem usque mundi. Tribue DEUS Benignissime, REGI nostro Clementissimo ea omnia, quæ Davidi Regi tuo Electo olim pollicitus es. Loquere eidem ut huic, & dic: Inveni Davidem servum meum, oleo meō sanctō unxi eum. Manus mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. Nihil proficiet hostis adversus eum, & pravus non affliget eum. Conteram ante faciem ejus hostes ejus, & odientes illum conficiam. Et veritas mea & misericordia mea cum ipso erunt, & in nomine meo exaltabitur cornu Ejus. Ponam in mari manum Ejus, & in fluminibus dextram ejus. Ipse invocabit me dicens: Pater meus es Tu, DEUS meus & petra salutis meæ. Et ego primogenitum constituiam illum, celsissimum inter Reges terre. In aeternum servabo illi bonitatem meam, & fædus meum firmum ei permanebit. Efficiam ut perpetuum sit semen Ejus, & Thronus ejus sicut dies cali. Bonitatem meam non auferam ab Eo, nec fallam illi fidem meam. Non profanabo fædus meum, quodque egressum est de labiis meis, nunquam mutabo. Semel per sanctitatem meam juravi, handquam Davidem fefeller. Semen ejus in aeternum erit. Ibronus ejus coram me, ut Sol perfibatur, firmus ut Luna manebit, quæ certus est in aetere testis, Sela. Nihil horum, Sanctissime Deus, deficit Regi nostro Clementissimo, propter unigenitum tuum Filium, Dominum nostrum Jesum Christum. Non minus autem & Rectorem nostrum Magnificentissimum, Serenissimum atque Excelssissimum Principem ac Dominum, Dominum FRIDERICUM WILHELMUM, Regni Prussiae & Electoratus hæredem Clementissimum, sub umbra alarum Tuarum protege, & Gratia eum profere illa, quam Filio Davidis, Salomoni, pollicitus es: Erit Filius meus, & Ego ero Pater ejus. Faç, ut sit vir secundum cor Tuum, ut & ipse olim populum tuum regat in sanctitate & justitia. Sed gratias quoque humillimas persolvo Illustrissimis Dominis Regenibus pro commendatione meæ Tenuitatis Gratiissima apud Regiam Majestatem. DEUS O. M. quatuor hasce Regni hujus Columnas omnigena & corporis & animi prosperitate beet, consiliis ipsorum ex alto benedicat, eaque in totius Regni hujus incrementa dirigat, tristia omnia à Domibus ipsorum Illustribus aver-

runcet, ac omnes & singulos in seros annos sospites & incolumes servet. Debitas insuper, easque maximas ago gratias Magnifico Domino Pro-Rectori & Amplissimo Senatui, nec non Facultati Philosophicæ; huc, quod me amplissimo Senatui, illis, quod Illustribus Dominis Regentibus benevolè me commendare & Disputationem quoque hanc pro Loco suā præsentia honorificā condonare voluerint. DEum Triumnum humillimè veneror, velt eos omnes & singulos, in singulare incrementum Regiæ hujus Universitatis, in canam usque senectutem sospites & incolumes conservare. Sospitet labores omnes ipsorum & felicissimo successu beat. Vires & corporis & animi partim senio partim concatenatis laboribus fratres indies restauret, atque ea omnia largiatur iis, quæ ex voto omnium esse possunt. Amplius & reliquis Dominis Professoribus Excellentissimis, ut & Clarissimis Dominis Magistris, Dominis item Opponentibus, Nobilissimis, Clarissimis atque Præstantissimis, gratias ago habeoque decentes, tum pro præsentia honorifica, tum pro Oppositionibus doctis. Summus Rector Olympi & iis omnibus atque singulis gratiā suā adspiret, consiliis & laboribus benedicat, mala omnia avertat, ac omnem corporis, animique prosperitatē per multos annorum tractus constantissimè largiatur. Tandem Tibi quoq; Nobilissima atq; Florentissima Studiosa Juventutis Corona, gratias convenientes persolvo pro præsentia honorifica & attentione benevolā.. Certos vos omnes atque singulos esse volo amoris mei intensissimi, quo ductus lubenter inserviens Commodis vestris instar luminis consumi optabo. Deus Optimus Maximus Studia yestralaudabilia ulterius dirigat, sospitet, felicitet. Ad extremum, quod jam sub auspiciū Disputationis rogavi, communicata operā mecum contra novellorum Philosophorum insultus pugnate, & barbarie devictā felices triumphabitim. Fiat!

AP-

APPENDIX II.

Præfationes publicis Disputationibus antehac præmissæ.

PRÆRATIO I.

Ad Disp. I. de Contradictionibus Aristotelis apparentibus, que fuit PRO RECEPTIONE in Factualatem Philosophicam.

DE CAUSIS ODII ERGA PHILOSOPHIAM, INPRIMIS PERIPATETICAM.

Vod Plato, Philosopherum ille Deus, de Philosophia quondam dixit: *Nullum è majus aut melius donum hominibus elargitos esse Deos;* id non splendidiùs & magnificientiùs quàm verius dixisse eum extra omnem dubitationis aleam positum esse arbitramur. Enimvero ut singularem ejusdem dignitatem atque præstantiam silentii peplo obnubilemus, quis tantà doctrinæ abundantia iustructus, ut fructum ejus omnem perspicere, quis tantà dicendi facultate dotatus est, ut admirandam illius utilitatem in omne vita genus redundantem dignis laudum præconis decantare valeat. Videas homines effrenos, & in quævis scelestæ facinora effusos dominatrix animorum Philosophiâ ad bonam frugem redactos, omnem vitæ suæ rationem ad virtutis præscriptum attemperare. Videas inconstantes quoque, & in horas fermè mutabiles, perceptis Sapientiæ præceptis, brevissimò temporis spatiò, ad tantam animi fortitudinem atque constantiam assurgere, ut non modò prosperis fortunæ ab blandientis successibus minimè efferantur, sed & nullis acerbitatum calamitatumque procellis concutiantur. Videas etiam eos, quos jam ante virtutis studium rapit, tantò majorem illius amorem indies concipere, quantò diligenteriùs arcana Philosophiæ dogmata scruntur. Scilicet, quemadmodum ægris corporibus sanitatem Medicina affert, sanis vero firmam constitutionem conciliat & conservat,

servat: sic Philosophia & animorum ægritudinibus medetur, & iis
benè sese habentibus robur atque firmitudinem summam inducit.
Perspiciebat hæc omnia Arisippus, hinc interrogatus aliquando,
quid tandem eximium ex Philosophiâ reportarent homines: Ut, si
omnes, inquit, pessundatae fuerint leges, æquabilier & mitioni sanæ
conformiter vitam agamus. Diogenes vero Cynicus idem rogatus
hoc dedit responsum: Si nullam aliam, certè hanc Philosophiæ utili-
tatem prestat, ut ad omnem fortunam æquō animo ferendam prom-
pti simus. Tantam vim in dirigenda hominum voluntate atque
appetitu sustinet inclita rerum humanarum divinarumque cognitio,
sed multò majores in regendo intellectu vires eadem exercet. Cùm
enim tria sint studiorum genera, ad quæ ceu scopum suum liberali-
um artium cultores collineant, THEOLOGIA scilicet, JURIS-
PRUDENTIA & MEDICINA, in nulla harum quisquam dignè
unquam versatus est, aut adhucdum cum fructu versari potest, nisi
antea Philosophiæ cognitione imbutum habeat animum. Etenim
ad unamquamque dictarum Facultatum optimè addiscendam viam
certissimam & compendiosissimam Philosophia commonstrat: ita
ut non minus frustra quis sine ejus notitiâ quicquam in illis præ-
stare præsumat, quam si quis viam ignorans in regionem aliquam
se perverterum inaniter speret. Unde sit, ut multi, etiamsi omnem
eonaturam adhibeant; & posthabitâ aliarum rerum omnium curâ, in
consequenda vel Divini Numinis, vel Legum, vel etiam salubrium
notitiâ omne tempus consumant, nullam tamen exquisitam horum
cognitionem consequantur? Certè non aliunde, nisi, quod illotis,
ut ajunt, manibus graviora hæc studia palpârint, nec ante in ad-
discendâ Philosophia industriam suam collocârint. Hanc enim qui
penitus imbibere, unius fermè anni spatio ad supremum harum
disciplinarum fastigium ascendunt, in quod tamen ii, qui ejusdem
sunt ignari, per omnem ætatem suam enī non valent. Verume-
nimvero, utut tantum momenti ad faciendo in gravioribus studiis
laudabiles progressus Philosophia obtineat, nihilominus tamen non
nulli hominum ita exosi eam sunt, & tantis incessanter convicii, ut
pestem omnium honestarum artium eam esse dicîtent, & tantum
non Philosophos omnes sùa cum artificio suo urbe eliminandos, e-
jiciendos, expellendos, clamant. Hoc cùm non possit quemque
meliori

meliori indole dotatum in admirationem non trahere, hinc merito causas ejus aliquis quæsierit. Singulare utique propensione, & tacito quodam naturæ impetu in admirationem atque amorem Scientiarum omnes feruntur homines, uti Philosophus noster in primordio Metaphysicorum docet, quid ergo causæ subest, quod aliqui tam excellens Dei donum, Philosophiam, Scientiarum congeriem, plus quam Vatiniano odio persequeantur? Quid si rem accuratiū pensiculemus, IGNORANTIAM id efficere deprehendimus. Nulla quippe ars oso-rem habet, nisi IGNORANTEM, prout tritò, sed verissimò, proverbiò communiter dicitur. Qyanquam hoc non de simplici & omnimoda ignorantia acceptum velimus, per quam artes penitus ignorantur, sed de alia, quæ cum nonnulla eruditionis particula conjuncta sive commissa est. Que autem hæc est, dicat quispiam? Est, inquam, si vocabulis terminisque nostris uti licet, ignorantia pravæ dispositionis. Etenim quod simpliciter ignoratur, nec amari potest, nec odio haberi: uti namque ignoti nulla cupido est, sic quoque nullum ejus potest esse odium, cum quod unius contraria capax non est, neque alterius particeps esse possit, si decantata Dialecticorum regulæ fidem habemus. Ita qui prorsus nescit disciplinam aliquam esse, quæ naturam & motum Solis, Lunæ, reliquorumque astrorum expendat, is sancè hujusmodi disciplinam nec amat, nec aversabitur etiam. Contra verò sunt homines, qui ubi tenuem in literis facultatem consecuti sunt, omnes sapientiae fontes absorpsiæ sibi videntur, ni que superesse existimant, cuius non a curatissimam cognitionem imbibentur, atque sic inani inflatione dementiati, sibi ipsis exoptatum Sapientie aditum intercludunt. Ab his è vesperilionum prosapia scolis, qui doctis annumerari non possunt, in dōctis autem se accenseri non ferunt, ab his, inquam, si in flagranti inscitia deprehensi fuerint, odium oritur & contemptus Philosophiæ. Cum enim non tantum universam eam didicisse, sed & alios cum laude & fructu docere posse sibi videri velint, intermissò accusationi ejus studiò rerum quidem Scientiam aliquam, sed falsam falsisque principiis innitentem consequuntur, & sic in ignorantiam pravæ dispositionis prolabantur, qua si detegatur, aliisque manifestetur, in odium Philosophiæ convertuntur, & rem optimam, omnibusque expetendam aspernari non verecundantur. Sed hinc

D d

alii

alia huic affinis odii istius causa emergit, nimirum sui ipsius edax INVIDIA. Accidit namque, ut aliquis φίλαυτος quendam manuductorem conseqvatur, ab eoque male instituatur, nec veris genuinæ Philosophiaæ principiis imbuatur, proinde nihil ipsi præstet commodi Philosophia, in quaenque facultate superiori, quod dum ille videt, alterum autem melius informatum, & verâ ac genuinâ Philosophiâ eruditum felicissimè in re qualibet progredi adverit, ægrè fert vicem suam, & alteri invidet meliorem fortunam. Hinc ne & alii ipso adhuc inferiores eandem perfectionem indepti ipsum exsuperent, & multis post se parasangis relinquant, omnibus modis Philosophiam elevare conatur, eam ceu rem multi temporis nullius verò usus fugillat, sive apud homines illos adhuc rudiores in odium vocat præstabilissimam hanc & reliquis facultatibus plurimum inservientem cognitionem. Hi autem consilium istud amplexi, ubi multò tempore inutiliter in gravioribus studiis traducto nihil se præstare advertunt, inconsideratam quidem credulitatem suam damnant; at verò ne alii rem suam in majus & melius provehant, consultoris sui artificium capessunt, & simili ratione Philosophiam cavillantes, misellis hisce hominibus odium adversus rem sibi utilissimam ingenerant, quò concepto, ignorantia pœnam luke tandem coguntur. Amplius etiam Philosophiam, in primis eam, qua ab Aristotele nobis tradita est, odiosam hominibus & exosam reddunt, plurima SCOMMATA & IMPROBÆ CALUMNIAE in decantatissimum hunc Philosophorum Principem, è quibus principatum ducere merentur sequentes. Initio quod Aristoteles in optimum suum discipulum, & benefactorem Munificentissimum, Alexandrum Magnum, injuriis fuerit, dum venenum miscuerit Antipatro, qui scelerata imperii cupidine ielectus eō Alexandrum intererit. Hinc quod in libidinem effusissimus fuerit, & commissationibus luxurieque vitam transfigendò omnia bona sua abliguriverit, adeò ut pharmacopolium ingredi & servire coactus fuerit. Denique quod inclementeri fortunâ adactus ad Philosophica studia se converterit, omnia autem dogmata sua è veterum monumentis compilârit, & arrogantie plenò præ iis eminendi pruritus eorum dicta depravârit, veramque de rebus sententiam ex aliorum Libris haustam sibi vendicârit, & né olim scelestissima hæc fraudulentia innotesceret Orbi, omnes Veterum

rum libros concremarit. His, inquam, mendacibus & nullius fide digni authoris testimonio nixis, sed ex prava solum suspicione odioque enatis, & sanæ rationi prorsus absconis in optimum Philosophum calumniis, in quibus pessimi Aristotelo-Maestiges, Franciscus Patricius & Petrus Gassendus, male oleum & operam perdiderunt, plurimi à lectione Aristotelis abacti in odium Philosophia conceidunt. Quod ipsum odium tandem, ut alia brevitatis studiò omittamus, adjuvant & plurimæ, quæ sese in Aristotelicis Libris Lectori sedulò obverunt difficultates atque obscuritates, quarum præcipue sunt crebriores, apparentes tamen solum, contradictiones, quibus solutis, omnis tollitur ex Aristotele difficultas, omnis obscuritas. Has cum solvere Franciscus Patricius, Gassendus, aliquæ non varent, factum inde, ut mirum in modum Aristotelem exagitent, inque eum debacentur, quin omnes in eo sint, ut quosvis à studio Philosophia Peripateticæ absterritos ad Platonicam abducant. Hoc autem cum sine omni causa, & præter jus fasque omne cum irreparabili insuper studio Juventutis detimento ab ipsis hominibus fiat, quemadmodum etiam in Disputatione nostrâ significavimus, hinc postquam Divini Numinis gratiâ publicam docendi facultatem ab Amplissima Facultate Philosophica consecutus sum, in id cogitationes meas omnes defixi, quæ ipsis malo occurrerem, & pro ingenii mei modulo, meliora cuiilibet meliori praestanda relinqvens, hac in parte indefessos Aristotelicæ Philosophiae Studioſos adjuvarem. Qvô fine etiam primam jam, favente Divinâ gratiâ, cù de re Disputationem edidi. Cujus veritatem, cùm hodiè manifestorem probabili ventilatione reddere labore, ut præximæ doctissimæque vestræ Præstantiæ mihi, ceterisque, quibus ejusdem operis mecum intercedit communio, vacivas aures, benevolos præbere animos dignemini, officiosissimè rogo.

PRÆFATIO II.

Ad Disp. II. de Contradic̄t. Sc.

DE PHILOSOPHIÆ ARISTOTELICÆ PRÆ ALIIS PRÆSTANTIA.

D d 2

Equi-

Evidem superciliosè nonnulli de hoc nostro judicabunt proposito, & forsitan amore cœdō, quin superstitione quādam stimulari nos alleverabunt, ut Aristotelem, hominem gentilem, malè apud plerosque audientem, tantō conamine iteratis vicibus defendere satagamus, cūm potius nos deceret Scholasticorum vel Ramistarum, utpote qui Philosophi Christiani existunt, amplecti sectam, corundemque Philosophiam propagando, Christianam juvare Ecclesiam. Verumenimverò, qvemadmodum optimè exploratum habemus, eos omnes, qui ita nobis insultant, odio & affectibus aliis pessimi exccatos ad veritatem instar vespertilionum caligare, ita intrepidi assertimus, nullam esse vel meliorē, vel Christianæ Ecclesiæ utiliorem Philosophorum sectam, quām eam, quæ dicitur Peripatetica, sive Aristotelica, & insuper è re cuiusvis, dignè quidpiam vel in Theologiâ, vel alia Facultate superiori præstituri esse, ut neglebat Ramō, posthabitis Scholasticis, Philosophiæ Peripateticæ se dedit, & Aristotelem laudatissimum illius sectæ Principem in Ducem sibi eligat, ejusque ductum constanti animo seqvatur. Qvod ne prætoriâ quādam autoritate dixisse videamur, operæ pretium ducimus altiori indagine rem hanc vestigare. Ac, ut hinc ordianur, Philosophia absolute & in sua natura considerata non nisi una est, cujus ratio & forma in cognitione causæ consistit: est enim nihil aliud in generaliori suo significatu, quomodo eam h. l. accipimus, quām Scientia, hæc autem est *cognitio rei per causam*, uti definitur ab Aristotele Lib. I. Post. cap. 2. Lib. I. Phys. cap. 1. Lib. II. cap. 3. & alibi passim. Ast quatenus *Xenon* consideratur, habitō respectu ad eos, qui eadem instructi furerunt, aut saltem tales existimati sunt, non una, sed varia est, variisque pro varietate hominum istorum appellations sortita est. Unde alia dicitur Philosophia IONICA, cui originem dedit Thales Milesius in Ionia natus, juxta Laërt, in vita ejus; alia Philosophia ITALICA, quam condidit Pythagoras Samius, qui Crotonem in Italiam deveniens leges Italos dedit, teste Cicerone Lib. IV. Tuscul. Qq. alia Philosophia ACADEMICA, à Platone Academiarum Principe est exorta, quia philosophari solitus est in Academia, nemore quādam Athenarum suburbanò, quod ab Heroë Academo nomen accepérat; alia rursus CYNICA, cujus Autor fuit Antisthenes.

nes Atheniensis, qui cùm esset in Pyræo, quotidie 40 metebatur stadia, ut Socratem audiret, teste Laërtiò in vita ejus; alia vicissim STOICA, è Zenone Cittico, Cratetis Academicī discipulo exorta, quæ fatum asseruit, omnia delicta paria existimavit. Præter has, quæ hodienum vix amplius, aut certè exiguo defensorum numerū superstites sunt, tres aliae dantur multò celebriores, PERIPATETICA nempe, ab Aristotele ejus Principe, qui περιπατῶν seu obambulando docere solitus est, sic appellata, teste Laërtiò Lib. V. in Aristotele, Cicerone Lib. I. Acad. Qq. num. 15. aliisque. Item SCHOLASTICA, cuius Princeps est Lombardus, qui propterea etiam sententiarum & Scholasticorum Magister appellari sivevit. Et denique RAMÆA, à Ramo nomen fortita, qui fuit homo arrogans & magna persuasione, licet exiguae eruditio. His addi potest CARTHESIANA, à Renato des Cartes exorta, qui Scepticorum somnia ex orco revocavit, quin deteriora iis commentus est; Verùm hæc & similes forte aliae (quisque enim stultus fermè novam hodiè Philosophiam ludere conatur) non sunt tanti, ut in considerationem à nobis revocentur. Proinde sufficit priùs commemoratas Philosophorum sectas ad invicem comparare, ut asserti nostri veritas dissipescatur. Ac equidem, quod veteres illas, Ionicam, Italicam, cæterasque concernit, non est, cur multum laboremus in iis. Nam I. Scripta pleraque tum eorum, qui sectarum istarum fruere Principes, tum etiam præcipuorum Sectatorum, interierunt. II. Obsoleta sunt prorsus eorum dogmata, quæ fermè nullus, aut vix ac ne vix aliquis etiamnum hodiè defendenda suscipit. Veluti est doctrina Democriti de Atomis rerum omnium principiis; Anaxagoræ opinio de infinitis particulis similaribus, quarum segregatione & congregatione generationes & corruptiones rerum fieri statuit; sententia item Pythagoræorum de mysteriis numerorum, Platonis de ideis, animâ universi, & ejusmodi alia dogmata plura. III. Ab Aristotele si non omnia, potissima tamen examinata jam & discussa sunt, quemadmodum ex inspectione omnium ejus librorum cuilibet ad o ulum patescere potest. Ita enim Lib. I. Eth. cap. V. Platonis sententiam de S. Bono in contemplatione idealium boni consistente, accuratissimè, ex propriâ etiam Platonis hypothesi refutat. Lib. I. de Gen. & Corr. cap. 1. sententiam Anaxagoræ, generatio-

nes & corruptiones rerum alterationes esse dicentes, ex proprio aserto & hypothesi refellit. Lib. I. Phys. cap. 2. 3. & seqq. sententias Parmenidis & Melissi unum rerum naturalium principium assentientium, aliorumque plura, sed non vera statuentium, solidissime evertit, adeo ut ipsimet eorum Libros, siquidem omnes extarent, multò labore evolvere & perlegere opus non haberemus. IV. Ea, quæ bene docuerunt, partim Aristoteles rursus in libris suis expressit & assumptis, quemadmodum non solum ex omnibus ferme ejus libris perspicere licet, sed ipse quoque præcipit, tūm alibi, tūm verò Lib. I. de Anima c. 2. t. 19., ideo adserendas aliorum opiniones esse docens, ut ea, quæ bene sunt dicta, accipiamus, ab his autem caveamus, quæ non bene relèque dicta sunt; partim ex ipsorum Scriptis, quæ adhuc temporis injuria fecit reliqua, peti possunt, ita tamen, ut multum temporis in iis consumi opus non existat. Unde non rejicimus Scripta Scepticorum, eorumque asseclarum, qui aliquis fuere conditionis, ut Sexti Empirici, aliorumque, multò minus Platonis & Platonicorum, Plotini, Maximi Tyrii & similium, quoniam multa egregia in horum libris continentur; sed hoc solum negamus, non esse eorum opiniones amplectendas, neque iis eeu Ducibus utendum, quibus firmiter insistamus, quorumque vestigia intrepidè legamus. Nam illi quidem aliquid etiam in Philosophia præstiteré, ast valde adhuc hallucinati sunt; Aristoteles contrà omnia rectius & accuratiùs expendit & longè melius philosophatus est. Præposteriorum autem foret, ab illis Philosophiam discere velle, qui prima Philosophiæ linea menta adumbrarunt, & non potius ab eo, qui ad majorem longè perfectionem eandem deduxit. Perinde hoc fuerit, atque si, cum rectè logvi possis, balbutire malis cum Empedocle, Lib. I. Metaph. cap. 4. sive cum artem piætoriam ab Apelle aut alio artifice perfecto percipere possis, eam potius discere volueris à primis piætoribus, qui adscribere nomina imaginibus cogebantur, ut quid pinxit, intelligeretur, referente Aristotele Lib. VI. Top. cap. 2. Veteres itaque illi Philosophi Peripateticae Sæcæ palmam ambiguam minime faciunt. Sed verò nec cæteræ recentiores, Scholastica nempe & Ramæa id possunt, quemadmodum non unâ confirmabimus ratione. Initio scilicet, qui Philosophiam sive Scientiam (hæc duo enim haecenus coincidunt) addiscere

addiscere querit, is non qualetur inquit rerum notitiam desiderat, sed accuratam & exquisitissimam, quia animus ejus convincatur & intellectus ita confirmetur, ut non posse rem aliter se habere persuasum habeat. Inde enim nos scire rem aliquam propriè & accurate dicit Aristoteles, *Si causam cognoscamus, propter quam res est, quod sit ejus causa, & quod aliter se habere non possit*, Lib. I. Post. cap. 2. §. 1. Et Lib. VI. Eth. cap. 3. declaratur, quid Scientia sit: *Ac Scientia quidem, inquit, quid sit, ex hoc perspicuum esse potest, si scilicet rei veritatem subtiliter exquinamus, non autem similitudines consettemur: omnes enim existimamus, evenire non posse, ut aliter se id, quod scimus, habeat.* Qyibus similia passim apud eundem Philosophum deprehenduntur. Ast hujusmodi cognitionem rerum, in quantum nempe ex natura cognitæ sunt, non melius, quam ex Aristotele haurire possumus. Hic enim non solum optimò omnia ordine & concinnâ prorsus methodo tradit; verum etiam solidissimis rationibus & demonstrationibus confirmat, quemadmodum cuilibet consideratè & cum iudicio scripta ejus legenti non potest esse obscurum. Contrà verò nihil horum à Scholasticis & Ramais, Christianis illis Philosophis, sperare quisquam potest. Scholastici enim, præterquam quod methodum rationi sanæ consonam non obseruent, licet multa in Aristotelem vera methodi artificem commen-tentur, Peripateticorumque nomine sese ostentent, in hoc insuper inepti sunt, quod nihil fermè rationibus, nedum demonstrationibus confirmant, sed meritis distinctionibus inutilibus & infrugiferis rem omnem confidere laborent, quas tamen, si didiceris, duplo stulti-
tior eris, quam ante, cum eas ignorares. Et de his verum est illud Ramæorum (quò dicunt) *Aristoteles consutus esse ex meritis inanibus distinctionibus*: De veris enim Aristoteleis, sive iis, qui verè & rectè Aristotelem sectantur, id falsissimum est; De Scholasticis verò, sive iis, qui Peripateticorum & Aristotelicorum nomine falsò se muniunt, ambabus id largimur manibus. Non aliter verò & cum Ramæis res comparata est. Hi adeò novorum opifices sunt vocabulorum, ut propter aliquam novitatis ostentationem, quæ ha-
bent vocabula, non usurpent, enunciationem appellantes axioma, individuum speciem, & sic conseqventer. Methodus quoque eorum nulla est, mutila, manca & truncata; Omnes enim disputatio-

nes

nes meritis definitionibus & dichotomis absolvit & consignari præcipiant. Quam in rem ipsum Rudolphum Snellium, Ramæorum facilem Principem adducere possumus, qui ipse hanc Scholæ suæ hypothesin, hoc tam decantatum, tam à multis studiofissime usurpatum, in confirmandis disciplinis principium retrahet, his verbis: *In articulis & doctrinis suis habent nudum sine carne, sine corpore, Skeleton, ideas umbratiles, sive umbras sine carne & nervis, adiutoria ut ideales non reales sint. Res ipsas earumq; naturas, proprietates, differentias & convenientias non prosequuntur & explanant. Non habent nisi meras definitiones & distributiones. Habent meras & obscuras dichotomias, divisiones & subdivisiones, que ratio perperuò dividendi & subdividendi sine intermeditis illustrationibus & proprietatum ac differentiarum, aliarumq; rerum & circumstantiarum explicationibus odiosissima est.* Tom. I. Syntagm. Philosophici, quod anno 1596. Francofurt. editum est, in quo multa de Aristotele & Ramea Philosophiae differentiis tradit. Ulterius neque causas rerum vestigant, indeque demonstrationes conficiunt, sed, sicubi forte ratiunculam quandam adferunt, illa non causam rei continet, sed ex simili tantum concludit, & ineptâ similitudine imperitoribus imponit: possemus hoc plurimorum tum Scholasticorum, tum Ramæorum exemplis probare, verum, quia res tanti momenti non est, hinc unum saltem alterumve ex Gassendo, acerrimo Aristotelis oppugnatore, Rami autem Sectatore, (præfert enim hunc Aristoteli, & ex eodem perfectionem se consecutum esse dicit in præfatione exercit. Paradox,) adferemus. Nimirum probaturus ille contra Aristotelem, non dari Scientiam, hâc utitur ratione: Si plures in solitudine aliquâ vagentur siti flagrantes ferventissimâ, unus autem aliquis accedit, & fontem aliquem manifestet, illicò velocissimè ad eundem accurrit, & ostensâ fontis aquâ utuntur. Quodsi igitur daretur Scientia, sive ullus existeret homo, qui accuratam alicuius rei scientiam manifestaret, omnes illicò ad eundem concurrerent homines, ejusque placitis & opinionibus acquisicerent, non secus atque illi homines sitiens, quia omnes homines scire desiderant, Lib. I. Metaph. c. 1. Ast hoc nunquam factum est, neque adhuc dum sit, sed plures fuere & adhuc sunt Sectæ, qvarum unaquaque suos habet adstipulatores inter se dissidentes. Ergo non datur Scientia.

entia. Verum quilibet, vel Tyro Philosophiae statim videt, istum hominem ex simili concludere, quod tamen vim probandi aliquid minimè obtinet: *Omne enim simile claudicat: juxta commune proverbium: Et omne simile est quoque dissimile.* Nequit hanc in resistis comparari cum desiderio sciendi, neque aqua fontis cum Scientia. Nam I. Sitis aquæ sufficit hominibus istis in solitudine constitutis ad id, ut aquam ostensam hauriant, nullaque dispositione & præparatione ad id indigent, hinc simulac ea ostenditur, statim ad eandem omnes concurrunt; ast secus se res habet cum desiderio sciendi & scientiâ: Omnes quidem homines desiderio sciendi tenentur, ast non omnes sunt ad scientiam, quæ ostenditur, recipiendam idonei, vel virtu quodam naturæ, ut in servis naturâ, & consimilibus stupidis hominibus contingit, vel pravae consuetudinis & malitiæ, indeque sit, ut, licet aliquibus ostendatur verum, illud tamen non amplectantur, sed se ipsos Scientiâ rei fraudentur, contra vero falsa artipient, eò, quod depravatae eorum phantasæ magis congruant. Non secus atque febricitans, non, quem Medicus præscribit potum, salubrem judicat, sed eum, ad quem prava corporis & appetitus ejus dispositio eundem adigit; aut is, qui suffusione oculorum laborat, non id, quod alter recte videns, album judicat, sed quod oculus ejus male se habens & infirmitate laborans album ipse esse dictitat. Proinde inter hæc duo nulla, quantum ad hoc, similitudo intercedit atque proportio. Id quod II. etiam inde patescere potest. Sitis in hominibus istis ad loca deserta delatis ita se habet, ut si tandem non leniatur, eos enecet, re amabilissimâ, vitâ nempe, privans, & hinc tam concordes ad unam aliquam aquam ostensam configunt, camque, qualiscunque tandem sit, hauriunt, quoniam vivens nihil magis, quam mortem abhorret; contra sciendi desiderium, et si non expleatur, vitâ tamen hominem per le non privat, sed solum ægritudine quâdam & molestiâ afficit. Imò ne hoc quidem, quoniam multi, quin plurimi, aliis in rebus oculati sciendi desiderio suppresso ad scientiam non contendunt. Et hanc de causâ sit, ut non statim omnes ad unum quendam veritatem manifestantem, concurrant, ejusque placitis assensum præbeant, sed aliqui prorsus negligant. Quanquam III. & in ipso illo simili, quô destruere Scientiam Gassendus nititur, &

omnium concordem appetitum prætexit, diversitatem quandam ostendere liceat. Nam postea, quod in istam solitudinem, in qua vagantur sibiundi homines, duo veniant, quorum alter fontem aquæ ostendat, alter verò aliquot lagenas vinô & cerevisiâ repletas, tum certè non omnes ad fontem aquæ confugient, etiam si omnes sitiant, sed aliqui ad aquam, aliqui ad cerevisiam vel vinum. Quid mirum igitur, si non omnes homines uni cuidam homini assentiant, cum aliis vinum, aliis aquam, id est, aliis verum, aliis falsum veri specie adumbratum hominibus proponat. Sed satis hâc de re. Similiter idem Gassendus probaturus, sensus esse fallaces, ita procedit: Si, inquit, inspicias Solem, ejus fulgore oculus tuus mutabitur, ut rem viridem videoes, quam alter videret album. Jam autem in quorundam animalium oculis fulgor aliquis existit, Ergo illa aliter rem videbunt, quam alia, que fulgore isto non sunt praedita. Quodsi hoc, ergo nulla est sensuum certitudo, quoniam, quod homo, aliudve animal fulgorem in oculis non habens judicat album, alia iudicabunt viride, vel contraria. Cui autem adhibenda erit fides? Verum rursus hic similitudinis fucò Gassendus rudioribus imponit. Nequit enim fulgor ille Solis cum fulgore in oculis animalium quorundam in hoc comparari, quia ille est extrinsecus & accidentalis oculo Solem aspicienti, hic verò est naturalis, à natura quorundam animalium oculis congenitus. Ast rei naturali & accidentalì non idem adscribi potest effectus, id quod hòc exemplò declarare possumus. Qui aspicit vitrum rubrum, perque illud rem aliam conspicatur, is rubram eam videt, etiam si rubra non sit; ast qui rubicundos habet à naturâ oculos, utut eadē qualitate & colore cum priore gaudeat, rem istam non videbit rubram. Qvæ causa? Uisque quia ille color est extrinsecus & accidentalis, hic verò congenitus & intrinsecus. Parì ratione se res habet cum simili istò, quòd uititur Gassendus, ut alia taceamus. Patet itaque vel ex hac ratione, quod tum Scholasticis, tum Ramæis optimò jure preferatur Aristoteles. Deinde verò idem & hinc ostendi potest, quod in nulla Philosophia, siquidem diligentius singularum placita excutiantur, minus absurditatum inveniatur, nec ulla magis cum Christiana doctrina atque Scriptura sacra consentiat, quam Peripatetica, cuius princeps est Aristoteles. Si quid egregium dixerunt Platonici & Stoici, non tam

tam ex naturali id notitia habuerunt, quam ex traditione, de suo multa addentes absurdia, & cum rectae rationis judicio pugnantia. Contrà Aristoteles intra terminos naturae & luminis naturalis se continentis, nihil in Philosophiam humanam admittendum censuit, quod probari humanis rationibus non posset, unde & multos hæreticos Philosophia Platonica & Stoica peperit, nullos verò progenuit Peripatetica. Amplius sententiæ nostræ robur etiam addit, quod ipsi Scholastici Aristotelem Ducem suum agnoscant, inque eum multos scripserint, eosq; prolixissimos commentarios; quod facile quis experietur, qui Fonsecam, Toletum, Antonium Kuvio Rodensem & alios plures evolverit. Neque tantum Scholastici, sed ipse quoque Ramus doctrinam suam Aristotelis nomine insigniore reddere laborat, sequè hoc vel illud juxta methodum Aristotelis docuisse, eamque defendere ait. Exemplo esse potest vel unus ille locus, qui Lib. II. Schol. Dial. cap. X. apud eundem occurrit, initio statim, ubi sic loquitur: *Verum enim verò cum tam diligenter & accuratè duo prima artis Logice principia definitionem & partitionem pro Aristotelis gloriâ defendo, non iſi Interpretes apud omnes Scholas autoritatis & fame diligentiam & accurationem nostram deridebunt, dicent magnifica definitionis & partitionis principia ab Aristotele consultò prætermissa esse, Philosophumque de industria esse obscurum; ubi doctrinam suam Aristotelis doctrinæ consonam esse jaēat, ut ut nihil minus, quam hoc eidem tribuere queat.* Quid si autem hoc, si tam Scholastici quam Rami Aristotelis autoritate se muniant, stolidè utique is facit, qui neglegit ipso fonte limpidissimè ad cisternas & rivulos aliis vanis opinionibus turbatos sese convertit, cum dulcius ex ipso fonte bibantur aquæ, ut tritum sed veritati quam maximè consonum habet adagium. Denique insigne quoque nobis fulcimentum suppeditat hoc, quod Aristoteles in omnium Christianorum Scholis communī suffragio receptus sit & laudabiliter constitutum, ne altetius, quam Aristotelis Philosophia doceretur. Cum enim B. Lutherus opus reformationis feliciter perageret, & istam sterilem philosophandi rationem, ac Sorbonistarum contentiones rep̄ ehenderet, prudentiores facti nonnulli inter ipsos Pontificios, de integrè philosophandi rationem inferunt, & Aristotelem ipsum cum Græcis aliis Scriptoribus ad manus sumpserunt.

Ec 2

Statim

Statim quoque Professores Aristotelis & Græcorum seorsim consti-
tuti sunt, præsertim in Italia, succidente tamen tempore & in aliis
Academias Christianorum certis legibus & statutis Aristoteles doce-
ri iuslîs est. Ita enim in Academia Julia statuto quodam Aristote-
lem docere universis & singulis Philosophia Professoribus injungi-
tur his verbis: *Volumus Aristotelicum Lectorem ex fontibus Aristo-
telis Græci non solum Philosophiam seu integrum naturæ historiam, &
de vita ac moribus ad Nicomachum libros proponere, verum etiam
Logicum organum ad verbum interpretari.* Neque tantum Aristote-
les in haac Academiam receptus, sed & Rami Philosophia in spe-
cie, postquam ibidem esset exorta, profigata est, publico Illustrissimi
Principis Henrici Juli anno 1579. publicato, ejusque statutis in-
ferto decreto his verbis: *Intellexit Reverendissimus & Illustrissimus
Princeps, Dominus noster Clementissimus, in hac Academiam quodam
doctrine genu, quod Philosophiam Ramificam vocant, sine i-
psius Celsitudinis autoritate à nonnullis introduxit: hoc quia cum
Academia hujus statutis, que Philippum & ARISTOTELEM hic do-
ceri volunt, pugnat, ejus Celsitudo non probat; sed hujus Schole
studiosos in Philosophia ex Philippo, ARISTOTELE, Euclide, Ptole-
mao, Cictrone retineri, & diligenter exerceri severè jubet.* Parau-
tem ratione & nostræ Academias statutis Aristoteles doceri jubetur,
& quidem iteratis vicibus. Sic in Statutis Academæ Regiomontanæ
cap. III. de doctrina temporibus & ordine §. 8. hæc habentur ver-
ba: *At verò singulis diebus, quibus publicè docetur, hom VI. mand,
que ad Dialecticam pertinent, proponentur. Ut sunt D. Philippi Ero-
temata, Rudolphi Agricole de inventione Libri, & Organon ARI-
STOTELIS. Et rursus eodem cap. §. 15. Physicus ARISTOTELIS
de auscultatione Physica ejusdemq; alios naturales Libros interpreta-
bitur. In Statutis quoque Facultatis Philosophicae cap. I. de nu-
mero Collegarum dicitur: *Lector Physices sit, qui Philippi & ARI-
STOTELIS Physica & secundum Pliniy explicet. Et rursus; Quinto
Lector Dialecticas sit, qui interdum Philippi Erotemata, interdum
Rudolphi Dialecticam proponat, interdum misceat ORGANON ARI-
STOTELIS. Simile quid & in statutis Academæ Tübingeris &
Wittebergensis demandatum: factâ enim collatione privilegiorum
utriusque hujus Academæ, statutorum Academæ Regiomontanae**

COR

corpus collectum est, ut dicitur in procēm. Statut. Fac. Philos. Imō idem in aliarum quoque Academicarum statutis contineri, facili negotio ostendi posset, siquidem id temporis pateretur angustia. Verū ex his jam satis manifestum cuilibet esse existimo, eum, qui Scholasticorum & Ramæorum libellos Aristotelicis prefert Scriptis, & Philosophiam Ramæam aut Scholasticam propugnare laborat, non solum rem meliorem & judicio gravissimorum virorum præstantiorem, sed & statutis atque decretis prudentissimorum Principum atque Electorum determinatam deteriori postponere. Ratum igitur esto Aristotelem ab omnibus veræ Philosophiæ Studiosis ducem optimò consilii eligi, & contra omnium ineptissimas cavillationes honestissimò proposito à nobis defendi. Cujus rei gratiā, cùm hodiernā quoque luce actum quendam disputatorium institerimus, ea, quæ in Disputatione nostra proposita sunt, ab objectionibus, quæ adduci possunt, vindicatuī, eorundemque veritatem eò magis declaratū, ut Nobilissimi Domini Auditores mihi ceterisque, quibus operis hujus mecum intercedit communio, exigui temporis audentiam indulgent, officiosè rogantur. &c. &c.

PRÆFATIO III.

Ad Disp. III. de Contrad. Ec.

AN ARISTOTELES TANTUM OPINATOR FUERIT, DISQVIRENS?

Esse nonnullos, qui cœcō odii imperu, quō in Aristotelem feruntur, eò delabantur, ut non modō vitam ejus, sed doctrinam quoque & eruditionem conviciis proscindant, eumque non virum aliquem sapientem, multò minus Sapientiæ exemplar quoddam, sed opinatorem saltem fuisse dicant, qui opiniones varias compilārit, & aliorum inventis superbierit, qui etiam à propriis methodi præscriptis longissimè recedat, secus atque virum sapientem decet, facile concedet, qui Ramæos, similisque farinæ Philosophastros convenerit, eorumque scripta vel fugitivō saltem oculo percurserit. Hinc enim modō *Aristotelem imprudenter*,

sem, & aliud agentem, modò animo dormitantem se ipsum confusare, modò infinità à naturali humanae rationis usu abhorrentia collegisse, modo ut Eubulidæum aliquem inter Sophistas veteres loqui, modò ipsum docere, se Doctorem imperitum & ignorarum sue doctrine esse, clamant, modò alias in ipsum columnas jaculantur. Verum & ab his facile vindicare Aristotelem poterimus, & ostendere, eum non opinatorem, sed scientificum Doctorem & virum verè sapientem exitisse, si ad munia viri sapientis & scientifici Doctoris attenderimus. Et quidem initio viri Sapientis est, omnia ordine proponere, atque è contrario Sophistæ, fucati illi Sapientes, omnia confusè & conturbatò ordine exequuntur, quemadmodum ipse Aristoteles Lib. Soph. El. cap. XV. §. 5. docet, unde & Sosipater apud Athenæum Lib. IX. Diphosoph. c. 6. benè ait;

Nam rectè ordinandi peritia

Iibid. & in arte quævis vera est Sapientia.

Aristotelem autem ordinata omnia sua dogmata & omnes disciplinas tradidisse extra omne dubium est, & facili negotio cuiolibet intoscere potest, si singulatim scientias ab eo nobis præscriptas percurrat: pulcherrimam enim & prouersus concinnam methodum in disponendis tradendisque singulis singularum disciplinarum partibus observavit, adeò, ut qui penitus eam ponderat atque penetrat, facteri cogatur, divinam quandam ingenii acimoniam judicique sublimitatem inde promicare. Hanc per omnes Scientiarum species, quas nobis confignavit, transeundo, ostendere nimis longum foret, quapropter saltem generalia quædam de ordine isto majoris perspicuitatis gratiâ in medium proferemus. Scilicet in Scientiis speu-
lativis, cum primarium sit, & quò reliqua omnia in his tendunt, objectum sive genus *τονείρεον*, hinc ante omnia illius rationem illustrat, eoque fine aut definitionem ejus statim ponit, siquidem manifesta eadem sit, aut, si difficultior & obscurior sit, eam investigat secundum methodum Lib. II. Post. cap. 13. præscriptam, atque in partes resolvit, earumque singulas accuratè pertractat. Hinc considerat per inductionem, quænam objecto illi insint universaliter & per se in secundo modo, eorumque singulorum definitiones similiter indagat, ut per illas de objecto ipso tanquam primo universaliter ita demonstret. Eò factò objectum illud vel ex definitione,
vel

vel ex communi hominum sententia & experientia, prout occasio fert, in species dividit, eademque ratione, quā genus ipsum, singulas pertractat. Denique cūm Scientiis omnibus commune sit, ut in iisdem de utroque oppositorum agatur, licet non eodem semper modō, utrumque horum & ipse considerat, nisi forte ratio alterius oppositi ex ratione alterius adeò manifesta sit & evidens, ut illustrare eam necesse non sit, in dō superflium potius & supervacuum. Conjugatorum quoque, cūm eadem sit scientia, singula, si opus fuerit, expendit, nunc ipsam formam, nunc ea, quæ a forma deducuntur, præponens, aliquando autem unum solum ex illis considerat, quod cetera, eō probè intellectu, facile ex illo deducantur & intelligantur. Quod autem Præticas & Effectivas Scientias attinet, cūm in iis primarium sit finis, hinc ante omnia de eo agit, ejusq; notionem aut supponit, si satis nota sit, veluti in Dialecticæ, I. Top. XIV. §. 1. quia neminem latet, quid sit opinio, & quomodo à scientiā distingvatur; aut si non satis obvia sit, investigat, & secundum singulas partes resolutione facta declarat, ut nihil remaneat, quod aut dubium sit, aut obscuritatem aliquam contineat: hinc porrò ad considerationem materiæ, cui id, quod finis rationem habet, induci debet, progreditur, eam in partes didicit, si quas habet, & spejatim circa unamquamque ostendit, quibus mediis sit opus, ut finis praefixus obtineri possit, item quæ impedian, quod minus ille aliquando ex voto obtineatur, & quomodo impedimenta seu obstacula illa sint removenda, idque ex propriis principiis præstat. Quidsi ulterius unum aliquid ex illis, in quæ materia dividitur, principatum inter cetera obtineat, ita, ut finis περὶ τὸν κύριον capax sit, exqviste considerat illud, reliqua autem juxta illa mensurat: quod quid enim prius ad illud accedit, eō magis finis particeps erit. Qui sane pulcherrimus est ordo, quod melior dari non potest. DEINDE verò munus quoque sapientis est, veram de rebus sententiam perspectam habere, & falsam refellere posse, ut rursus ipse docet Aristoteles Lib. Soph. El. c. 1. §. 6. dum ait: *Est autem -- officium in quaque re Scientiæ, nec falli ipsum in iis, que novit, & posse aliud, qui fallitur, manifestare, quorum alterum in rationis reddenda, alterum in sumenda facultate positum est. Non enim perfectè & sufficienter rem aliquam cognovit; qui solam sententiam*

tentiam veram animo imbibit, sed qui simul falsi causam novit, id que refutare potis existit, monente eodem hoc Philosopho Lib. VII. Eth. cap. 15. his verbis: *Non solum verum dicere oportet, sed & causa, cur falsa pro veris habeantur, aperienda est.* Hoc enim ad fidem faciendam valet: nam cum probabilis ratio visa fuerit, quam obrem visum aliquid sit verum, quod verum non est, tunc magis adducimur, ut vero fidem habeamus. Jam vero & haec duo in Aristotele reprehendere quilibet potest, dummodo animi sui cogitationes in res ipsas penitus desigat. Nam & insigni robore errores aliorum opiniones refellit, & propriam sententiam validissime atque subtilissime in quæstionibus etiam maximè intricatis confirmat, adeò, ut propterea Simplicius Proleg. in Categ. demonstrationibus ejus eam inesse persuadendi vim dicat, que necessariò cogat, ut, si quis non assentiat illi propter opinionem aliquam non satis felicem & idoneam, que animum ejus preoccupaverit, cogatur tamen obmutescere, nec biscere audeat. Imò vero non tantum in omnibus scientiis, quas nobis tradidit, methodo scientifica usus est, & tantà æquibetia, tantaque per lavendendi facultate res omnes tractavit, ut cuiuslibet ipsum recte consideratèque legentis animus ad assensum cogatur, sed insuper & ipsam hanc accuratam atque scientificam res tractandi methodum scientifica methodo docuit in Analyticis tantò artificid, ut nemo unquam præstisset felicius, eoque omnibus vetustioribus anteivit, quemadmodum non solum ex præcedentibus jam patet, sed & in Disp. nost. I. de Contradic. Arist. §. 5. pluribus diductum est. Hinc TERTIO factum est, ut à præstantissimis quibusque, & communis consensu doctissimis viris non solum pro Sapiente, sed & sapientia, humanæ scilicet, exemplarū quoddam haberetur, uti prolixè & multis testimoniois in citata Disputat. eodem §. ostendimus, quibus pauca adhuc majoris roboris ergo hic addimus. Scilicet Author Librorum de inventione ad Herennium apud Ciceronem Lib. I. Veteres quidem, inquit, Scriptores artis usque à Principe illo atque inventore Tysia repetitos unum in locum conduxit Aristoteles: & nominatim cuiusque præcepta magnâ conquista curâ perspicue conscripsit, atque enodata diligenter exposuit: ac tantum inventoriis ipsiis suavitate ac brevitate discendi præstittit, ut nemo illorum præcepta ex ipsorum libris cognoscat.

cognoscat, sed omnes, qui quod illi præcipiant, velint intelligere, ad hunc quasi ad quendam multo commodiorem explicatorem revertantur. Atque hinc quidem ipse, ac sese ipsum nobis, & eos, qui ante se fuerunt, in medio posuit, ut ceteros & seipsum per se cognoscemus. Ubi diserte omnibus aliis Scriptoribus Aristotelem præfert. Et Quintilianus Lib. III. Instit. Orat. cap. 4. Nec dubiè, inquit, prope omnes utique summae apud antiquos autoritatis Scriptores, Aristotelem secuti, qui nomine tantum alio concionalem pro deliberativa appellerat. Author quoque vita Aristotelis, quæ sub nomine Plutarchi circumfertur: Designant alii, inquit, ex infantia sua Aristotelis facundiam metiri. In Aristotele perfecta sunt omnia. Id quod tamen cum grano falso accipendum est, neque ultra fines intellectus humani & cognitionis naturalis extendendum. Quid ipse Franciscus Patricius, acerrimus Aristotelo-mastix famam hanc & gloriam Aristoteli concedit. Inde Tomo I. Disc. Perip. Lib. I. p. 12. postquam multa à veritate prorsus aliena in dedecus Aristotelis dixisset, hunc ipsi sermonem veritas extorquet: Acurissimi ingenii vir fuit (Aristoteles) & in studiis φιλοσοφίας laboriosissimus: cuius rei testimonium est id, quod Diogenes recitat, eum sonitu anæa pilo in pelvim dum dormiret lapsa, excitari solitum, ut studiis ante lucem incumberet. Omnes antiquorum Libros evolvit, ipse quoque ἐνεργητατος inventionis maxima αἰτιολογικάτατος, & in reddendis rerum causis maximus. Qua major, quæso, esse potest commendatio, quam quæ Aristoteli ab hoc oppugnatore infensissimo obtigit? Si hostis testimonium est duplo efficacius amicorum attestatione, certè efficacissimum est hoc, quod adhibet Aristoteli Patricius. Sed insigniori adhuc laude ipsum evenit Lib. II. Tomi istius I. pag. 13. dum ita ait: Omnis antiquitas maximis eum laudibus semper ornavit, omnis avorum atque atavorum nostrorum etas eum (Aristotelem) est admirata; omnis etiam nostra ingentibus eum encomiis prosequitur, admiratur & suscit: miraculum rerum naturæ eum fuisse & arbitratur & prædicat: nullam profecto alias ob causam preterquam ob insignem, ob singularem, ob admirandam quandam Sapientiam, quam multis ab eo scriptis Libris comprehensam posteris reliquit. Cujus Sapientia innumeros propè ac infinitos semper habuit Sectatores

tores, & nunc habet non pauciores. Egregia, & veritati per omnia congrua verba! Non minus verè & Gassendo non minori Aristotelis oppugnatori veritatem res ipsa expressit. Hinc enim, ut à se amoliatur studium insectandi Aristotelem, singit, se non Aristotelem, quem magni aestimet, sed Aristoteeos solum perstringere, cum tamen reipsa prius faciat. Verba autem hæc sunt in Praefat. ad Exerc. Paradox. *Quodsi quisquam fortè ex me querat, quomodo rem inscriperim adversus Aristoteleos, non adversus Aristotelem, cuius tamen doctrinam videor ex professo impugnare, (imò in plurimis id reverè facis Gassende, non facere videris) noverit, me potissimum tribus adductum argumentis. Primum quod opera illa, que hic persequor, non iam ex rei veritate credam esse Aristotelis, quam ex opinione Aristotelicorum. Major quippe, mēò judiciō, Aristoteles vir fuit, quam ut ipsi adscribi debeant tam indigna opera. Alterum, quod ipsi non tam Aristoteles, quam suam & exprestè menti Aristotelis repugnamen sapè defendant sententiam. Postremum, quod quisquilia gerrusque questionum congregabent indies, que Aristoteli in mentem non potuerunt occurrere. Quorsum itaque, dum has insequebor, in Aristotele potius dannem, quem semper admodum suspexi, quam in ipsis Aristotelicis. Quisquis igitur Aristotelem non verè sapientem, sed opinatorem solum esse dicit, is nō modò manifestis rationibus repugnat, sed & sapientissimos quoque viros inertiae atque ignorantia arguit, quod certè non facit, nisi Idioti & inanis Thrafo. Rectè propterea etiam iteratis vicibus eundem defendimus &c. &c.*

PRÆFATIO IV.

Ad Disp. IV. de Contradic̄t. &c.

ARISTOTELEM NON AFFECISSE INJURIA VETERES PHILOSOPHOS.

Quemadmodum duo in primis sunt, quæ in Viris doctrina atque Eruditione præstantibus lividò arrodere solent dentehomines invidiosi, ipsa nempe ERUDITIO & VITA corundem.

dem: Sic utramque hanc nec in Aristotele intactam reliquerunt famosissimi ejusdem mastiges. Eruditionem quidem quod attinet, dubiam eam imperitoribus reddere laborant hoc ipso, quod nudum opinatorem fuisse eum clament nullius rei solidam & exactam Scientiam instructum, quam tamen calumniam jam nuper discussimus; Vitam vero variis vitiis infamem reddere conantur, quorum non postremum est AMBITIO & ARROGANTIA, quam stimulante injurium in veteres exstissem eum dicitant. Verum & hanc calumniam facile ab eo amoliri poterimus, si ad naturam injuria respexerimus. Videlicet ad id, ut quis alteri injuriam inferat, requiritur voluntas & proaeresis in agente, ut scilicet volens & sciens tale quid alteri faciat, quod ei vel damnum vel ad minimum molestiam infert, & innocentia atque repugnantia in paciente. Si enim patiens velit, aut mereatur tale quid, quod damnosum est & molestum, neutriquam ei sit injuria: injuriam enim facere nihil aliud est, quam sponte nocere non volenti, neque merenti, de quo pluribus videatur Aristoteles Lib. V. Eth. cap. 10. 14. 15. Jam autem desuit Aristotelii voluntas injuriam Veteribus inferendi, inde enim eorum dogmata a veritate recendentia refutaturus, non relictis ipsorum opinionibus, earumque accurate Examine, statim savi instar Pontificis fulmina decretalia promulgat, & suam sententiam propalat, inque veteres debaccharunt conviciis, quemadmodum hoc modo plurimi, in modo omnes quotquot se Aristotelii opponunt, in refutando eo procedunt, sed in antecessum probè ipsorum opiniones & rationes ponderat, iisque solidè discussis contrariam ab iis viam capessit, & suam demum sententiam exponit, ne videatur præter meritum Veteres non auditos damnare, uti ipse testatur Lib. 1. de Cœlo cap. 10. t. 101. sic inquisiens: *Insuper & dicenda magis credentur, si sententiarum earum, que in controversiam veniunt jura, ducatiu[m]a, id est, justificiones, seu justæ rectæ atque debitæ solutiones, prius fuerint audire.* Absentes enim condemnari minus utique videbuntur. Et rursus ibidem: *Arbitros, inquit, esse oportet, non adversarios, qui intimam verutatem dijudicare volunt, hoc innuens, eum, qui tanquam Philosophus & veritatis scrutator atque amator in rebus tractandis versari velit, non oportere esse adversarium, qui studiò contradicendit & aliorum famæ derogandi contrarium statuat, sed placidum po-*

tiùs arbitrum, qui cujusque sententiam probè cognitam habeat, & veram amplectatur. Et idem quoque alibi passim inculcat. Quapropter manifestum est, Aristotelem non posse dici injurium extitisse in Veteres, cum voluntas laedendi eos in ipso non fuerit, sed studium solummodo veritatis, quò ductus solidè eorum sententiam, rationesque, quibus candem fulciunt, ponderavit, & sine omni fraudulentia, quod verum est, determinavit. Idem hoc & ex alio capite demonstrare possumus. Nimirum, qui in alterum injuriis est, is non laudat in eo, quem injuriā afficit, quæ laudanda sunt, & improbanda improbat; sed omnia Theoninò dente rodit, etiam quæ optima sunt, & nil nisi convicia spirat. Ita Politicus sceleratus, qui alterum de sede sua dejicere laborat, ipsique in eādem succedere, non laudat quicquam in eo, quem injuriā istā afficit, sed omnia vituperat, & multa quoque mentitur, ut saltem injuriosis istis mendaciis, & mendacibus injuriis viam sibi honoris sternat. Pariter Sophista ignavus & Idiota aliorum operibus inclarescere quaerens, ante omnia in istum, cuius labore honorem sibi comparare studebat, conviciis debachatur, omnia, quæ ab ipsō sunt edita, vilipendit, aspernatur & sugillat, & ut se erigat, alienam ipsi mentem assingit, eandemque prolixè & acerbè perstringit; veram autem illius sententiam sibi vendicat, eādemque malitiosè superbit. Ast tale quid neutquam in Aristotele quisquam ullò tempore deprehendet, sed potius contrarium ē vestigiò inveniet. Inde enim expresse Lib. I. Eth. cap. 9. non esse ἔυλογον, mitioni consonum, vel verisimile dicit Veteres τοῖς ὄλοις διαμαρτάνειν τοτὸ οὐλόν abernare, vel in omnibus impingere, sed in uno saltem, aut pluribus etiam rectè sentire. Et exinde probè, quæ ab iis dicta sunt, ponderare jubet, & quæ bona sunt, retinere, prava relinqvere. Necesse est, inquit Lib. I. de anima cap. II. t. 19. considerantes de animā, & de his dubitanter ac ambigentes, quæ nos oportet procedentes invenire neque percipere, in medium eorum antiquorum afferamus opiniones, qui de anima tractarunt aliquid ac dixerunt, ut ea quidem accipiamus, quæ bene sunt dicta, ab his autem caveamus, quæ non bene rectèque dicta sunt. Et lib. XIII. Metaph. cap. 1. Cum autem, ait, consideratio sit, utrum prater sensibiles substantias aliqua sit immobilis & eterna, & si sit, quanam sit, quæ ab aliis dicuntur, primo speculandum.

Iandum est, ut si quid minus rectè dicant, non hallucinemur cum il-
lis, si verò commune aliquod nobiscum dogma sit, non agrè feramus,
si propriè nobis adscribi negveat. Imò non tantum quæ benè à ve-
teribus asserta sunt, explicat & recipit, sed & gratias eis habet, &
omnibus etiam, qui rudiuscule scriperunt, gratias habere jubet,
dum sic Lib. II. Metaph. cap. 1. ait: Non solum illis grātia agen-
da sunt, quorum opinionibus quis acquiescit, sed & illis, qui super-
ficierentur dixerunt. Nam & hi aliquid adjiciunt: habitum enim
nōstrum exercuerunt. Hæc cùm ita se habeant, certè maximopere
 in Aristotelem injurius est, quisquis eum in veteres Philosophos in-
 jurium fuisse assererere non verecundatur. Eqvidem communiter Ari-
 stotelem omnia sua dogmata è veteribus compilasse jaētant, & ne
 fraudulentia ista olim universo innotesceret orbi, omnes Veterum
 libros ipsum concremasse. Inde Gassendus Lib. I. Exerc. IV. n. 8.
 dicit: *cum semper fermè rhapsodium exercuisse, compilatorem ma-*
ximum alienorum operum. Erant autem rhapsodi olim ii, qui ab aliis
 composta Poëmata & versus partim recitabant, partim canebant,
 adeoque Gassendus hâc Metaphorâ indicare voluit, Aristotelem o-
 mnia sua ex aliorum Libris exscriptisse, & nihil aliud fecisse, quām
 hoc, quod aliorum opera recitārit. Verū initio hoc est falsissi-
 mum, quòd omnia sua dogmata ex aliis exscripti rit, & nil nisi a-
 liorum opera recitārit. Nam I. ipse multa primus invenit, & in-
 ter alia quidem, ut brevitati studeamus, methodum disputandi ex
 probabilitibus, de re quāvis, uti ipsem non solum in primordio
 statim Dialetices Lib. I. Top. innuit, dum his eum auspicatur ver-
 bis: *Propositum est, invenire methodum, per quam pōssimus disputare*
de quovis proposito problemate ex probabilitibus, sed & clarius adhuc
Lib. Soph. El. cap. ult. §. 9. significat his verbis: *De Rhetoriciis*
quidem multa & antiqua diēta extabant, de Syllogismis autem con-
sciendis, i.e. de methodo disputandi, nihil aliud habebamus antea,
quod diceremus, sed exercitatione qvarentes multum temporis labo-
nūimus. Parī ratione & methodum demonstrandi, sive res scien-
 tificè tractadi invenit, solusque primus eam manifestavit, quemad-
 modum prolixius hâc de re in Disputatione I. de Contrad. Arist.
 §. 5. & 10. differuimus. Qvodsi autem ipse hæc invenit, quo-
 modo omnia sua dogmata, omnes Scientias, quas tradidit, exscri-
 pisse

psisse sine apertissimo dici potest mendacio? Sed II. constat jam ex præcedentibus, Aristotelem in omni *πραγματείᾳ* initio Veterum opiniones (si modò aliquæ extant, aut discussione Philosophicâ dignæ sint) proponere, easque solidè examinare, & si falsæ sint, refutare, quomodo ergo potest veritati consonum esse hoc, quod dicunt, ipsum nempe omnia exscriptisse? Qyodsi omnia ex Veteribus exsc. ipsisset, utique non recenseret eorum opiniones & dogmata, sed supprimeret & reticeret. Qvin III. cùm pleraque Veterum monumenta temporum injuriā interierint, unde illis constat, Aristotelem ex Veteribus omnia sua descripsisse? Ampius IV. si exscriptisset Aristoteles omnia sua dogmata, tunc certè vix ac ne vix ullo ordine cohererent, quemadmodum tale quid videre est in iis, qui omnia sua placita ex Sperlingio, Jacobo Martini, Scoto, aliisque exscribunt; ast in Aristotele omnia bene coherent, nisi forte aliqua irrepererint, aut etiam mutilata vel corrupta sint. Et hæc quantum ad prius. DEINDE verò longè adhuc majori falsitate illud premitur, quò Aristotelem Veterum Libros combussisse clamant. Nam (1) nulluna producent Historicum, quia tale quid de Aristotele referat, proinde merum est figmentum ex odio plus quam Vatinianio profectum. (2) Ipse quamplurimis in locis hortatur nos, ut Veterum monumenta perqviramus, eorumq; opiniones examinemus, qvin ut eò rediūs, & meliori cum fructu id facere possemus, Dialecticam nobis conscripsit, quā docemur recte in utramque partem dubitare, vel nobiscum solis, vel cum aliis, aliorum nempe sententias in alterutram partem assumendo, & probè expendendo, quemadmodum de his abunde egimus in Disp. I. de Contrad. §. 6. Hoc autem minimè faceret, siquidem tantò odiò adversus veteres occæcatus fuisset, ut libros eorum concremare non esset veritus. Sed (3) etiam si animus induxisset Aristoteles libros veterum ignibus concremare, vicio tamen ipsi illud vertissent discipuli ejus Theophrastus, Eudemus, & alii, ab eoque facinore deterrissent, quale quid in simili casu de Platone legimus. Hic irreconciliabili odiò in Democritum æstuans (unde & nunquam eum in libris suis citat,) scripta ejus concremare voluit; ast avocatus est à cepto isto Amidæ & Cliniae prudenti consilio, qui ingens inde dedecus consecuturum ipsum esse affirmabant. Ulterius

terius (4) stolidum & irridendum prorsus consilium hocce Aristotelis fuisset, si fraudem celare voluisse, comburendo scripta Veterum: utut enim exenplaria ista concremasset, quæ ipsem posseit, aut etiam in istis regionibus fuere, quæ imperio Philippi & Alexandri Magni paruerunt, non tamen omnia quæ in plerisque aliis existabant regionibus, quæ tamen dictorum Regum imperium non agnoscabant, sed & vis nomen eorum audiebant, hâc ratione è medio tollere potuisset, atque sic adhuc fraus ejus, si quam commisisset, pateficeret. Sed (5) si pervertere & comburere volumina veterum voluisse Aristoteles, certè Platonis libros præ aliis combussisset, utpote quem non modò sibi resusat, sexaginta nempe locis, ut numerat Patricius Tom. III. Disp. Perip. Lib. I. sed qui omnes etiam alios superabat & doctrinâ & famâ, & auctoritate; ast id non fecit, quia Operibus Platonis adhuc fruimur, ergo multò minus aliorum volumina combussisse eum verisimile est. Denique (6) si scripta veterum, ut illi ganniant, Aristoteles igne combussisset, nulla utique & olim post Aristotelis obitum, & hodienum etiam exsarent, cuius tamen contrarium experientiâ est manifestum. Nam & Epicurus longè post Aristotalem Democriti scripta visit, legit, & ejus doctrinam de atomis haust. Cicero item & Laertius confirmant, eos non fuisse perditos. Et hodie quoque Ocelli quædam opuscula exstant, quibus Docti quidam fruuntur. Quomodo ergo vero consonum esse potest, Aristotalem opera Veterum combussisse? Imò verò vel pulsio bimulus pessimam hanc esse injuriam intelligit. Qvocirca non est, cur hujusmodi calumniis à defendendo Philosopho hoc omium nobilissimo deterreamur, sed optimè adhuc liberare eundem ab intentatis injuriis studemus. Instituimus eō fine denuò actum Disputatorium &c. &c.

PRÆFATIO V.

Ad Disp. V. de Contradic. &c.

DE FICTITIA ARISTOTELIS IN PLATONEM INGRATITUDINE,

Qyan-

Quanquam insignis doctrinæ atque eruditionis sublimitas famigeratissimum Philosophorum Principem, Aristotelem in edito apud doctos quosque, ac eminenti semper statuerit loco, nihilominus in dubium vocata vita ac morum integritas ambiguam ipsi apud nonnullos palmam fecisse deprehenditur. Enimvero quantamcunque etiam doctrina laudem ipsi tribuant, vita tamen seqvioris & Philosopho prorsus indignæ eidem stigma inurendum esse fermè non dubitant. Documenta si requiras, ingratitudinem inter alia crepant, quâ Praeceptorem optimum Platonem, virum ipsius Apollinis oraculo sapientissimum estimatum, indignis penitus modis excepsisse, atque prosecutum eum esse affirmant. Gallendus & Patricius veri speciem huic delationi conciliaturi, mulo capropter à Platone comparatum eundem tum Eliasi Polyhistoris, tum Laertii fide comprobare laborant. Quemadmodum namque mulus lacte maternâ satur calcibus matrem petere dicitur. Sic, inquit, Aristotelem, cùm maxima Philosophiae semina à Platone hauiisset, optimis quibusque dogmatibus suffaratum præceptorem sprevisse. Scholam contra eundem aperuisse, & in Peripatu cum familiaribus atque discipulis suis adversus eundem pugnasse. Verum enimvero si citra invidiæ & odii metum veritatem profiteri licet, injuriam optimo fieri Philosopho afferere nulli dubitamus. Initio quippe Aristotelem Scholam contra Platonem vivum adhuc & superstitem minimè aperuisse, vel unico hoc evincî videtur argumento, quod maximâ tum temporis in civitate potentia atque auctoritate Chabrias & Timotheus Platonis sanguinis necessitudine conjungi pollerent, qui extra omne dubium proposito huic Aristotelis restitissent, neque in actum deducere possi essent, etiamsi id in animum ille induxisset. Et quis Aristotelem virum non modo Scientiâ, verum etiam prudentiâ instruâssimum tam cœd & temerariâ ductum afferret impetu, ut frustraneo prorsus ausu adversus stimulum calcitraret, seque poterioribus irrito conatu opponeret. Qapropter causam quoque nullam Plato habuit, ob quam cum mulo in matrem recalcitrante eundem conferret, sed potius merum hoc est invidiæ & odii plenissimum commentum. Qâ in re magis confirmabimur, si consideremus Aristotelem non modo lyceum contra Platonem adhuc vivum aperire non potuisse, sed & tale

& tale quid nūquā voluisse, multō mīnū effectum dedisse.
Tantō siquidem amore tantō Platonem honore prosecutus esse ab
Ammonio aliisque fide dignissimis Scriptoribus perhibetur, ut a-
ram ei statueret honoris atque gratitudinis in Præceptorem suū
insigne documentum, hāc cum inscriptione:

Gratus Aristoteles fruīt hoc altare Platoni,

Quem turba iūste vel celebrare nefas.

Neque Ælianī, vel Laëtiī testimoniō ulla tenus roborari potest ad-
versariorū sententia. Ælianū nempe ex aliis sāpē sua desumit,
atque sic aliorū saltem opinione recenset, quæ omnino aliorū fide
dignissimorū Scriptorū autoritatē rejici possunt; Laëtiū autem
Philosophorum historiam & mancam & multis locis hiulcam scripsit,
non ut eorum dignitatem illustraret, aut posteros ēā doctrinā juvaret,
sed ut haberet, quō lo. elegantia sua vel Epigrammata, vel Epitaphia
insereret, attestante & judicium ejusmodi de eo ferente ipsōmet Fran-
ciscō Patriciō Tom. I. Disc. Perip. Lib. III. p. m. 19. Igitur indubi-
tata fidei & hujus testimonium nequaquam existit. Sed verò, ut ali-
quid largiamur adversariis, positō, quod Aristoteles vivum adhuc Pla-
tonem refutārit, & contra eundem Scholam aperuerit, nondum tamen
inde firmā colligi consequentiā potest, ingratum eum adversus Præce-
ptorem suū fe exhibuisse, & à Platone convenienter cum mulo com-
parari potuisse: Reverentia quippe & gratitudo discipuli erga Præce-
ptorem, ut ut magna reqviratur, veritatis tamen adhuc limitibus conti-
netur, neque extra eosdem extendere eandem licet. Chari eqvidem
& amabiles meritō discipulis sunt Præceptores, at charior esse debet ve-
ritas, quæ ὅμονοις τῶν θεῶν Deorum concivis ab Olympiade nun-
cupatur; imò non modò Præceptoribus nostris sed nobis ipsis chario-
rem habere veritatem tenemur, adeò ut ad propria effata evertenda
prompti & parati esse debeamus, siquidem veritati eadem adversari
advertisamus. Id quod ipse nos docet Aristoteles, sic Lib. I. Eth. cap. 5.
exsertè scribens: *Fortasse autem præstare, atque adeò oportere videatur
veritatis tuenda causa, vel nos in ipsorum decreta reverttere, presentim
cum etiam nos Philosophi simus.* Quibus immediatē subjicit cedrō di-
gnūm de veritate amicis anteferendā monitum, his verbis: *Cum utraq;
chain sint, veritas nempe & amicitia, pium tamen est amicis antiquo-
rem habere veritatem.* Sinc omni igitur ingratitudinis periculo disci-

Gg

pulus

pulus adversari Præceptoris suò, & si qua ille veritati non adeo consona tradiderit dogmata, ad Lydium veritatis lapidem examinare, eademque refutare potest, dummodo acerbis abstineat dicteriori, neque conviciis eundem infestetur, sed personæ honorem debitum exhibens, rem ipsam modestè, & solius veritatis causâ expendat atq; emendet. Fecisse autem id Aristotelem, nemo, invidiz stigma evitare volens, unquam inficias iverit. Etenim abundè hic modestiam suam in refutandis dogmatibus Platonis significavit, tum alibi, tum imprimis I. Eth. IV. ubi reiectens sententiam ejus de Summo Bono, quod in contemplatione idealium boni collocaverat, difficultem sibi eā ipsā de causâ refutationem illam faretur quod à Præceptoribus suis, Socrate nimírum & Platone, opinio ista fuit profecta, sic inquietans: *Universum autem bonum (i. e. idea boni) considerare, quōd modò dicatur, querere fortasse præstiterit.* Tamen si nobis sit hac questio ardua & difficilis futura, propter id, quod amici virti (nempe Plato & Socrates) ideas introduxerunt. Quæ major quæso esse potest in tanto Philosopho modestia? Manifestum igitur est, non infestatum eum esse Platonem conviciis & injuriis, sed dogmata solum ejus à veritate recedentia summâ cum modestia evertisse, adeoque nullò pacto ingratitudinis propterea anquirendum aut cum mulo conferendum esse. Et si tantà reverentia Præceptoris suo obstrictus teneatur discipulus, ut falsis quoque illius dogmatibus acquiescere ipsamque posthabere veritatem cogatur, quanta inde, obsecro, absurdâ, quanta exsurerent incommoda? Veritas certè aut nulla daretur, aut solum in multis non obtineretur, sed dubiis opinionum fluctibus in contraria hominum agitarentur animi, pravis insuper moribus imbuerentur, ea quæ sunt & ratihabentur à Præceptoribus etiam pessima & honestati maximè aduersa sestantur, siveque tandem ipsius Numinis metu execrentur. Respiciamus Epicurum, intueamur Theodorum & Diagoram; horum posteriores Deum esse non dubitanter in dubium vocârunt, ille autem negando animæ immortalitatem omnem utique Divini Numinis metum simul sustulit. Si ergò Discipulo à sententia Præceptoris abire integrum non est: utique horum virorum discipuli non potuerunt non rejicere sanctissimum Numen, eusque timorem omnem excutere, quodsi & ab eorum discipulis, siveque consequenter à ceteris fiat, quid aliud inde nisi execrandus in omnium fermè hominum animis atheismus emerget? Absit igitur, ut ejusmodi absoluta lege Præceptoris

ptoribus obstringamus discipulos. Contrà potius, ut Parentibus quidem obediendum, honestatis tamen potior ineunda est ratio, si quicquam adversus eandem illi præcipiant: ita quoque Præceptoribus honor & gratitudo exhibenda, veritati tamen minimè anteferenda, si ii statuant, quod à veritatis tramite recedit. Proinde tantum abest, ut Aristoteles ingratitudinis erga Platonem reus sit, eò, quod falsa ejus rejicit dogmata, ut potius ceu gratiosissimus discipulus, vel ex eo capite laudandus, nequitiam verò cum mulo comparandus existat. Imò verò, tandem, ut alia brevitatis studiò linquamus, si Aristoteles propterea jure cum mulo a Platone comparari potest, & ingratitudinis argui, quod proprium debellari Præceptorem, omni procul dubio ipse quoque Plato cum mulo comparandus, & ingratitudinis damnandus erit, cùm pari ratione Socratem, à quo si non vivâ voce, scriptis tamen eruditus fuit, refutariet. Aut si neque scriptis Socraticis edocitum Platonem concedere quis velit, ingratitudinis tamen hujus, quā Aristoteles Platonem affecisse dicitur, causa ipsam exiit Plato, qui ita Aristoteli discipulum suum edocuit, veritatem nempe Amicis esse præferendam. Hæc enim verba ejus: *Charus quidem Socrates, sed charissima veritas.* Et rursus: *Socrates quidem quid dicat, parum solliciti esse debemus, de veritate autem multum sollicitos esse oportet, quemadmodum & Ammonius in vita Aristotelis notat.* Qvocirca, si Aristoteles veritatis potiorem quā Platonis rationem habendo, ingratitudinem exercuit, ipse omnino Plato causa & autor hujus vitii existit, quod sic discipulum hunc suum edocuerit; & proinde si male eundem docuit, non incongrue i. si acclamare liceret, quod judices illos Protagoræ Evathlum discipulum suum reum agenti occinisse legimus: **MALI CORVI MALUM OVUM:** Si verò benè id Aristotelenam Plato docuit, nullà ratione ingratitudinis hīc argui potest, quod doctrinam Præceptoris sui securus fuerit, multò minus cum mulo comparari. Quod ubi brevissime pro ratione instituti atque temporis evictum dedimus, ad id, cuius gratiā præcipue hunc egimus contentum, me converto. &c., &c.

P R A E F A T I O VI.
Ad Disp. VI. de Contradic̄t. &c.
D E P R A E T E N S A A R I S T O T E L I S
I M P E R F E C T I O N E E T D E F E C T U .

Intra alia argumenta, quibus Adversarii Aristotelis studiosam jumentem à lectione illius ad alios diabolares & è trivio Philosophos abducere satagunt, & hoc est, quod innumera apud Aristotelem deficere jaſtent, quemadmodum vel maximè omnium Gafſendus hoc urgere videtur, qui integrum eā de re Exercitationem Paradoxicam, numerō quintam Libri primi conscripsit. More igitur consuetō aliquid præfaturi opera pretium ducimus, & quid de imperfectione atque defectu hoc fentiendum sit, aperire. Scilicet reperiri aliquos in operibus & voluminibus Aristotelis defectus, & desiderari nonnulla in iisdem, inficias ire non possumus, verum ea partim non ex ignorantia aut incuria Aristoteles omisit, sed injuriā temporum interierunt, & mutila ad nos opera devenerunt: parim à viris doctis compleri oportet: non enim unius hominis est, tot scientias omnibus numeris perfectas atque absolutas sistere. Quamvis certum sit, non omnia, qua Aristoteles literis consignavit, integra ad nos pervenisse. Ita quippe Cicero Lib. V. de finibus testatur, quod Aristoteles omnium fermē civitatum, non Græcia solum, sed & Barbaria instituta ac disciplinas descriperit. Diogenes quoque Laertius 158 Rempublicas ab eo descriptas refert. At hodiē vix unā atque alteram ab eo descriptam Rempublicam reliquam habemus, Lib. II. Politicorum. Neque dubium est, quin plura adhuc alia præter hæc in Politicis desint. Ipse enim Lib. VIII. Polit. proponit, se acturum de rhythmo & harmonia, & de harmonia quidem differit in eo ipso Libro octavo, de rythmo autem non item, quapropter & hæc, quam de illo suscepit, tractatio interiit. Insuper & plura de institutione hominum in civitate optimâ deficiunt. Cum enim Philosophus ita optimam Rempublicam describere promittat, ut sua cuique officia per omnes cætates assignarentur, in Libro tamen octavo Polit. usque ad adolescentiam tantum pervenit, ut satis superque colligi inde possit, quam mutilum & man-
cum

cum hoc opus Aristoteleum habeamus. Cyriacus Stroza capropter defectum hunc implere satagens, duos de optima Republica Libros confecit, & octo libris Aristotelicis addidit, unde & in editione Aristotelis Parisensi decem Libri Politicorum numerantur. Verum hi libri, ut ut docte satis elaborati, non accedunt ad eruditionem Aristotelis, quare & ipse Stroza amico cuidam libros istos duos multò viliores esse Aristotelicis dictitanti, respondebat: *Fetisse se eos tales, ut sui, non Aristotelis haberentur.* Pari ratione in arte ejus Poëtica deficere aliqua extra dubium est. Lib. I. enim Rhet. cap. XI. ait, in Poëticā à se dictum esse, quod sint species ridiculorum; at in Libro Poëtices, qui ad nostra tempora pervenit, solummodo determinatur in genere, quid sit ridiculum, speciem autem ridiculi nulla fit mentio. Et sic quoque in aliis ejus operibus hinc inde aliqui deprehenduntur defectus, quos ex varia & adversa Librorum Aristotelicorum fortunā exortos esse certum est. Sed nec hoc negabimus, aliqua etiam ab Aristotele ipso adhuc omissa esse. Sicenim fortè adhuc aliqua sunt ad Philosophiam primam pertinentia, de quibus nihil scripsit, morte videlicet præventus. Hinc etiam factum, ut cùm morti proximus rogaretur, quid agiūs ferret, responderet, quod totam Philosophiam non absolvisset, licet speraret, fore, ut paucis additis perfici posset. Qvō consiliō sine dubio Veteres illi Peripatetici, qui Aristoteli in Lyceo succederunt, Theophrastus inquam, Eudemus, Strabo, Critolaus, & alii addacti fuerunt, ut in Aristotelem non ediderint commentaria, sed ea solum ediderint, quae in eo desiderarentur. Velut Theophrastus Libris Analyticis addidit librum de affirmatione & negatione, in quo multa proposuit, quae in Aristotele non legebantur, ut ait Boëthius. Non minus & in quavis scientiā tum methodum perfici, tum dogmata quædam emendari, multa etiam ad perfectionem plenam addi posse, ultrò largimur. Verum enim propter hos defectus minimē Aristoteles eit culpandus, multò minus rejicendus, & alis longè inferioribus postponendus. Nam I. non innumerata sunt hæc, quæ deficiunt, ut vult Gassendus, sed aliqua solum, eaque pauciora. II. Ille primus fuit, qui hominibus ostendit ordinem disciplinarum, singulares observationes ad theorematā & præcepta generalia reduxit, inque eo similem vel parem habuit inter antiquos nullum. Proinde culpari jure non potest, si in quibusdam defectu prematur. Etenim ea, quæ à nemine antea cogitata atque inventa sunt,

primum hominibus manifestare, ardui proorsus est operis, in quo facilis est lapsus, cum inventa facile quidem augeri possint, nihil autem unquam simul inveniri & perfici. Quapropter plus quam barbarum est, a primo inventore perfectionem absolutam regirere, aut etiam calumniari cum properea, quod non omnia ita perfecerit, ut alii, quibus ille viam instar fidelis Mercurii, quasi extensò brachio ostendit, quique multis post eum seculis ipsa temporis diuturnitate, & collatis multorum meditationibus facile addere multa potuerunt. Primum inventorem Typographiae scimus typis initio libros procudisse rudibus & incultis; at nemo tam barbarus inventus, qui conviciis propterea inseclaretur primum Typographum, quod non ita elegantes typos initio haberit, ut post eum Robertus Stephanus aut Plantinus. Quid si in his, atque adeo aliis eisam omnibus primos rerum inventores tantà æquitate venerari ipsa nos juris naturalis ratio docet, cur juris naturalis verecundiam istam exuimus, quando de eo sermo est, quem Excellentissimi quique viri multis retro seculis ad praesens usq; tempus admirati sunt, & scriptis ejus divinum quid & supra hominem ab hoc homine præstatum fatentur, quod ipsi nunquam sine Aristotele præstieissent, quod si nobis carentium fuisset, si discipliaz ipsa primum ita inveniendæ ordinandæ essent, tum denique agnosceremus, quantum Deus huic homini pagano soli donorum contulisset. Sed ea est naturæ nostræ pravitas, ut virtutem incolumem oderimus, sublatam ex oculis queramus invidi, & cum denum nostra intelligamus bona, quando amissimur, que in potestate habuimus, ut Plautus ait in Captivis Act. I. Sc. II. v. 39. Et III. ipse Aristoteles insigni prouersus naosteia inventa sua extenuat, & si qua deesse inveniantur, veniam rogat, dum ita Lib. Soph. El. cap. ult. §. 9. De Rhetoricis, inquit, multa quidem & antiqua existabant dicta, de Sylogismis autem conscientis nibil aliud halchanus antea, quod diceremus, sed exercitatione querentes multum temporis laboravimus. Si igitur vobis scripta nostra insipientibus videatur non esse hec methodus ex talibus initio existentibus perfecta, si compareatur ad alias tractationes, que ex traditione sunt auctæ, quod reliquum est, vestre auditorumve partes erunt, ea, que ad hujus methodi consummationem sunt pratermissa, venia dignari, que verò sunt inventa, multa proficiunt gratia. Unde rusticitas est turpissima, velle ejusmodi viro singula iter modesto reprobrare ea, que omisit, cum

cum ipsem agnoscat, se esse hominem, & nihil humani à se alienum putet, & propterea quoque veniam à lectore quovis ingenuo petat. Probè id perspectum erat Alex, Aphrodis., qui capropter Comm. in istum locum modestiam Aristotelis insigni quoddam præconiò ornatus: *Reliqua quidem, inquit, ejus scripta ita comparata sunt, ut addere iis aliquid licet, ast Dialectici adfici opus rarò exemplò & cœpit & absolvit, ita ut non multam (quemadmodum nempe ipse volebat Aristoteles) sed omnem ei debeamus gratiam.* Insuper IV. si propter aliquos defectus Aristoteles esset rejiciendus, certè nullus homo admitti posset, quoniam nullus tam est perfectus, ut omnia videre in omnibus possit: nihil quippe ab omni parte beatum, & doctissimus quandoque dormitat Homerus. Denique V. plura longè desunt in aliis, quos Gassendus & Franciscus Patricius Aristoteli præferunt, nempe in Platone, Rambo, itemque Scholasticis, quos hodiernum etiam nonnulli ineptiis aspici homunciones optimo illi Philosopho antererunt, quin rectius de his dici potest, quod Gassendus de Aristotele dicit, innumerā apud eos deficere. Quapropter eo non obstante, quod apud Aristotalem quoddam deficiunt, tamen meritò præ reliquis eundem quisque dignè in Philosophia versaturus sectatur. Atque hoc etiam ex capite adhucdum asserta ejus ab imputatā vindicare repugnantia laboramus. &c. &c.

PRÆFATIO VII.

Ad Disp. VII. de Contrad. &c.

ARISTOTELICOS NON ESSE MANCIPIA ARISTOTELIS.

Quemadmodum veritatis latro, & emissarius invidiæ Satelles Momus nunquam non lividos suos exacuit in Aristotelem dentes: ita quoque satis & abundè aciem eorundem experti sunt, & adhuc sentiunt, quotquot famigeratissimum hunc Philosopherum Principem constanti animo sectantur. Hinc enim videoas vastissima adversus eosdem prodire volumina, & nihil fermè magis in ore cuilibet esse audias, quam Aristotelicos ex ignavâ diffidentiâ libertatem philosophandi sibi ademisse, & Aristotelis factos mancipia, sic ejus

ejus ex ore pendere, ut mortem potius subirent, quam errorem ejus
 manifestarent & faterentur. At verò ne inani hanc & exitiosam cavilla-
 tione incautiōres seducti pricipites in errorem ruant, accuratius paulò,
 brevibus tamē in hanc rem inquisivisse operā pretium fuerit. Vide-
 licet absonum non modo verū etiam à veritate prorsus alenum esse
 arbitramur, veros atque genuinos Aristotelis sectatores, viros consi-
 deratos & judicio praditos libertatem philophandi sibi ademisse, ne-
 que citra injuriam & turpissimam calumniam Aristotelis appellari pos-
 se mancipia, persvasum habemus. Quod ut eò magis innotescat, pro-
 bè dispiciendum est, quid sit Libertas Philosophica, & num eandem ab-
 jecerint Aristotelici. Est autem Libertas Philosophica, ut hinc ordi-
 amur, non unius generis, sed alia vera atque genuina, alia fictitia, spu-
 ria, adulterina, & turpissima potius servitus est. Vera Libertas Philo-
 sophica haec est, quā nudā autoritate alicuius Philosophi nullis rationi-
 bus firma: à non acquiescimus, sed rationes reqvirimus, dummodo res
 ita comparata sit, ut sine *ἀπειδεύτησις* virtute, & sine *ἀρρώσιᾳ* & *ἀγο-
 νίᾳ*, seu imbecillitate judicii rationes de eâ postulare queamus.
 Sunt enim aliqua, quæ per se fidem merentur sine illa demonstratione,
 ut ea, quæ sensibus haurire possimus, unde & Aristotele. eos, qui in iis,
 quæ sensibus obvia sunt, rationem postulant, *ἀρρώσιᾳ* & *ἀγονίᾳ*, s.
infirmitate judicii laborare dicit, Lib. VIII. Phys. cap. III. s. 22. 26.
 Vis namque judicij in eo consistit, ut illo mediante homo aptè disser-
 nere queat ea, quæ per se, & quæ non per se nota sunt, quæ vera, quæ
 falsa existant, quemadmodum hoc indicat Philosophus, dum Lib. VIII.
 Top. cap. ult. §. 3. *Hoc, inquit, revera est natura bonitas ènθusias,*
 sive bona indoles, *posse recte eligere verum ac declinare falso.* Et
 Lib. II. Phys. cap. I. propterea dicit: *Demonstrare perspicua ex obscu-
 ri ejus est, qui non potest adjudicare, quod est per se.* & *quod non est
 per se notum.* Eorum itaque, quæ sensu nota sunt, ratio postulari
 nec potest, nec debet. Sed nec prima principia, ut demonstrentur ab
 ullo sine ejusdem vitii nota exigi potest; sunt enim & hæc ut non
 sensu cognita, per se tamen & ex se ipsis nota, unde etiam definitiuntur
 ab Aristotele Lib. I. Top. cap. I. *quod sint ea, que non ab aliis, sed à
 seipsi fidem habent, h. e. quæ non per alia demonstrari possunt, sed ex
 propriis quibus constant terminis, innotescunt, ita ut perceptis iis ipsa
 quoque principia intelligantur.* Vera igitur, ut diximus, libertas hæc
 est,

est, quā nudā Philosophi alicujus autoritatem in iis rebus, quārum ratio
dari potest, non contenti sumus, sed rationes postulamus, quas si sup-
peditare non valeat, aut saltem non sufficienter, liberè sententiam illius
relinqivimus, & contrarium, quod rationi conformius est, statuimus.
Etenim in iis quidem, quae ad Religionem & fidem Christianam perti-
nent, religiosos nos esse oportet, & solā Divini Numinis autoritate
contentos, quia mera proponit mysteria, omnem humani ingenii mo-
dum excedentia, unde etiam Apostolus vult, ut in iis captivemus intel-
lectum nostrum, in obsequium fidei; ast in Philosophia, quae non nisi
ea tradit, quae ex principiis rationis manifesta sunt, dedecorum est, ne-
glecta ratione unice alterius autoritatem sequi eidemque fidere, lauda-
bilis contraria libertas, omni autoritate posthabita, folias attendere rati-
ones, earumque robur & firmitatem ponderare. Hanc libertatem Phi-
losophicam tantum abest, ut rejiciant veri Aristotelei, ut potius eam
omnibus commendent, veluti quam celeberrimi quique viri nunquam
non exerceuerē. Inde enim Xenophanes & Parmenides alios refuta-
re non sunt veriti. Plato quoque non solum Sophistas, sed & Philo-
sophos aliquos Anaxagoram & Heraclitum subinde in scriptis suis res-
felliit. Aristoteles ipse omnes fermè ante se Philosophos, in quibus er-
rārunt, liberè & sine metu rejecit. Eādem quoque libertate etiamnum
hodie in ipso Aristotele legendō uti licitum est, quin omnes veri Aristot-
elici eādem utuntur, exemplō & praeceptō Dūcis sui edocti, qui re-
futaturus sententiam Platonis de idea boni, gravem quidem & diffici-
lem tractationem istam esse dicit, eō quod autores hujus sententiae
Φίλοι ἔνδεξες amici viri sint, nempe Socrates & Plato, quorum uter-
que ejus existit Præceptor; ast statim subdit, veritatem esse iis praefe-
rendam, hōc cedro dignō effatō: *Cum utique chara sint (Amici
nempe & veritas) pium tamē est, Amicis antiquiorem habere verita-
tem.* Imò propriis abdicare assertis jubet, dum statim subjicit: *For-
tasse autem præstare, atque adeò oportere videtur veritatis tuenda causā
nostrā ipsorum decreta evirtere, præsertim cum etiam nos Philosophi si-
mus,* Lib. I. Eth. c. IV. Quibus aperte satis sectatores suos docet Ari-
stoteles, neutiquam Philosopho dignum esse, velle aliorum, aut etiam
propria tenaciter inhærere phantasia, si rationibus non firmetur; sed
liberum esse cuiilibet, relinquere alios res suas aut nullis aut infirmiori-
bus rationibus probantes, quin oportere propria rejicere asserta, siqui-

dem veritatis adversentur. Adeoque omnes, qui veri sunt Aristotelis Sectatores, qui scripta ejus sedulò evolverunt, neutiquam veram libertatem Philosophicam abjecere possunt, nisi contra proprium Duci sui mandatum & exemplum agere velint, sed potius suo morem gerentes Duci intrepidi eandem exercent. Ast vera hæc & genuina Liberas Philosophica pravitate quorundam hominum degeneravit in aliam adulterinam & temerariam, quæ licentia potius dici meretur, & specimen quidem illius veræ libertatis mentitur, ast ne micam quidem ejus in se continet, præter solum nomen, quod propterea tanquam re vacuum falsò illi tribuitur. Scilicet fuerant, & adhuc fortè sunt aliqui invidi & superbiae typho inflati homines, qui invidentes Aristotelii laudem, quam apud plerosque haec tenus obtinuit, summam, acerbè in ejus Sectatores invehuntur, & ut colorem suis dictis concilient, multum de libertate Philosophica crepant, eamque Aristotelicos sibi ademisse clamant, quorum facile Princeps est Gassendus, qui è de re integrum conscripsit, verè ut inscribit, Paradoxican Exercitationem, hujus propositi, quod immerito libri Aristotelei libertatem Philosophandi ademerint. Est autem illa apprens libertas in re nihil aliud, quam ingens ambitus & arrogantia, alios Philosophos, in primis verò Aristoteli, innovandi & contradicendi seque ostentandi pruritu respuens, cuius genitrix est Philavtia, nimiusque sui ipsius amor. Cum enim & ipsi multarum rerum inventores esse gestant, Aristotelis autem placita ab omnibus fermè acceptari videant, hinc non possunt ferre famam hanc Aristotelis, sed illa ipsis rumpuntur, cum audiunt Aristoteli contra alios omnes defendi. Proinde non solum in ipsum Aristoteli, sed & eos, qui ipsum illum Ducem sequuntur, mirè debachantur, eosque mancipia Aristotelis esse clamitant. Non enim debere eos tam tenaces esse sententiæ Aristotelis, sed debere ipsum refutare, & propria inventa hominibus commendare ajunt. Verum ineptissima hæc est libertas, neque ex veritatis amore, sed superbiae & ignorantiae a stu provenit, multaque secum mala trahit. Initio namque hoc ipsò fit, ut tanquam certum supponant, Aristoteli errasse, ipsique incumbere, ut eum corrigan atque emendent, unde non expendunt amplius rationes ejus, sed vanâ hæc persuasione occupati, fugitivò saltem oculò percurrunt, quæ ab ipso dicuntur, & si eorum phantasie non videantur conformia, illi cō in eum invehuntur, & propria sua inventa non secus atque uniones

è ster-

è sterquilino ostentare omnibus occipiunt. Exemplum nobis præbent hic illi Philosophi, Franciscus Patricius & Gassendus, quorum hic integrum rursus verè Paradoxicam conscripsit exercitationem, quā probare incassum laborat, quod innumeris apud Aristotelem fallant, quamvis ipse innumeris modis in iis fallatur & fallat; ille vero, Patricius nempe, multa adducit, quæ alii occasioni reservare cogimur, inter alia autem & hoc, quod Aristoteles male rejiciat sententiam Anaxagoræ, omnia per secretionem generari statuentis, cùm tamen ipse Lib. IV. Meteor. cap. X. per secretionem statuat fieri generationem, dum ita ait: *Similia autem dico velut Metallica, aurum, argentum, æs, stannum, ferrum, lapides, & his similia, & quæ ex his per secretionem sunt.* Hic, dicit Patricius, refutandus est Aristoteles, & reprehensionem meretur, quod ea, quæ in alio carpit, ipse affrat; ast nequit id dixisset, si sententiam Aristotelis accurati excusisset. Quando enim Aristoteles dicit, aliqua fieri per secretionem, tum per ea intelligit chalybem atque orichalcum, quorum ille nihil aliud est, quæm ferrum perfectius excoctum, & per secretionem impuriorum partium depuratus, vel à natura vel ab arte, orichalcum autem nihil aliud est, quæm æs perfectius excoctum & per secretionem impuriorum partium depuratus. Ut adeò Philosophus hic per secretionem nihil aliud intelligat, quæm depurationem vel segregationem impuriorum partium in Metallis; ast talem non intelligit Anaxagoras, sed longè aliam, nempe secretionem partium similarum actu existentium in omnibus rebus, commixtis tamen & confusis, quam optimò jure Aristoteles rejicit. Deinde vero illi ipsi, qui ita liberè philosophantur, mancipia sunt, non solum propriæ phantasie, sed & aliorum vulgarioris nota Philosophorum. Vel enim autoritati alicujus, quem in juventute immatuò adhuc judicio didicerunt, vel rationibus à Præceptoribus suis aut aliis è vulgo Philosophis excoxitatis nimium tribuant, quasi inde scientificè concludi aliquid posset. Atque sic dum Sapientum probatae jam fidei sententias vano libertatis prætextu rejiciunt, ignari, suimet cerebelli & vulgi Philosophorum mancipia sunt, uti rursus exemplum habemus in Gassendo. Hic enim Aristotelem aspernatus, inertí Ramo, cuius incepta Philosophia anno 1597 decretò Illustrissimi Principis Henrici Julii ex Academia Julia profigata est, sese emancipavit, ut in p̄f. Exerc. P-

radox, satis clare ipsum est testatur. Amplius vanâ & imaginariâ hâc libertate philosophicâ, libertini illi Philosophi ita confunduntur, ut ipsum tandem nesciant, quid statuant; sed de propriis, quæ tanto perè jactant, dubitare incipiunt inventis, inque ignominiosos Scepticorum carceres semetipsos compingant, quemadmodum hoc itidem videmus in Gassendo, strenuo scil. isto Aristotelicorum oppugnatore, qui expresse in præfat. modò allegatâ, nihil dicit, sibi unquam ita arrisso ex omnibus, quâm laudatam illam Pyrrhoneorum *αναράληψιν* sive incomprehensibilitatem, nihil posse comprehendî, nihil sciri. Hinc denique, ut reliqua temporis angustiâ exclusi, alii loco reservemus, in manifestas prolabuntur contradictiones: dum enim omnibus modis Aristoteli contradicere eundem refutare student, fit, ut dictorum suorum obliti in plurimas antilogias miserè prolabantur, sequæ universo orbi doctiori deridendos prostruant. Modò quippe hâc vel illâ propositione ad oppugnandum Aristotelem utuntur, modò eam, quæ immediate priori contradicit, pro defensione suâ adducunt, & sic perquam miserè contradicunt. Exemplo nobis denuò est acerrimus ille licentia Philosophicæ defensor Gassendus. Cum enim incomprehensibilitatem amplexus esset, & scientiam atque veritatem contra Aristotelem dari negasset, post ubi rationes exponit, quibus ad scribendum impulsus esset, solius veritatis manifestandæ gratiâ se ea omnia tradere affirmat. Egregium certè Philosophum! Prius ut oppugnet Aristotelem, negat dari scientiam & veritatem, post se excusans & defendens, veritatem dari & à se indicari asseverat. His sunt fructus hâc germina vulgaris istius libertatis Philosophicæ, i. e. licentia, quæ nihil aliud sibi habet propôsitum, quâm Aristotelem impugnare, & nova dogmata in medium propalare. Hanc meritò ceu exitiosissimam luem fugimus, & è contra Aristotelem in iis, in quibus hallucinatus esse non deprehensus est, sine omni metu servitutis Philosophicæ optimò jure defendimus. Id cum & hodiernâ luce nobis sit propôsitus, quâ disputationem nostram de Contradictionibus Aristotelis septimam ventilandam damus, & ab iis, quæ objici possunt, vindicare studemus, ut pereximia vestra præstantia in exigua temporis intercedinem aures vacivas animos benevolos nobis præbeant, officiosè rogamus.

PRÆ-

PRÆFATIO VIII.

Ad Disput. de Axiomate Politico:

Omnis ars omnisque methodus &c.

DE

PRÆSTANTIA ATQVE DIGNITATE POLITICES.

Quanquam multæ sint, eaque insignes, quibus operam hactenus summam impenderunt Musarum alumni, artes, palmarum tamen omnibus fermè præripere videtur nobilissima pariter atque utilissima civitatum regendarum scientia. Ut enim utilitate missa, solam nunc expendamus præstantiam ejus & dignitatem, abundè hæc vel inde relucet, quod multæ aliae humiliores atque ignobiliores facultates naturam hujus induere, & fallaci quâdam imitatione speciem ejus mentiri laborarint. Sophistæ, quemadmodum omnium frè disciplinarum corruptores, ita quoque Politicorum inepti æmulatores, cùm nihil eorum, quæ ad genuinum reqviruntur Politicum, tenerent, speciem tamen ejus mentiebantur, & lucri causâ de Bello, de Republica, deque aliis hujusmodi civilibus materiis disputabant, & eâ de causa pro Politicis haberi postulabant, quamvis spectra solùm larvas ac præstigias imperiis adolescentulis pro veris ac solidis obtruderent rebus, ut eapropter etiam Plato, acris eorum censor, improbitatis & inficitiæ turpissimæ eosdem anqvirat. Sophistis accedebant ORATORES, & ipsi ecceâ cupidine Politicorum titulum affectantes, testibus Aristotle Lib. I. Rhet. cap. 2. Platone in Gorgia, Isocrate in Helena, Ciceronne in Lib. de Orat. & aliis pluribus. Cùm enim veri Politici Oratoribus olim imperarent, iisque tanquam instrumentis uterentur, ut hoc vel illud populo persvaderent, usu veniebat, ut cùm Oratores illi delimitentis suis & Eloquentia artibus populum seu lupum auribus tenebrent, pro Politicis se venditarent, postea etiam ad ipsius Reipubl. administrationem admitterentur, veluti Demosthenes, Demades, Antiphon & alii, qui tamen, utut quam maximè Politici audire gestirent, veri tamen Politici noimen tueri non poterant, cùm umbras & imagines

nes tantum, neglectis ipsiusmet rerum corporibus, representarent. Denique, ut alios præteramus, ineptissimè prorsus etiamnum hodie Politici nuncupari affectant homines perfidæ frontis, callidi, versuti, Machiavellistæ, verbò ad omnium sese voluntatem conformantes atque accommodantes. Hi enim Politicam in tunica & tergo, manu & pedibus potius, quam in animo & cerebro habent. Aequitati insuper & pietati repugnant, simulacione toti scatentes, alterà manu aquam, alterà ignem ferentes, aliud ore promentes, aliud pectore condentes, quin nec Deum, nec homines veriti, juramentis tanquam mantilibus ad extergendas sordes quotidie contractas utentes, quibus lingua ad rem faciendam non perdendam nata est, quique, quod lingua promiseré, eadē cum libitum est, negant, in eo insuper laudem querentes, si plurimum meri, magnosque vini cyathos evacuare queant, neque interim inebriantur, sed sobrii maneant, qualis fuit olim Flavius Vopiscus, de quo Aurelianus dicere solitus est, eum non ut vivat, sed ut bibat, natum esse. Recens vero ejus exemplum præbere potest studiosus ille, qui cum discipulo Dantiscano Altdorfi vitam egit, & falsæ hujus opinionis fuit, quemadmodum de eo refert doctissimus Scherbius Comm. Polit. pag. 12. scribens: *Præceptor ille erat frenus potator, vocatus itaque ad Rectorem, ut dissolute vite sue admoniceretur, ipse respondit: Magnifice Domine Rector, commendatus mihi fuit hic meus discipulus à suis curatoribus, ut ipsum redderem non tantum doctum, sed etiam POLITICALM. Ipse scil. Politicum sese existimabat, quia frenus poterat potare.* H. I. Qyoniam itaque plurimi nomen & titulum Politicorum arroganti impetu, quidam etiam cœcā & inepta prorsus imaginatione sibi vendicarunt, quid aliud inde fluit, quam quod Politica pulchritudine & præstantiâ suâ præ ceteris artibus atque Scientiis omniū in oculis fulgeat, resfulgeat. Id quod etiam ex fine ejus Sole meridianō clarissimum dispallescit. Cū enim artium itemque Scientiarum Præacticarum dignitas ex fine potissimum disjudicetur, non potest sane Politica in universo Scientiarum præacticarum ambitu non esse præstantissima, quia finem sibi habet præfixum longè maximè omnibus ceteris præcellentem, ipsum netupe S. B. Civile, quod perfectissimum sitique sufficientissimum est, propter se expeditum, & omnia bona alia tūm corporis tūm animi tūm externa quoqve finu suo complebitur, comprehendit. Tali autem bono, quodnam majus, quodnam darentur

tur melius? Sed ut alia multa singularis præstantia documenta silen-
tii populo obnubilemus, auget dignitatem Politices, ingens quoque,
quam comitem sibi habet, jucunditas & voluptas. Bonum sanū, quod
adjunctam sibi habet voluptatem, aut majorem solummodo, quam
alterum, id præstantius est, & eligibilius, docente Philosopho Lib.III.
Top. cap. 2. At quid jucundius cogitari queat, quam nosse discri-
men honestorum & turpium, justorum & injutorum, neque tantum
nosse hæc, verum etiam opere ipso eadem exequi? Quid savius
esse potest, quam totius orbis leges ac Respublicas percurrere, earumq;
eversiones ex veris causis cognoscere? Quid tandem amoenius esse
potest, quam integrum gentem, Patriam inprimis, suō consilio juva-
re, aut prudenti administratione sibi devinctam reddere, & immortalē
obstringere beneficio. Quæ omnia cùm ex Politices studio & peritia
in nos redundant bona, neminem fore arbitramur, quin cum Aristotele
optimo Philosophorum & Politicorum Principe Politicam Archi-
tectionicam Dominam & Reginam cæterarum artium atque facultat-
um practicarum in universum omnium agnoscat, laudet, commendet.
Ac equidem singulari hæc Politica scientia dignitate atque præstantia
illectus pereximius atque doctissimus Dn. Respondens, ejusmodi eli-
gere voluit exercitio disputandi Politico materiam, quæ non modò
ad laudatam istam spectaret facultatem, sed & cui tota illa seu fulcro
firmissimo inniteretur. Est fulcrum hujusmodi primum illud Axioma
Politicum: *Omnis ars, omnisque methodus, actio item & pro-
ressis bonum aliquid appetere videtur.* Et proinde dignum, quod pu-
bli, à etiam ventilatione dignemur &c. &c.

PRÆFATIO IX.

Ad Disp. de definitione boni &c.

DE POLITICES UTILITATE ATQVE DIFFICULTATE

QVanta sit Politices præ aliis Scientiis atque facultatibus omni-
bus præstantia, nuperimè fusi sliquando ostendimus, nunc
more solito aliiquid præfaturi, utilitatem ejus cum difficultate
tamen juncta expendumus. Utilitatem quod concernit, multi-
plex

plex ea profecto est, & initio quidem vitam cuiusque hominis seu optima regula & censura dirigit, dum ultimum omnium actionum humanaarum finem, s. nempe B. manifestat. Quemadmodum enim Sagittario cognitionis scopi utilis est & necessaria, quod sagittas dirigat: ita & homini ad actiones recte instituendas perutilis & valde necessaria est cognitionis finis, ad quem omnes referenda sunt actiones, quod simili utitur ipse Aristoteles in hac re declaranda Lib. I. Eth. cap. 1. Hoc probè perspectò, & qualis esse debeat, ut bene vivere queat, & an talis sit, & quomodo etiam talis fieri possit, cognoscit. Deinde latrocinia, adulteria, parricidia, & quævis gravissima scelera impedit, dum ex præmonstrato isto fine docet, quomodo civitates instituendæ, instituta decenter administranda atque conservandæ sint, cuius rei cognitionis si lateret homines, tota vita nihil aliud quam perpetuum foret latrocinium, & pisces ut sepe minutos magnus comedat, ut aves enecat accipiter, dicente Varrone in Menipp. apud Non: Sic etiam in hominum genere validissimi & potentes opprimerent & trucidarent imbecilliores. Amplius insignem usum præbet quoque Scientia hæc Theologo, tunc propriè & absolute sic dicto, qui communiter appellatur Theologus Scholasticus, tunc etiam ei qui dicitur homileticus. Et hunc quidem, ut cognitionam habeat naturam virtutum singularum, ad quarum studium homines hortari quidem in verbo Dei jubetur, ast quæ sit cuiusque natura non docetur. Sic præcipitur hominibus, ut studeant mansuetudini & lenitati, Gal. V. v. 23. Munitientia & beneficiis I. Thess. V. v. 5. temperantia & sobrietati I. Tim. III. v. 2. Tit. II. v. 12. I. Petri V. v. 8. verecundia & modestia I. Tim. II. v. 9; interim in quoniam cuiusque dictarum & aliarum virtutum, aut quæ proximè ad virtutem accedunt, natura consistat, quodnam quilibet objectum agnoscat, id nuspian in Scriptura exquisitè exponitur, sed ex Politica haurire homileticus cogitur. Scholastico autem Theologo inservit ad controversias quam plurimas rectius & clarius enodandas, v. g. si de libero arbitrio, aut imperio Ecclesiastico, aliiisque similibus disputetur, acu rem minimè tangat, si Politices cognitione fuerit destitutus. Denique inservit etiam, & quidem quam maximè, hujus Scientiæ notitia JCTis. Ut enim Physica Medicina fons est, sic Politica Jurisprudentiæ. Unde & recte Cic. Lib. I. de L. L. Jurisprudentia, inquit, non est à prætorio editio,

nec ē duodecim tabulis, sed ponitū ex ipsa Philosophia haurienda est,
& ex hominis natura repetenda, & qui aliter jus civile tradunt, ii non
tam iustitiae, quam litigandi tradunt vias, quoniam lex est summa na-
tio iusta à natura, que jubet ea quae facienda sunt, & prohibet con-
traria. Qvemadmodum itaque vulgo dicitur: Ubi desinit Physicus,
ibi incipit Medicus: ita neque inconvenienter dicere licet: Ubi de-
sinit Politicus, ibi incipit esse Jurisconsultus. Quod major autem est
Politicae dignitas atque utilitas, tanto major ejusdem quoque existit dif-
ficultas, non secus atque alijs juxta tritum proverbium, difficultia sunt,
quæ pulchra sunt. Et quidem difficultis admodum hæc est Scientia,
non solum ratione eaturum rerum, quas ad considerandum proponit,
in quibus si non omnibus, plerisque tamen, tantus est dissensus tanta
opinionum varietas, ut operosum nimis sit, veritatem in iis attingere,
uti jam altunde constat; sed etiam ratione finis, qui non in cogniti-
one, sed actione consistit. Ast quād arduum est agendo statim exse-
qui, quod cognoveris? Certè plerique optimâ rerum honestarum no-
titia instructi sunt, pessimè tamen vivunt. Plurimi de honestis multa
sermocinantur, ast utilia volunt & eligunt, ut & Aristoteles innuit lib.
Soph. El. cap. XII. §. 7. Hinc quoque idem non in juvenes incau-
tos & inexpertos, sed in viros proiectioris jam ætatis & peritia hanc
facultatem cadere dicit Lib. VI. Eth. cap. IX. sic inqviens: *Cujus rei*
hoc argumentum est, quod juvenes & Geometre & Mathematici & ta-
libus disciplinis eruditi sunt, prudentes non sunt. Causa hæc est, quod
etiam in rebus singularibus prudentia veritur, quarum usū compara-
tur. Adolescentis enim usum rerum non habet, quippe quem temporis
longinquitas sit allatura. Sed quanta quanta etiam sit hujus Scientiæ
difficultas, media tamen supersunt, quibus minui, si non penitus tolli
eadem potest. Et quidem eorum non postremum est si Duceat atque
Manuductorem quandam conseqvamur, qui singula, quæ ad Scientiæ
hujus pomoria spectant, decenti ac convenienti ordine ac methodo sit
prosecutus. Ejusmodi autem Duceat meliorem Aristotele repere non
valemus. Hic enim ut aliarum rerum scientiæ insignis, ita in primis re-
rum civilium cognitione illustris est, & optima methodo eandem no-
bis conscriptis. Neque enim tantum scientiæ de prudentia Politica,
sed ipsâ quoque prudentiæ instructus fuit, cum non in umbra sibi so-
lus vixerit, ut quidam ineptientes oggannijunt, sed in aula Philipri Ma-

cedonum Regis octo annos versatus fuerit, Regi consilia suppeditando, Filium autem ejus Alex. M. ut alii ita & hanc Scientia imbuendo. Cujus singularis prudentiae signum & hoc existit, quod, teste Laertio & aliis, qui vitam ejus descripte, centum & quinquaginta octo Rerumpubl. genera collegerit, & posteritati tradiderit, que tamen injuria temporum nobis surripuit. Quid specimen luculentissimum Prudentiae Politicae crebriori usu & experientia sibi acquisita edidit, quando Patriæ suæ Stagiræ, ante à Philippo diratae, post ejus gratia reædificatae, leges condidit, juxta quas illa postmodum est administrata. Quapropter melius facere non possumus, quæ si Ducebimus hunc sequamur, & vestigia ejus gnavoriter premamus in discutiendis rebus ad Politicam spectantibus. Fecimus id quoq; in praesenti nostra, de definitione boni à Veteribus tradita, Disputatione, & ex propriis Philosophi hujus hypothesis non esse eam S. B., sed boni in genere, & quidem verè talis, non apparentis tantum definitionem, quanquam non definitionem aliquam exactam, qualis datur in univocis, sed descriptionem solummodo, bonam interim & minime rejiciendam probavimus. Hæc asserta nostra, cum jam ventilanda demus &c. &c.

PRAEFATIO X.

Ad Disp. de Morte Alexandri M. DE STUDII HISTORICI COMMODIS.

QVanquam non desint, qui nugacissimis & vanissimis ratuculis à studio historiarum imperitiores abstergere laborent: longè tamen rectius & convenientius à pluribus de meliori iuto factis summo in pretio antiquitatibus noritiam haberi extra omnem dubitationis aleam positum arbitramur. Enimvero ut insignem, quod studium hocce præ alia humaniori doctrina omni gaudet, juvunditatem atque amoenitatem siccō, quod ajunt, pede præteream: quippe quæ tā est manifesta, ut in dubium vocari nonnisi à stupido & inertī homine queat; quis est, qui summam ejus utilitatem, imò necessitatē, tum ad vitam rectē instituendam, tum ad scientiam & veritatis cognitionem non ultrō perspiciat? Imò vero nisi peponem pro corde

de habeat, fatebitur historiam ipsius universitatis tabulam quandam nobis sistere, in qua non res modò ab omni ævo gestæ verùm etiam naturæ rerum unò quasi obtutu posteris inspiciendæ proponuntur. Qvum enim per experientiam Astronomiæ, cæterarumque Scientiarum omnium principia hauriantur, quemadmodum inter infinitos alios optimus quoque Philosophorum Princeps Aristoteles docet Lib. I. Prior. cap. 30. §. 5, uniùs autem hominis vita brevissima sit, & finis, iuxta Poëtam, *ab origine pendeat*, dumque nascimur, morti jam incipiamus, extra omne dubium quibusvis in scientiis illorum oportet in subsidium vocari monumenta, qui vel propriâ vel aliorum fide dignâ muniti experientiâ scriperent. Optime hinc Plutarchus historiam materiali & fulcrum Scientiarum appellat in Lib. de Orac. defectu. A quo nec abit Aristoteles, qui singularia per historicam cognitionem observata fundamentum Scientiarum agnoscit Lib. I. Met. cap. 1. Lib. I. Prior. c. 3. Lib. II. Post. cap. ult. Et sanè historiâ sublatâ unde serirent mortales, ccelum primò illò & immutabili motu agitatum, Sollem & Lunam, cæterasque stellas continenter provolvi constanti & aptâ varietate, Deique gloriam noctes diesque perpetuò enarrare? Unde coristaret, terram immobilitatem suam ab initio sibi datam constanter retinere, eundemque ortum & interitum posteris omnibus denunciare? Non minus verò præsidium vitæ nostræ præstat historia. Qvantum enim perpetua sit rerum humanarum vicissitudo, neque ulla in iis certitudo ulla appareat constantia, ut plurimum tamen similia similibus evenire, & parium pares existere eventus experientiâ clarum est; hinc autem quid aliud consequitur, quam eum, qui ex variarum historiarum lectione variorum varios observavit casus, singulorumque eventus suæ firmiter inhæserit memorie, facilius longè & felicius rem propriam gesturum esse, certiusque prospeturum, quid sibi proficuum, quid contra nocivum & damnofum existat. Neque verò dicere quis potest, satis sibi in se uno præsidii esse: quoniam *licet præsenti fruatur letitiâ, de futuro tamen sane mentis nemo certam sibi spem sponsurus est*, ut verbis utar Polybii ante laudati Polyhistoris. Et quid dicemus de insigni virtutum moralium incremento, quod ex frequenti historiarum studio in nos redundat? Historias legere nihil aliud certè est, quam conversari cum iis, qui res istas gesserunt; ex conversatione autem tali egregia illorum facinora meditando similia iis agere, flag-

tia detestandò à vitiis abhorre aseiscimus. Ea quippe est exemplorum vis & efficacia, ut ad agendum facillimò nos excitent negotio. Unde & Aristoteles Lib. I. Rhet. cap. II. orationes alias exemplis, alias Enthymematisbus abundare docens: *Atque ad persuadendum, inquit, non minus valent, quæ exemplis abundant.* Et Sect. XVIII. probl. 3. qværens, cur homines in Orationibus exemplis & fabulis citius commoveantur, quām Enthymematisbus, id inde fieri respondet, quia celestius & facilius per exempla discunt, sic inqviens: *An gaudent (exemplis nempe) quia discunt & celeriter discunt. Atqui per exempla & fabulas facilius discitur. Sunt enim, quæ explorata habeantur, & particularia sint. Enthymema autem demonstratio est ex universibus, qua minus, quam partes novimus. Adbac iū credere magis solemus, quæ plurium testimoniis confirmantur. Exempla autem & fabelle testimoniorum speciem gerunt: fides autem perfacilis est, quam testimonium fecerit. Additur quod verissimile quisque libertius dicit; exemplum autem & fabella rem non nisi similem docent.* H. I. Reclissimè propterea Diodorus Siculus, Scriptor antiquissimus: *Sola, inquit, historia, quicquid pulchrum est & conducibile, scriptione complebitur: Abortari enim ad justitiam, accusare improbos, prædicare bonos, & maximam denique legentibus peritiam addere, quis eam non videt,* Lib. I. Bibl. Hist. cap. 2. Et Cic. Lib. II. de Orat. *Historia, inquit, testis temporum, lux veritatis, vita memoria, Magistra vita, nuncia vetustatis.* H. I. Sapiens Ulysses prædicatur antiquis ideo, quod vafer esset,

Multorumque hominum mores lustrasset & urbes,

Dum sibi, dum sociis redditum pariterque salutem

Apparat - - -

Multò certe sapientior, qui extra periculum, lectione nimis historie se explet. Charybdin ille videt, sed sine naufragio. Sirenes audit, sed sine vinculis. Cum Themistocle in mari, cum Leonide in terra pugnat, sed sine vulnere, cum Agesilaoo trajicit, cum Xenophonte incolumis reddit, amat cum Panthea, venatur cum Cyro, regnat cum Cyaxari, sine labore, sine discriminè omni. Scilicet nullam persentis molestiam propriam, alienos casus sine dolore intuetur, & alienò periculò tutius mercari discit. At quid optabilius hōc ipsō contingere mortalibus potest? Evidēm duo sunt modi, quibus prudentiam

am

am comparare nobis possumus, alter per casus proprios, alter per alios; at quis posteriorem tuitiorem & acceptiorem esse non fatebitur? Magnis sanè correccio ista constat doloribus, magnis periculis; cum per alterum sine ulla noxa, id quod melius est, cernere cuilibet liceat. Benè rursus Polybius: *Sic apud se quemq[ue] statuere oportet, pulcherrimum discipline genus esse ad veras vitæ rationes cognoscendas, peritiam ex historiâ collectam, quæ gestorum veram & exaltam enarrationem continet. Sola namque hac in omni tempore, ac quocunque rerum eventu, nullō tuō incommodō dijudicandi id, quod melius est, facultatem tibi largitur Lib. I. Hist. cap. 35.* Qym itaque tot ac tanta nobis commoda adferat historiarum notitia, non immerito amore illius illectus Pereximus Dominus Respondens pro exercitio disputandi publico historicam banc de Morte Alexandri M. elegit materiam. Cumque eandem hœc die, quod felix faustumque Deus esse jubeat, ad publicam συζήτησιν sistat &c. &c.

PRÆFATIO XI.

Ad Disp. Prior, de Natura & Constit. Politices.

DE

NECESSARIA S. B. COGNITIONE.

Quanquam neminem facile deprehendamus, qui non miseriam omnem exosus, insitô quoddam effervescat felicitatis atque S. Boni desiderio; plurimos tamen veræ beatitudinis portu exclusos tristibus miseriariam adhaerescere scopulis abunde experientia testatur. Cujus rei sicut varias suggerere licet causas, ita non postremam earum quilibet sollicitius rem ponderans hanc agnoscat, quod à paucis, in quo veræ felicitatis ratio constituta sit, recte percipiatur. Enimvero si impossibile est sagittario præpositum ferire scopum, ubi densa præpeditus caligine, suis eum usurpare nequit oculis; quid mirum, si & homini amabilissimam beatitudinis metam attingere non sit integrum, ubi densioribus ignorantia obvolutus tenebris naturam illius intelligentiam suam non fuerit assecutus? *Vivere omnes beatè volunt, inquit Seneca Lib. de vit. beat. cap. 1. sed ad pervidendum quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligant.* Adeoque non est facile con-

sequi beatam vitam. Et Maximus Tyrius insignis Philosophus Platonicus per pulchrò simili rem declarans: Cùm, inquit, omnibus unus sit boni istius amor insitus, non tamen hic magis, quod querit, quam ille consequitur. Sed et qui nocta aurum & argentum querunt, neque lumen habent, quod queritur, dignoscant, sed ex pondere tantum & tactu conjecturam faciunt incertam: pugnis saepe & dentibus inter se velitantur, dum nemo, quod in manu habet, vult dimittere, ne forte habeat, neque a querendo abstinere, ne forte non habeat. Hinc tumultus oritur & contentio, hinc clamores diversi. Sæpe omnes clamant prægadio, & victoriam canunt, tanquam bonum omnes repererint, cum eamen habeat nemo, Dissert. XIX, pag. m. 97. Et ipse propterea Aristoteles, ut beatitudinis reddamur compotes, cognitionem illius requirit, dum Lib. I. Eth. cap. 1. ita ait: *Hujus igitur (cap. beatitudinis) cognitio magnum ad vitam agendum habet momentum, etenim non secus, atque signo aliquo nobis tanquam sagittarii proposito id, quod expetere nos oportet, felicius consequemur.* In quæ verba sic commentatur Eustathius: *Momentum hic utilitatem & auxilium appellat: est autem a lancium translatione sumptum, quibus in ponderibus librandis uti consuevimus: Nam sicut in illis ea, quæ in alteram partem propendunt, levioribus preferuntur, utpote conferentiariis, qui momenta ac propensiones investigant: ita in omnibus, quæ utilia sunt, momentum afferre ad illa dicuntur, ad quæ conducunt. Quam rem ita esse, magnumq; ad vitam momentum finis cognitionem adhibere, sagittariorum similitudine confirmat. Nam si, quemadmodum sagittarii, inquit, scopum habeamus, magis bonum & honestum aſſequi possemus. Sicut enim sagittarii, qui tantum jacint, ad nihilque respiciunt, quod colliment, nunquam in sagittandi peritia boni evidenter; sic qui bene & honeste vivere student, nisi finem aliquem habeant, ad quem studiora suum intendant, boni in agendi habitibus effici nullo modo potuerint, si vero utrisque scopus aliquis ac finis proponatur, ut ad eum operationes suas ac studia sua dirigant: efficietur, ut facilius utrique bonum suum consequantur. Hæc ille prolixè quidem, sed pulchre, & pereleganter. Cùm autem tantum felicitatis atque summi boni cognitio in recessu habeat ad id, ut bene vitam agamus, ac beatitudine ipsa potiamur, sole meridianò inde clarius radiat insigne, quod hominibus confert Politica, emolumentum. Hæc enim tenebras discutit, quibus obvoluta est felicitatis natura, cæque*

que in claram lucem posita præstat, ne mortales pecorum ritu saqvan-
tur antecedentium gregem, pergentes, non quā eundum est, sed quā
itur, neve ad similitudinem atque exempla, sed ad rationem vitam su-
am conforment. Verūm quoniā dubium valdē est atque controver-
sum, an hoc Politicæ conveniat, operæ pretium fuerit, accuratiū in
rem istam inquirere. Non melius autem in cognitionem ejus perve-
nire possumus, quā si naturam ipsius Politices investigemus, quā per-
spetā illicē huic quoque rei sua constabit veritas. Et hāc quoque de
causa ipsam hanc de natura Politices materiam pro disputandi exerci-
tio publico sibi elegit pereximius Dominus Respondens, qui, ubi nunc
eandem publicè dat ventilandam &c. &c.

PRÆFATIO XII.

Ad Disp. Post. de Natura Politices.

DE VERA VERITATIS EXISTENTIA.

Considerationem felicitatis atque S. B. H. non alii, quām Po-
liticæ convenire Scientia, ejusdemque proprium & genuinum
existere finem, nuperrimā in Disputatione evictum dedimus,
discussis simul de objecto laudatæ modò facultatis opinionibus allo-
rum, minus veritati congruis; nunc itaque superest, ut propriam su-
per re ista sententiam aperiamus, & contra insultus aliorum defendamus. Illud in praesenti hac Disputatione nostra præstutimus, hoc autem
nunc effectum daturi, moreque solitō præfationis locō aliquid auditu
dignum præmissū, non immeritō illis occurrere paramus, qui ex-
inde, quōd tam discrepantes de re eadem dentur opinione, scientifi-
cam rerum cognitionem in dubium vocant, & veritatem nullam dari
cum Scepticis atque Pyrrhonis affirmant. Si enim, inquiunt, ullus
existeret mortalium, qui Scientia habitu instructus foret, inque pro-
fundō Abderitæ puteo demersam cognovisset veritatem, unde ergo
numerosa illa opinionum atque sententiarum divortia? Concipia-
mus nobis ingentem hominum multitudinem sitis æstu torridam ovi-
um balantium ad instar in solitudine discurrere, prater spem autem ali-
um aliquem adventare, ipsisque fontem limpidissimā aquā monstra-

re, an

re, an non omnis ista caterva sita usurpata ad unum illum concitatissimō cursu contendet, & aquam avidissimē hauriet? Quid igitur non idem in Scientia atque veritatis cognitione evenit? cūm tamen omnes naturā scire desiderent, & congenitō quodam ad veritatem impetu ferantur, docente ipso Philosophorum Principe Aristotele Lib. I. Metaph. cap. 1. Ita quidem illi veritatis existentiam dubiam atque ambiguam nobis reddere laborant, verū iritō & inani prorsus conatu. Nam ut de infirmitate collectionis hujus à simili petitæ jam nihil dicam: quippe cum similia quidem illustrare, nihil autem probare nemo non fateatur; quis non videret vel ipsam istam similitudinem militare pro veritate atque scientiā? Enimvero vicissim concipiamus, in solitudinem istam non unum modò, sed duos vel plures venire, quorum alius fontem aquæ, alius lagenam mulsum, alius congium vini sitientibus ostendat, an & tum omnes ad unum istum, qui aquam monstrat, percurrenter? Annon contrā potius aliqui relicta aquâ ad mulsum, alii ad vinum exhibitum proterepent? Quid mirum igitur, si nec omnes unius hominis placita approbent, sed alii quidem illi se assident, qui turbidam falsorum dogmatum aquam promitt, alii vero illum sectentur, qui jucundo & facili probabilium ratiuncularum mulso teneriores demulcent, alii denique ei se jungant, qui austерum quidem at solidissimum maximè proficuum veritatis vinum ipsis propinat? An vero opinionum varietatem adeò veritati inimicam putabimus, ut consistere simul nequeant? Imò vero illam huic non parum conferre nemo diffitebitur, si rem soliciūs ponderarit. Scilicet, cūm tantis implicita sit difficultatibus veritas, ut non pauci de eādem penitus desperarent, praesertimimum aliquid remedium præstant ipsa illæ discrepantes aliorum opinione. Quemadmodum enim judex intricatissimam decisurus causam, valde juvatur, auditis ante & ad invicem collatis utriusque litigantium sermonibus atque rationibus: ita quoque veritatis studiosus promptius & felicius verum perspicit, si aliorum præstent opinione, quas unā cum rationibus suis ponderare, & ad invicem comparare, sicutque veram inde sententiam eruere potest. Atq; hinc Philosophus non solum ipse in scientifica rerum, tractatione aliorum in antecessum opiniones examinat, verū etiam tale quid fieri oportere significat, dum sic inter alia ait Lib. I. de anima cap. 2. *Necessitatem considerantes de anima, & de his dubitantes ac ambigentes,*
que

que nos oportet procedentes invenire atque percipere, in medium eorum antiquorum adferamus opiniones, qui de anima tractarunt aliquid & dixerunt. Et lib. XIII. Metaph. c. 1. Cum autem, inquit, consideratio sit, utrum praeter sensibiles substantias aliqua sit immobilia & eterna, & si sit, quanam sit, que ab aliis dicuntur, primo speculandum est. Itemque Lib. III. Metaph. cap. 1. Necesse est ad hanc, que queritur, scientiam, in primis nos percurrere, de quibus dubitandum est. Hec autem sunt, & quacunque de eo aliud quidam existimarent, & si quid ultra hec pratermissam sit. Imò gratias haberi vult etiam iis, qui ruditer solum & leviusculè de rebus scriperunt, quando sic Lib. II. Metaph. cap. 1. ait: *Non solum illis gratia agenda sunt, quorum operibus quis acquiescit, sed & illis, qui superficienter dixerunt.* Nam & haec aliquid adjicunt: habitum enim nostrum exercuerunt. Et Lib. IV. Phys. cap. 1. difficilem esse doctrinam de loco, inde quoque probat, quod nihil à Veteribus de eodem traditum habeat. *Habet autem, inquit, multas dubitationes, quidnam sit locus.* Non enim idem videatur speculantibus ex omnibus, quae insunt. Amplius autem neque habemus quicquam ab aliis, aut ante dubitatum, aut prius traditum de ipso. Hæc cum ita se habeant, quomodo illi ex opinonum varietate atque discrepancia contra veritatem concludere possunt? Imò vero firmum ratumque manet, non tantum dari veritatem, sed & ipsas opiniones de cädem re diversas ad inveniendam veritatem multum utilitatis adferre. Atque hæc etiam de causâ nos in vestigando vero Politices objecto aliorum haec tenus opiniones examinavimus, quæque lydium veritatis lapidem ferre non potuerunt, discussimus, viam nobis parantes ad veram eadē re sententiam eò facilius percipendam. Quam cum in praesenti Disp. posteriori de Nat. Pol., quam ad publicum disputandi actum optimè sibi elegit Pereximus Dns. Respondens, fusiū prosecuti sumus, unicū restat, ut nempe ad stabiliendam firmiusq; animis aliorum imprimendam veritatem, probabili atq; Dialecticā disputacione in utramq; partem fiat ventilatio. Hanc modò, cum invicatis ad eandem pereximiatis atque literatissimis, parim etiam Clarissimis atq; Doct. simis Dominis Interrogatus exsecuturi, ut Nobilissimi Domini Auditores pronas nobis aures, benevolos indulgent animos, summopere contendimus. Hinc vero ad &c. &c.

PRÆFATIO XIII.
Ad Disput. I. de modo Disput.

DE
DISPUTATIONUM UTILITATE.

Quemadmodum nemo hominum communem hanc non experit
ritur fortunam, ut laudetur ab his, cuperetur ab illis: ita
quoque res nulla est tam pretiosa & insignis, quæ licet ma-
gni à nonnullis aestimetur, non ab aliis vicissim conviciorum
svalore confundetur. Non est, ut multa, eaque prolixa huc ar-
cessamus documenta, consideremus modò laudabile pariter atque
utilissimum disputandi artificium, & vel in hoc solo dolendam i-
stam judiciorum pugnam advertemus. Quot ac quanta tot retrò
seculis scommata, quot aculeata dipteria in præclaram disputandi
artem non ejaculata est hominum quorundam temeritas & pervica-
cia? Quam bellè & Doctiorum nonnulli optimum ut aliarum ita
hujus quoque artis Magistrum, Aristotelem perstringere sverunt?
Aliis Thrafo est elatus, in captandâ populari aurâ & applausu uni-
cè desudans; aliis Sophista audit & vitilitigitor, unicam hanc artem
sue potius fraudem suos docens, quam lites gyris inanibus protrahere
ex meridie in serum usque crepusculum, iisdemque incautos illa-
gueare, & à veritatis ponte dejicere valeant. Hunc fructum, hoc-
ce commodum ex Disputationibus redundare plenis buccis decan-
tant. Iis verò adversantes alii, quod magis depresso ab illis dis-
putandi artificium vident, eò ampliori istud laudum encomiò nun-
quam non prosequuntur. Et equidem rectissimè. Enim verò vix
aliud utilius, & ad augendos in omni studiorum genere profectus
accommodatius cogitari exercitium potest, quam sunt moderatae in
utramque partem thesium instituta ventilationes atque disputationes.
His quippe veritas in profundo, juxta Democritum, puto demersa
eò felicius eruitur, dilucidè & breviter explicatur, auditorumque
animis intimè infigitur: His dubia solvuntur, Sophistarum fraudes
deteguntur & refutantur: In memoriam porrò revocantur, & ad
usum accommodantur, quæ multò tempore, plurimisque vicibus
sunt

funt proposita, inculcatā. His tandem efficitur, ut seu aggredi adversarium & veritatis hostem oporteat, strenuè eum dejicere valeas, seu defendere sit necesse, nullis machinationibus à statione dimoverri queas. Hanc quis non in pretio haberet margaritam? Imò verò nihil antiquius, nihil amabilius freqventiori disputandi exercitiō veri semper habuere Musarum alumni. Atque ex hoc etiam capite Pereximius Dominus Respondens non tantū publicum disputandi actum denuò instituere voluit, sed ipsam de vera & genuina disputandi ratione materiam de legit, quam ubi hodierna die, quod felix faustumque Deus esse jubeat, publicæ ventilationi exponit, ut Nobilissimi Domini Auditores aures benevolas, animosque prinos indulgere nobis velint, officiosè rogamus. Hinc verò ad &c. &c.

PRÆFATIO XIV.

Ad Disp. II. de modo disputandi.

DE INIQVO ARISTOTELICORUM CONTEMPTU, EJUSQ; CAUSA: NIMI- RUM DISPUTATORIÆ ARTIS ABUSU.

Quodsi res ulla est, qua in contemptum & vilipendium apud viros quoque doctos Peripateticorum adduxit Philosophiam, primas certè meritò suò obtinet turpisimus Dialectices, nobilissimæ istius quæstionum in utramque partem ventilandarum Scientiæ, abusus. Enimverò cùm optimus methodi, ut in descendendo, sic etiam in disputando, artifex Aristoteles, non modò insinibus eandem complexus sit præceptis, sed honestissimum quoq; in finem, opinionem scilicet de re quapiam alteri ingenerandam ordinârit, accidit nonnullos, in primis Pseudo-Peripateticos, vel Pseudo-Aristotelicos (quales sunt, qui ubi per omnem fermè æatem suam in fœrido Scholasticorum cenno sese voluntarunt, post commodi & lucri causâ se Aristotelis sectatores profitentur, cùm neque legerint, neque intelligant Aristotelem, & nihil minus quam doctrinam ejus sectentur,) tales, inquam, & ejus furfuri similes accidit, præcepta ista negligere, aut pessimum in finem, obrectati-

onem scil. bonorum virorum, & fucatæ sapientia speciem eadem tradere atque usurpare, quod videntes alii, genuinam hanc esse Aristotelis Philosophiam rati, plus quam vatinianò Peripateticos prosequuntur odio, & non nisi malorum omnium artifices opificesque proclamant. Unus ex omnibus documentum ejus rei nobis præbeat Gassendus, vir alias non ineruditus. Hic disserit non modo verbis Aristoteles ex Germanâ Philosophiâ Sophistiken effecisse affirmat, sed & integrâ quadam exercitatione operosis probare laborat. Sed vero, cùm nemini obscurum esse possit, nihil adeò existere pretiosum, & tam intemerata utilitatis, quod noui in perniciem misericordiorum transferat libido, facilè tunc Gassendo, tunc aliis omnibus in Peripateticos maledicis innotescere poterat, non culpandam esse omni seculo laudatam Aristotelis Philosophiam, sed ineptos & nequiores illos Philosophia Aristotelica veteratores atque corruptores, neque vilipendam universam Aristotelicorum sectam, sed eos solum vitilitigatores, qui, ut eò tutius imponant hominibus, honestissimò Aristotelicorum nomine & titulò semetipsos ornant, quorum vanitas & ineptia nihil quicquam derogare possunt laudatissimæ, & omnibus doctis in pretio semper habitæ Aristotelis Philosophiæ, & ejus particula, Dialecticæ. Propria enim hujus èrètice atque functio est disputatio, que cum male à nonnullis & nimis ruditer per nudos & rudes peragatur Syllogismos, placuit haec tenus solidis evincere rationibus, quod Syllogismus Dialecticus, quo mediante disputamus, ex concessis progrederiatur, adeoque questionibus disputare per se quidem & ordinariè cogamur. Nunc alterius modum per quæstiones disputandi speciatim ex Aristotele proponimus atque declaramus. Quam sibi materiam cum elegerit Dominus Respondens, & nunc ventilandam sistat &c. &c.

PRÆFATIO XV.

Ad Disput. III. de modo Disp.

DE DISPUTATIONUM IN THEOLOGIA UTILITATE ATQUE NECESSITATE.

Insi-

INsignem nobis ad Scientiam comparandam utilitateam conferre probabiles quæstionum in utramque partem ventilationes atq; disputationes, hactenus quidem ostendimus; Sed verò, cùm univera Philosophia nostra, adeoque & ipsa disputandi ars, superioribus ancilletur Facultatibus, Theologiaz, Jurisprudentiaz, & Medicinaz, neque in omnibus æquè disputationum usus appareat, in medium prodiere nonnulli, qui Disputationes ceteris quidem prodest se Scientiis, Theologia autem tantum abesse, ut proficua sint, ut potius maxima eidem gignant damna, maxima incommoda, aferuere. Horum sententiam uti nunquam probavimus, qui propterea etiam exemplis Theologicis præcepta disputandi ex Aristotele deprompta, in Disputationibus nostris declaravimus: ita opera pretium facturos nos arbitramur, si præfationis loco nunc illis obviem eamus, & in specie Theologiae quoque proficuas esse disputationes, neque Theologum arte disputandi facile carere posse evincamus. Non tamen solliciti hâc vice erimus de solutione rationum, quibus illi se muniant, sed propriam modò roborare sententiam annitemur. Ac equidem obscurum id, quod diximus, esse nequit, si initio vel ipsum munus atque officium veri & perfecti Theologi consideremus. Exponit nobis illud ipse Apostolus, quando in Epistola sua ad Tit. I. v. 9, ab Ecclesia Doctore atque Theologo requirit, ut sit ἀνατέλλειχός τοῖς αὐτοῖς ἔργοις, h. e. potens ad redargendos atq; convincendos contradicentes: sunt enim, ut ibidem addit, multi subjici nescii, & vaniloqui mentium seductores: οἱ δὲ ἐπιστολάζοντες, quibus oportet os obturare. Jam autem os obturare adversariis, eosque refellere nemo potest, nisi fallaces & veri speciem mentientes ratiunculas, unde verbō, Sophismata eorum solvere & destruere nōrit. Unde etiam Aristoteles ipse duo esse viri sapientis munia dicit, ipsum scilicet non mentiri, & alios mentientes refellere, atque redargere, Lib. Soph. El. cap. 1. Et VII. Eth. cap. 15. non sufficere, ait, verum dicere, aliosque id docere, sed & causam, cur falsa pro veris habeantur, aperire, h. e. falsitatem contrariae opinonis denudare atque discutere. At quomodo falsa refellet, nisi per disputationes aptas & convenientes? Quomodo contrarias & incertas ratiunculas solvet, nisi arte disputandi munitus fuerit, qua omnes technas Sophistarum nobis exponit, ac quomodo iis occur-

cendum sit, manifestat? Qvā igitur veritatis specie Theologiae no-
civas dicere licet disputationes? Deinde verò & hinc usus eacun-
dem in Theologia dispalescit. Mysteria fidei & olim suēridicū-
la gentibus, & etiamnum hodiē ridicula habentur iis omnibus, qui
Scripturam SS. rejiciunt. Sic Lucianus, cum audivisset, vel etiam
in Scriptis quorundam legisset, Christianos unum in Trinitate ve-
nerari DEum, inque ejus nomine jurare, irridebat eos, ita Tripho-
nem suum ludenter & loquentem inducens: *Jurabis mihi DEum
alè regnarem, magnum, aethereum atque eternum, sed Filium Pa-
tri, Spiruum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & tria ex
uno! Hunc tu Jovem puta, hunc tu existimas DEum.* H. I Quo-
modo autem cum his procedet Theologus? Derelinquere eos non
potest, nec debet, quia convertendi sunt; at convertere eos non
potest ex principiis Theologicis, quoniam illa negant, cum iis au-
tem, qui negant principia, non est disputandum, ex illis nempe
principiis Lib. I. Phys. cap. 2. necessum igitur est, ut aliud adhi-
beat medium, hoc autem sunt ipsæ disputationes Dialecticæ ex
communibus principiis, quæ ab ipsis istis hominibus ratihabentur:
ex his enim optimè eos convincere & ineptas corundem ratiunculas
dissolvere potest, dummodo rectam disputandi rationem calleat.
Exemplum nobis suggerit ipse Apostolus. Hic cum Judaeis Scri-
pturam admittentibus agens, ex lege Mosis & ex Prophetis eos in-
struit, cum gentilibus autem v. g. Lystrenibus & Atheniensibus,
ad verum Deum ab idolis eos conversurus, disputat probabili &
communi argumento à pluvia allisque beneficiis, quibus nos DEus
afficit, queque idola largiri non possunt, desumptō, eoque tantum
effecisse dicitur, ut yix potuerit compescere eos, ne ipsi immola-
rent, ut dicitur Act. XIV. v. 15. & seqq. Et amplius, quem fu-
git, antiquos Ecclesiae Doctores freqvemissimas cum adversariis suis
cum gentibus tum hæreticis subiisse disputationes? Qvem latet,
ipsum Salyatorem nostrum in diebus incarnationis suæ cum Phari-
seis atque Sadduceis sapissimè disputasse? Plena certa Disputati-
onum Christi est universa SS. Evangelistarum Scriptura. Atque
hinc etiam S. Patres Ecclesiae, insignibus Dialecticam, unicam di-
sputandi artem, ipsasque disputationes elogiis exornarunt. Cle-
mens Alexandrinus Lib. I. Strom. *Græca, inquit, Philosophia (Di-
ialectica*

alectica potius) non veritatem facit potentiorum, sed debilem adversus eam facit Sophistarum argumentationem, & propulsans dolosas adversus veritatem infidias, dicta est vinea apta sepes & vallis. Et Lib. VI. Strom. Est enim Dialetica velut vallis quidam, ne veritas conculcetur a Sophistis. Basilius quoque M. in Comm. ad cap. III. Esaiæ v. 15. hæc super verba, omnem murum excelsum, ait: *Artis Dialeticæ facultas τεῖχος ēstī propugnandis dogmatibus apprimē opporunus, non sinens facile ea in diversam partem abripi, aut in totum intercipi ab his, qui ea vellent evertere.* Itemque Hieronymus in Comm. ad cap. I. Epist. ad Tit. *Si quis autem, inquit, Grammaticam noverit, & Dialeticam, & rationem recte loquendi habeat, & in ea vera & falsa dijudicet, non improbamus.* Item Lib. XV. in Esa. cap. LIV. *Sed & propugnacula urbis Dominica (Ecclesiæ) hoc est, murorum septa jaſpide roborantur, qui possunt omnem altitudinem, elevantem ſe contra Scientiam DEI, debruere, atque convincere, & mendacium ſubjicere veritati.* Qui ergo in DISPUTANDO fortissimus eſt, ſacrarum Scripturarum testimonia roboratus, iſte propugnaculum Eccleſia eſt. H. I. Abundèigitur ex his conſtat, insignem diſputationes præbere uſum revelatae Theologiae, atque ea propter recte & convenienter à nobis præcepta diſputandi exemplis quoque Theologis illuſtrata eſſe. Qvum autem partem corundem hodiernâ rursus die ventilandam demus, ut Nobilissimi Domini Auditores &c. &c.

PRÆFATIO XVI.

Ad Disp. IV. de modo disp.

DE USU DISPUTATIONUM IN THEOLOGIA.

UBERRIMOS non ſolum in Philosophiam, verūm etiam in Theologiam & revelatam à DEO ſcientiam ex Diſputationibus redundare fructus, nuperrimē rationibus aliquot adstruximus, nunc pro more conſerto aliiquid prefaturi, argumenta contraria, quanquam non omnia, utpote quod temporis atque instituti nostri ratio haud permittit, diſcutere animum induximus. Primo quidem

quidem omnium autoritate contra nos pugnant, & Sanctos Ecclesiae Patres, Dialecticam, quae ipsa disputandi ars est, seu noxiā & perniciōsam Theologiæ, damnare jactant. Ita nempe Tertullianus Lib. de Præscript, aduersus hæreticos, parum ab initio: *Miserum, inquit, Aristotelem, qui illis Dialecticam instituit artificem, struendi & destruendi versipellem, in sententiis coactam, in conjecturis duram, in argumentis operariam contentionum, & molestam, & sibi ipsi omnia retrahit, ne quid omnino trahaverit.* Et Origenes Homil. IV. in Exodi cap. VII. de plagiis Ægypti, serupibus comparat Dialecticam, qui affixerunt Ægyptum. Gregor. quoque Nazianz. Orat. VI. de moderatione in disputando servandâ, sup. med. n. 35. *Syllogismorum Chrysippi solutiones, aut pravum artium Aristotelicarum artificium, aut Platonicae facundie prestigias, velut Ægyptiacas quasdam plagiis in Ecclesiastam irrepserunt, ait.* Verum enim verò quando citati Patres alii fortean plures in Dialecticam tantopere invēhuntur, non ipsam artem Dialecticam, sed abusum ejus damnant, & acerbè devovent. Nimirum gentiles pariter atque hæretici olim abutentes Dialecticā, & Sophistas agentes, Syllogismis contentiosis multum negotii Christianis faciebant, hinc Patres durius de Dialectica loqebantur, non tamen ipsam artem, sed abusum ejus exercantes. Propterea enim Tertullianus cit. I. Dialecticam vocat *in argumentis operariam contentionum & molestam*, id quod non ipsi Dialecticæ, sed abutenti eadem facultati, nempe Sophisticae, compedit, utpote quæ tota in contentione sita est. Et sanè quod de abusu Dialectices citati Patres loqvantur, hinc etiam dispalescit, quod Gregorius Nazianzenus, qui Dialecticam cit. loc. plagiis Ægypti confert, ipsem Dialecticæ gnaviter operam dederit, & egregius fuerit Dialecticus, teste Ruffinô Lib. II. cap. IX. & Socrate Lib. IV. Hist. Eccl. cap. XXI. Itemque Origenes, qui itidem cit. loc. cum serupibus eam comparat, insignis fuit Dialecticus, teste Gregorij Thaymaturgij in Panegyrico ad Origenem, Eusebij Lib. VI. Hist. Eccl. cap. 12. & Hieron. in Lib. de Scriptis Euseb. cap. LIV. de Origene. Neque tantum hi, sed multi alii insignes fuere Dialectici, nimirum Anatolius, Ecclesiæ Laodicensis Episcopus, sub Aureliano Imperatore in Concilio Antiocheno cum Paulo Samosateno congreßus, teste Euseb. Lib. VII. Hist. Eccl. c. 13. Item Didymus Ale-

xandrinus

xandrinus, teste Hieronymo in Lib. de Script. Eccl. c. 109. Rufino Lib. II. Hist. cap. 7. Porro Basilius Magnus, teste Greg. Naz. Orat. XX, in laudem ejus. Et sic conseqventer plures adhuc alii ex S. Patribus Dialecticæ peritiâ claruerunt, qui certè nunquam aliquid opera huic disputandi arti impendissent, siquidem eandem in se & simpliciter damnassent, aut iniuriam atque noxiā Theologo putassent. Proinde sub umbone horum S. Patrum neutiquam sententiæ suæ patrocinium querere illi possunt. Sed nec rationes, quibus eandem muniunt, tanti sunt ponderis, ut sententiam nostram de veritatis ponte dejicere valeant. Sic autem inter alia colligunt: *Rebus, inquit, diversis & rō genere differentibus non possunt idem aptari modi probandi: quemadmodum enim ineptum foret inqualibus pedibus idem aperte calopodium: ita frustra quoque dissimilis generis rebus eundem probandi modum accommodare quis laboraret.* Jam autem res, que tractantur in Theologia, ab iis, quas expedit Philosophia, rō genere differunt, & prorsus sunt diverse, igitur idem modus probandi rebus Theologicis atque Philosophicis aptari non potest, & proinde disputationes, qua sunt ex communib[us] principiis, inutiles sunt Theologo, potestque is optimè artem disputationi ignorare. Verū neutra positionum, unde hujusmodi neunt conclusionem, firmo satis stat talo. Et quidem ut de majori atque priori prius dicamus, vix eandem concederit, qui vel tenuiter est in Philosophia versatus. Enimvero quis coelum & celestia corpora à sublunaribus genere differre ignorat? Quis Deum à naturabilibus omnimodè diversum & totā essentiā distinctum esse non novit? Et tamen in Physica, qua agit de cœlo, & in Metaphysica, quæ tractat de Deo, Aristoteles ipse de rebus Dialectice disputat, antequam Analyticę de iisdem agat, quemadmodum obscurum esse nequit ei, qui libros istos evoluit. Neque miremur necessum est, Dialecticam & rationes atque disputationes Dialecticas omnibus etiam genere diversis aptari rebus: constant enim Loci Dialectici ex ejusmodi terminis, qui in omni Scientiarum genere locum habent, v. g. desumpti sunt à casibus, conjugatis, genere, specie &c. & hinc ipsi quoque in omnibus Scientiis locum habent. Atque in hoc rationes Dialecticæ à Scientificis distingvuntur: ha enim ex terminis propriis uni scientiæ competentibus constant, illæ autem ex communibus

minibus, & cuivis Scientiarum generi competentibus. Possunt itaque loci Dialectici & in Theologia adhiberi, eque iis Disputationes Theologicae institui. Sic e. g. locus Dialecticus est: Genus & species sunt in eodem praedicamento, ex hoc probari potest: signum non esse genus Sacramenti, quoniam hoc in praedicamento actionis, signum in Categorio Relatorum existit, Lib IV. Top. I. §. 5. Item genus non praedicatur de parte speciei, sed de tota specie: hinc probatur itidem, signum non esse genus Sacramenti, quia tantum rei externae & visibili Elemento panis atque vini, tanquam partibus quibusdam Sacramenti inest. Amplius locus Dialecticus est; Sublatâ formâ tollitur ipsum formatum, exinde autem probari potest, quod fides non sit Sacramenti forma, quia licet quis fide non accedit ad Sacramentum, ipsum tamen Sacramentum accipit, quamquam usu & fructu ejus excludatur. Hactenus itaque clarum est, diversis rebus eundem probandi modum ex locis Dialecticis aptari posse. Neque contrarium similitudine istâ à calopodio desumptâ potest probari, quia, praterquam quod similia quidem illustrant, nihil autem probent, loci Dialectici non possunt comparari cum calopodio, eò quod calopodium non potest habere communem aliquam formam cuivis materiae aptam; at locorum Dialecticorum forma ita est comparata, ut apta sit cuivis materiae, quia ex talibus constat terminis, qui in omnibus scientiis locum habent. Sed nec altera, eaque minor hujus argumenti propositio ita simpliciter admitti potest. Non enim unius generis est Theologia, sed alia $\psi\lambda\eta$, quæ de Deo, ejusque attributis atque operibus agit, alia $\psi\lambda\eta$, quæ de incarnatione & morte Christi tractat, alia moralis, quæ de moribus & virtutibus Christianis agit; alia denique mystagogica, quæ Sacraenta expendit. Jam non uniusmodi sunt res, quæ in hisce diversis Theologiæ speciebus tractantur, & proinde dici non potest, quod omnia, quæ in Theologicis tractantur, ab iis, quæ in Philosophia considerantur, genere differant. Initio namque Theologia $\psi\lambda\eta$ agit de Deo; at de illo quoque agit Metaphysica, quæ est pars Philosophiæ. Dein Theologia moralis agit de moribus & præceptis virtutum, quæ Decalogo comprehenduntur; at hæc non differunt toto genere à præceptis morum, quæ in Politica, quæ itidem Philosophia pars est, traduntur, sed eadem prorsus sunt. De-

ca-

252

calogus enim ea continet, quæ lege naturæ jubentur, & hæc etiam
in Politica traduntur, nempe in Politica de moribus. Et differt lex
naturæ à lege Dei, à Decalogo tantum λόγῳ seu ratione, reipsâ
idem sunt. Dicitur lex naturæ, quia omnia naturæ rationali sunt
conformia, quæ præcipiuntur, & aduersa illi, quæ vetantur; Deca-
logus autem vel lex Dei dicitur à Χριστῷ seu relatione ad Deum,
quia Deus ipsam illam legem naturæ autoritate & mandato suo con-
firmavit. Quocirca manifestum ex his omnibus est, rationem ab
iis, qui disputationes penitus ex Theologia removere conantur, al-
latam rem minimè confidere, sed contrâ potius firmum ratumque
relinquere assertum nostrum, quod insignem ex disputationibus, ipsâ-
que disputandi arte, in Theologiam redundare utilitatem diximus.
Edque ex capite optimè fecimus, quod præcepta disputandi Theo-
logicis quoque declaraverimus exemplis. Cùm autem quartam hu-
jus nostra Pragmatica partem hodiernâ luce Pereximius Dominus
Respondens, quod felix faustumque Deus esse jubeat, publicæ ven-
tilationi dare voluerit, ut Nobilissimi &c. &c.

PRÆFATIO XVII.

Ad Disp. de Thesibus Politicis.

Resp. SCHVINDOVIO.

AN DISPUTARE LICEAT DE EO, CUJUS PARS ALTERA EST CON- TRA BONOS MORES.

Disputationem nostram vel primis intuenti oculis mirum videri
posset, qyī tale quid primò omnium locō sub disputationis
revocaverimus inudem, quod tamen alienum esse à Dispu-
tatione Dialectica vel ipse judicet Philosophorum omnium Cory-
phæus. Videlicet cùm inconveniens ille statuat esse Disputatori Di-
ialectico, hujusmodi ventilanda dare problemata, quorum altera pars
moribus bonis adversatur, vix effugere animadversionem putab-
mur, quod de αὐτοχθόνῃ disquisitionem instituere non fuerimus
veriti. Sed verò, si rem paulò uberiùs nobiscum expenderit, neq;

à Philosophi nostri recedere nos doctrina, neque vel minimum commisisse errorem, non poterit eidem non innoscere. Evidet prohibet in quæstionem vocare talia Aristoteles, quorum altera pars bonis repugnat moribus; at neutquam hæc ejus est sententia, ac si simpliciter, & nullò pacto de talibus disputare sit concessum. Enim verò quem fugit, ipsummet Aristotelem in Ethicis de *avroxdeia* disputare? Cui latet, ipsum de communione uxorum Platonica sermonem fecisse in Politicis? An verò ipse propria oblitus est præcepta? An ipse, quod alii dogmatibus suis interdixit, exempli proprio svasit? Absit, ut tam abjectè de tanto sentiamus Philosopho. Non sibi repugnat, non facit, quod in aliis culpat, sed constantiam doctrinæ sua morum integritate nunquam non firmavit. Scilicet non constituant talia per se & suā naturā problema Dialecticum, verū indigna sunt artificiō Dialectici, indeque nec Dialecticus talia per se & primō disquisitione dignatur, sic ut ipse ea primus statuat, aut aliis statuendi occasionem praebeat intempestivā quādam disputatione; atramen si alii non fuerint veriti tale quid asserere, quod bonis adversatur moribus, & impietatem quandam infert, sine omni vitio & morum & artis suæ sub disputationis incedem ea revocat, non ut vel minima veritatis species iis accedat, sed eō fine, ut falsæ & impia sententia argumentis occurriere, inq; auditorum suorum animis opinionem de veritate contraria sententiæ ingenerare valeat. Sic extra omne dubium inhonestæ, & moribus integris aduersa est uxorum communio, quā diversi diversorum uxoribus promiscuè miscentur, indeque à foro Dialectico aliena est hujusmodi quæstio, neque Aristoteles primus talem thesin posuit, inque partem utramque ventilari fecit; sed verò quia asserere, & rationibus statuimare hujusmodi uxorum commixtionem non verecundatus est Plato, quem post secuti sunt alii, hinc problema inde fecit Aristoteles, & discussa Platonis ratiunculâ, pessimam & civitati maximè nocivam esse commixtionem istam uxori in Politica sua demonstravit. Non secus, quia Stoici *avroxdeia* non modò asseruere, sed ut insignia etiam fortitudinis exemplaria *avroxdeas* commendavere, hanc quoque in Ethicis suis libris quæstionem diicussit, & totò cœlō à fortitudine distare *avroxdeia* ostendit. Vestigiis optimi Philosophi insistens Pereximus Dominus

Respon-

Respondens suæ quoque Disputationi quæstionem hanc inserere, adductisque rationibus firmissimis ~~duteo~~^{de} cias oppugnare voluit. Sed verò cùm contraria juxta se posita cò magis clarescant, ut trifitum habet Philosophorum axioma, probationem sententia propria non sufficere ratus, publicæ ventilationi disputationem suam subjicere amavit, quâ adversæ partis sententia proponatur, expendatur, discutiatur. Id autem, quò feliciter effectum dare queamus, ante omnia benevolas à Nobilissimis Dominis Auditoribus aures animosque benignos precamur, dehinc verò ad eos nos convertimus, qui. buscum disputationis hâc vice nobis intercedat communio &c. &c.

PRÆFATIO XIX.

Ad Diff. I. de Natura Rhetorices'

DE ELOQVENTIA VERA ET FUCATA.

Quemadmodum nihil adeò pretiosum, nihil adeò existit pulchrum & sanctum, quin popularium attestatione manuum sordescat: ita quoque nobilissima dicendi facultas profanorum experta ingeniorum corruptelam, fermè subduxit fese, & paucis veram sui imaginem exhibet conspiciendam. Plurimi enim, quantamcumque etiam Eloquentia laudem captent, adulterinâ tamen ejus solùm specie occecati aliis imponunt, vera Eloquentiæ gustum nullum habentes. Cujus quidem rei non unam dare licet causam. Nimirum sunt, qui alios spretis præceptis, neglectâ doctrinâ, laudem in dicendo non exiguum adeptos esse cognitum habentes, Eloquentiam naturæ & ingenii viribus totam conineri existimant, proindequæ studio nihil, nihil arti, naturæ bonirati indoli præclaræ omnia tribuunt, atque sic in frequentissimos temeritatis errores nimium quantum impingunt. Alii contra ad præcepta, quasi ad Sirenum scopulos adhærescent, de exemplorum autem animadversione acque imitatione, de stylî exercitatione, de retum insignium supellecstile præclarâ & lautâ comparandâ minimè sunt solliciti, & hinc vim veram Eloquentiæ non assecuti, & ipsimet emergere

non possunt. Alii in nudis verborum flosculis & pigmentis ætamem omnem terunt, atque sic vix minimam Eloqventiæ partem consequuntur, cum inanis, quin puerilis sit omnis verborum profluuenzia, stolidæ atq; inepta lingvæ volubilitas, si rerum abſit cognitio, si nullis instructa sententiis, antiquitate nullâ, nullis exemplis tincta fuerit oratio. Non pauci, & ii quidem ingeniosis præcellentibus prædicti, singularique diligentia conspicui idem experiuntur, quod viatoribus accidere solet, ubi temerè & inconsulto in iter se conjiciunt, & via ignata Ducem sibi nullum eligunt: hi enim in devia & deserta tandem loca devenientes, magnâ cum molestia, decursô jam spatiō, à calle, quod ajunt, ad carceres redire coguntur. Parili ratione multi insigne ad Eloqventiam comparandam adferunt ingenium, industriam quoque adhibent laudabilem, duce interima destituti inutilia consequantur, & frustra operam omnem, omne tempus consumunt. Ante omnia igitur in adita divina Eloqventiæ penetraturis, ex usu erit ducem aliquem accersere, cuius vestigia tutò infistere valeant. Ducem vero meliorem vix ac ne vix quidem invenient, ac Aristotelem, quem omnium consensu præstantissimi quique Oratores nunquam non commendarunt. Ita enim de eo Eloqventiæ Romanæ Princeps scribit: *Veteres quidem Scriptores artis usque ab Principe illo atque inventore Tyssâ repetitos, unum in locum conduxit Aristocles, & nominatum cujusque precepta magna conquisita curâ perspicue conscripsit, atque enodata diligenter exposuit: ac tantum inventoribus ipsis favoritate & brevitate dicendi præstis, ut nemo illorum precepta ex ipsis libris cognoscat: Sed omnes, qui quod illi præcipiant, velint intelligere, ad hunc quasi ad quendam multò commodiorem explicatorem revertuntur.* Et apud Plutarch. in vita Arift. memoratu digna hac occurunt: *Desinant igitur alij ex infinita sua Aristotelis facundiam metiri. In Aristotele enim perfecta sunt omnia: nam & in literis, quantum nemo alter, elaboraverat, & Poëtas curiosos diligentissime noverat, & totus interdum scaturit verbis, & Oratorem neminem eorum, qui ante se fuerant, praterivit, & precepta dicendi quam exactè teneret, Libri ejus Rhetorici declarant.* H. I. Secuti eapropter & nos sumus famigeratissimum hunc & Philosophorum & Oratorum Coryphæum, inque præsenti nostra de Natura Rhetorices disputatione, ex limpi-
dissimo

dissimo hoc fonte hausta dogmata enucleatiū proposuimus. Qvōrum veritas, ut eō magis constet, nihil superesse videtur, quām ut ventilationē *εἰς ἐκάτερον* singula altius examinentur, dilucidentur, corroborentur. Quem in finem cū presentem instituerit actum disputationum Pereximus Dominus Respondens, primō omnium bencvolam à Nobilissimis Dominis auditoribus solicitamus audiētiam, dehinc verò initium συζητήσεως nostræ facturi ad eundem invitamus &c. &c.

PRÆFATIO XIX.

Ad Disp. II. de Natura Rhetorices.

DE

LAUDE ELOQVENTIÆ.

QVanquam gravissimis nonnulli Reginam insectentur Eloquentiam convitis, & pestilentissimos semper Reipublicæ Oratores extitisse, plenis vociferentur buccis; homines tamen illi, ad vilipendium pretiosissimarum etiam rerum naturæ quoddam abortu nati, si rem intimius ponderare sustinerent, nunquam in absurdam hanc de arte oratoria opinionem devenirent, nedum ineptis hujusmodi vocibus in cultores illius debaccharentur. Enim verò inficias quidem ire neutiquam possumus, aliquos adulterinā Eloquentiæ occēcatos specie, veram ejus vim pervertentes, imperitam ludere multitudinem, ejusque lites privatas alendo & protrahendo maxima ipsi accersere damna Reipublicæ; at fons & origo omnis hujus mali non in ipsam honoratissimam dicendi peritiam devolvenda est, sed abjectissimis istis rabulis & pravis eorundem moribus accepta ferenda. Ars ipsa sancta & bona tantum a est, ut Reipublicæ noxam inferat, ut potius vim admirabilem & propè divinam in stabilità cādem exerceat. Qvæ vis alia colligit dispersos, & collectos arctissimè inter se devincit? Qvæ alia sacrosanctas leges, judicia & jura hominum imprimunt animis, & ad observantiam eorundem debitam refractarias flexit mentes? Non uicq; alia, quām illustris dicendi facultas, quæ in omni semper populo, in omni civitate potentia admirabili dominata est. An verò, si ab inju-

injustitiae administris in scelerum suorum palliamentum rapiatur, si à nequissimis profanitatis sectatoribus perrumpendo legum robori adhibeatur, si denique à turbulentio possessa ingenio civitatum ruinam molietur, an ipsamet, inquam, damnanda, execranda, & ceu pestis Rerum publicarum extirpanda? Abstrusissimos perrepta amplissimi orbis angulos, nec quicquam tam intemerata utilitas invenies, quod non in perniciem maleficatorum transferat libido. Aut igitur omnes è medio artes & scientias etiam præstantissimas tollas, divitias & alia, inermis vita nostra fulcimenta, undis mergas, aut eadem, qua res alias, flexanimamque dicendi artem conniventia excuses oportet. Sed quid soli lucidissimo siderum Imperatori mutuatio facultate lumine frustra succurrere labore? Consideremus Scientias alias, artesque omnes, & oppidò, præter insignia, quæ rebus publicis adfert commoda facultas Oratoria, incomparabilis ejusdem in quavis disciplina oculis nostris sese ingeret utilitas. Frustrane certè est omnis etiam uberrima & profunda rerum cognitio, si id, quod animo condidisti, alitis oratione communicare nequeas: non fecus atque thesaurus in terræ abditis conclusus nemini servire, nemini usum præstare ullum potest. Omnes hinc meritò artium liberarium cultores, in acqvienda utilissimæ facultatis hujus notitia omni tempore gnaviter desudârunt, nec hodienum etiam operâ & industria suâ indignam eandem judicant, quotquot vel Ecclesiæ vel Reipublicæ studiis suis inservire animum inducunt. Illectus quoque singulari artis dicendi usu Pereximus Dominus Respondens, non solum pro scopo eandem sibi proposuit, verùm etiam amore illius ductus, alteram partem nostræ hujus *πραγματείας* de Natura & constitutione Rhetorices typis publicè exscribendam curare, nuncque ventilandam dare voluit. Ut igitur feliciter hoc ejus cedat propositum, ante omnia imploratâ Divini Numinis ope, à Nobilissimis Dominis Auditoribus aures pronas animosque benevolos precamur. Dehinc in communionem operis hujus solicitamus primò loco &c. &c.

PRÆ-

PRÆFATIO XX.

*Ad Disp. III. de Natura Rhetorices.*DE PARABOLÆ ET SIMILL
TUDINIS DIFFERENTIA.

ORatorem ad fidem faciendam civibus duo præcipue adhibere argumentorum genera, Enthymemata nempe atque Exempla, haec tenus evictum in Disputatione 2. de Natura Rhetor, dedimus, & primum illud genus abundè explicavimus. Nunc ulterius pedem promoventes in disputatione, quam hodiernò die ventilandam suscepimus, alterum genus, exemplum nempe, adversus dissentientium tela defendere suscepimus. Duplex autem est exempli species, alterum enim in vera fundatur historia, alterum in fictione consistit; & hoc rursus duplēcē subit differentiam, dum alterum fabula, alterum parabolæ nomine insignitur. De parabola, quā sèpissimè ipsum Salvatorem nostrum, in his ubi diceret terris, usum esse, constat, pauca nunc præfaminis loco dicere juvat. Scilicet vix inficiatus quis fuerit, parabolam esse similitudinem quandam, seu constare aliquā similitudine, vel collationem atque comparationem quandam comprehendere: singitur enim similis aliquis & proprio instituto accommodatus casus, & ad illud exprestē accommodatur, unde & Justinus Martyr lib. Quest. & Responf. ad Orthodoxos Refp. LX. Torn. III: *Parabola*, inquit, est omnia rei ficta, at eam que futura est, similitudine complettens; at tamen eapropter coincidere eam cum similitudine vel comparatione atque assimilatione neutiquam putandum est. Enimvero omnis parabola strictè sic dicta (latius enim interdum & eō nomine venit quavis similitudo) consistit in fictione, & ab eo desumitur, quod quidem esse potest, aliquando etiam actu sit, determinata tamen veritatis non est, neque præcisè eō tempore & modō, quod refertur, factum est, indeque inter species exempli ficti recensetur. At similitudo vel comparatio latius se extendit, & de illa quoque collatione dicitur, quæ desumitur ab eo, quod revera ita se habet, prout esse dicitur, seu ab eo, quod revera est, & sine ulla fictione.

M m

propo-

proponitur, imò hæc speciatim & καὶ ἐξοχὴν similitudo dicitur, & parabolæ contradistinguitur, v. g. similitudo in specie & strictè sic dicta est, quando Christus Marc. XIII. v. 28: *A sicut verò, inquit, discere similitudinem.* Cùm ramus ejus jam tener fuerit, produxeritq; folia, scitc, quod prope sit astas: sic & vos, cùm hec fieri videritis, scitote, quod propè sit in foribus. Item, quando Matth. XIII. 47. ait: *Simile est regnum Cœlorum reti jacto in mare & ex omni genere contrahenti, quod cum impletum est, subducunt in latus, & sedentes colligunt, que bona sunt, in vase, que verò mala, foras abhiciunt. Sic furorum est in consummatione Seculi: venient Angeli, & segregabunt malos de medio justorum, & mittent eos in tamquam ignis, illuc erit ploratus & stridor dentium.* H. I. In his quippe ea, quæ comparationis fundamentum constitunt, in rei veritate ita se habent, nullaque fictione modificata, sed nude, uti sunt, proponuntur. His de parabola prefationis gratiâ præmissis, ad ipsum principale nos institutum nostrum accingimus &c. &c.

PRÆFATIO XXI.

Ad Disp. IV. de Natura Rhetorices.

DE ARTIS RHETORICÆ, PRÆ NATURALI FACUNDIA, PRÆSTANTIA.

Esse, quos èa mentis acie instruxit natura, ut oratione quidam alteri citra præceptorum artis cognitionem persuadere valeant, tantum abest, ut inficias ire liceat, ut potius ipsa experientiâ quotidiana id manifestum esse fateri quisque cogatur. Sed verò an naturalis ista dicendi facultas arti præeat, ac naturali facundiâ prædicti, artis beneficio eloquentibus præferri queant, de eo haud immerito dubitatur. Sextum Empiricum si respiciamus, ille artem non modò inferiorem naturâ judicat, sed & ipsam communiter habitam artem nullam esse, & planè artem dicendi non existere, sed potius omne, quod arti tribuitur, naturæ esse transcribendum existimat; At verò, ut in Disputatione prolixissimè posterius hocce illius assertum refutavimus, ita non possumus, quin negemus

negemus in totum & prius illud, nempe facundiam naturalem Eloquentiae artis beneficio obtentæ præire, & eos, qui naturali facultate instituti dicunt, iis, qui artium præceptis invigilant, præferendos esse. Neque verò illi roborando quicquam inservire potest locus ille Philosophi ex lib. III. Top. cap. IV. quò naturalia præstare artificialibus dicuntur, quoniam locus iste non simpliciter procedit, neque de arte omni, sed quadam modò est accipiendus. Scilicet in dupli artes existunt differentiæ: alia quidem naturæ sunt imitatrixes, atque æmulæ, opus à natura pulcherrimè productum adumbrare nitentes, simulacrum quòdam artificiali, veluti pictoria, quæ instrutus pictor formam viri aut foeminae alicujus in tabulam transfere, aut etiam herbas, stellas, resque alias in iconæ atque imagine quadam sistere laborat, itemque statuaria, quæ in marmore effigiem humanam exsculpere querit, & sic consequenter; alia verò sunt naturæ perfectrices, quæ potentiam aliquam naturalem perficiunt, & in melius provehunt, qualis est v. g. ars saltatoria, quæ commodam pedum dispositionem à natura homini suppeditatum ad choreas ducendas perficit atque præstat, ut homo is, qui natura saltat, benè & cum delectatione spectatoris saltet: item ars Dialetica, quæ facultatem naturalem differendi in homine ita perficit, ut benè atque accommodatè ad opinionem alteri ingenerandam disputare valeat, & sic porro. Jam de artibus quidem prioris conditionis ab iisdemque manantibus operibus, verum est, quod naturalia iis præeant, quia tantum similia sunt naturalibus opera ejusmodi artium, non autem eadem exæquare possunt; at posteriores è contra artes præeunt naturæ, & quæ arte ejusmodi instrutus est, sine dubio præferendus illi, qui nudò naturæ beneficio aliiquid præstare potis est, quemadmodum vel ex modò dictis patet. Talis verò ars est & Rhetorica, nempe ars non imitatrix, sed perfectrix naturæ, perficiens naturalem in homine dicendi facultatem, ut benè & ad fidem faciendam accommodatè de rebus sermocinari valeat. Non igitur naturalibus dicendi viribus postponi potest, sed iisdem è contrario multum est præferenda, & proinde operam inanem minimè consuupturi sumus, si de natura hujus artis adhuc ultimam, quæ supereft, Disputationem publicâ nunc ventilatione dignemur, quæ ut ritè peragatur, &c. &c.

M m 2

PRÆ-

PRÆFATIO XXII.

Ad Disp. Prior. de Natura Metaphysices.

DE SUMMA HOMINIS PERFECTIONE, QVAM IPSA METAPHYSICA CONSTITUIT.

IN cognitione Supremi Numinis summam consistere perfectio-
nem atque felicitatem mortalium vix amplius sub dubitationis
aleam quis revocaverit? Enimvero, cùm entia reliqua omnia
niſu omni Conditorem suum æmulentur, tanquam primum, à quo
pèndent, principium, & ultimum, ad quem tendunt finem, solus
certè homo tam degener futurus non est, ut in similitudinem DEI
sui non maximè omnium emitatur. At quā ratione eò pertingat?
Cæteræ quidem animantes, quò magis easdem natura abjecit atque
conditionis infelicitas, eò minùs ad originis suæ perfectionem pene-
trare valent, & vel unicà generatione speciem suam perennem redi-
dituræ, qualiquali æternitatis participatione frui videntur; homo
vero è ceteris perfectissimum animal, non generatione, quæ cor-
poris est, sed alio nobiliōrī longè mediō in ipsius divinitatis confor-
tiūm sese asserrere potest. Quodnam verò hoc? Non ars, non pru-
denzia, non ad virtutis normam instituta actio: hæc quippe omnia
in DEum non cadunt, cùm omnia sint conjuncta cum deliberatione,
illa quidem sunt habitus deliberativi, hæc verò ex proæteri pro-
ficiens operatio, quæ est ἔρεζις βολευτική seu appetitus deliberati-
vus; deliberatio autem non niſi rerum fortuitarum est, quarum
eventus ignoratur, atque in dubio positus est; at quid Deo esset
incognitum, cui omnia non præterita modò, sed & futura sunt
præsentia? Qua de re deliberaret, cum nihil sit, cuius eventum jam
ante non nōrit? In quo dubius ille hæreat, atque anceps, qui
rēs omnes nutu suō moderatur, & vel cogitata cordis nostri habet
perspectissima? Quid igitur tandem erit, quod bearē hominem
votō hoc queat, cum nec arte, nec prudentiā, nec actione secun-
dum virtutem potiri eodem valeat? Non aliud certè, niſi ipsius Dei
contemplatio, in qua propria ejus vita consistit: se ipsum quippe
contem-

contemplando vivit & vivendo se ipsum contemplatur. Deum igitur contemplando similes DEO redduntur mortales? Ut enim similis alicui evadas, ea consequaris necessum est, quibus alter instritus est bonis. Ut Filius Parenti pio existat similis, ipse pius sit oportet, ut foemina viri generositatem exaqvet, ipsa spiritus generosus alat necessum est. Ut imago exemplaris similitudinem exprimat, lineamenta ejus omnia affabre eidem indat manus pictoris oportet. Ut itaque & ad DEI similitudinem accedas, vitam ipsius vivas, requiritur, & proinde cum haec in contemplatione ipsius Dei sita sit, sola utique contemplatione Summi Numinis assimilari eiusdem poteris. Propositam sibi contemplationem hanc habet Metaphysica hoc ipso ex capite omnium Scientiarum nobilissima, facultatum omnium Domina atque Regina eminentissima. Haec perfectione summam hominem beat, haec ad conditionem immortalem mortales extollit, hac ex homine DEum facit. Ingenti hujus Scientiae dignitate atq; præstantiā illectus Pereximus Dominus Respondens publicum suorum laborum in studio haec tenus Philosophico, summo cum studiō exantlatorum specimen editurus, non aliam sibi eligere voluit materiam, quam de ipsa natura nobilissimae hujus Scientiae, vel hoc ipso innuens, se non de grege illorum esse, qui studia sua ad vanam ostentationem aut aliud opus carnis directa habent, sed eorum albo nomen suum dedisse, qui finem omnium laborum omnisque cognitionis sua præfixum sibi habent ipsum DEum, ejusque contemplationem atque venerationem, quæ & scopus est ultimus totius Philosophia Peripateticæ. Gratulamur ipsi eapropter meritō, & clementissimam Divini Numinis assistentiam, ut in cæteris, ita præsertim in hoc negotio publico appreciamur, ac ut felicissimè & ex voto id nunc succedat, ante omnia supplici DEUM mente oramus, ut suō S. Spiritu nobis adesse velit, nobilissimos autem Dominos Auditores, ut aures pronas, animos præbeant nobis benevolos officiosissimè rogamus. Dehinc verò ad eos nos convertimus. &c. &c.

M m 3

INDEX

INDEX RERUM

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Numeri, quibus litera P. est præfixa, denotant paginas Proæmii.

A.

Academica philosophia à Platone ortum dicit 204.

Accidentis non satis congrua appellatio est Ens in alio. 81. definitur ibid. Accidens unum prædicamentum constitutere non potest 82. non omnne predicatur in quale 83. accidentia habent proprium esse; & sua iterum accidentia 107. accidentia omnia inhærente subiecto falso 108.

Actio & passio non constituunt unum prædicamentum mortis 88. non differunt realiter; agere & pati faciunt prædicamenta; non commode ad relationem reducuntur 91. actio alia irmanens alia transiens 157. alia reciproca alia non; alia speculatio alia actio 158. de actione & passione cur Aristoteles junctim tractet 157. ratione inter se saltem differunt 157. alia realis alia intentionalis, alia perfectiva alia destruktiva 158. non omnia verba activi generis ad actionem

pertinent 159. Eiusdem Consecraria duo 159. non omnes actiones & passiones recipiunt contrarietatem 159. neque omnes magis & minus 160.

Acroamaticorum & Exotericorum scriptorum qualis stylus P. 4. quænam differentia P. 6. hanc divisionem scriptorum testantur antiquissimi Authores P. 9. Alexander M. reprehendit Aristotelem quod Acroamaticos vulgaverit libros P. 10. 11. respondit illi ita vulgatos esse quasi non vulgati P. 10. 11. quænam scripta ita ex mente Auli Gellii dicta P. 11. matutino tempore tradidit acroamat, vespertino exoterica P. 11. aliis illa aliis hac ibid. 12. acroamatica vocantur ἀντηργάσωπα P. 11. triplicis sunt generis ratfone materie P. 12. cujuscunq; generis scientias in acroamaticis & exotericis proposuit P. 13. hinc ratione materiæ simpliciter, inter eos nullum discriminem P. 14. differunt tamen respectu finis Cuius &

cui

ET VERBORUM.

cui P. 15. ratione modi tractandi P. 16. & ratione dictoris 17. peculiaris Eustatii recensetur Sententia discriminis Libr. Acroamat. & Exoter. P. 16.

A draſtus à Simplicio vocatur vir præcipuus & famosissimus inter peripateicos 45.

Ægyptii philosophiam suam occultarunt ænigmatibus & symbolis P. 18.

Æliano cur fides deroganda 225.

Æquale & ina quale dicitur proprie & impropriè 128. ea recipere magis & minus Aristoteles non ex propria sed vulgari assertit sententia 130. revera non recipiunt magis & minus ibid.

Æquivoca vid. Homonyma. Quid intelligatur per æquivoca æquivocata & æquivoca æquivocantia 7.

Affectiones communes earum rerum, quæ secundum prius & posterius dicuntur non dantur, sicut nec earum univoca definitio 52.

Alteratio quid 180. an à reliquis motus speciebus sit distincta? affirmatur 181.

Amare est pati 154.

Ammonius notatur propter Categorias actionis & passionis hand recte verbo videre & videri explicatas 77.

Analogia male à Scholasticis confunduntur cum communibus ab uno 19. sunt ipsis triplicia proportionis, attributionis & inæqualitatis *ibid.* Analogia non possunt in eadem scientia traxari nisi per accidens 20.

Analyticorum libros 40 tradit inventos esse Ammonius in Bibliotheca Alexandrina P. 2. Libros Analyticos extantes, si perdeſti fuerint, non posse restituſ Judicat Monlorius P. 7.

Animal. Libri de Animalium Historia immerito à Simplicio Exoteris annumerantur. 20.

Aristotelem esse Authorem genuinum Lib. Categoriarum assertur P. 1. duplicitis generis libros conscripsit exotericos & acroamat. P. 4. qua de causa quandoq; falsa assumat, postmodum ea rejiciens P. 6. sub eius nomine olim circumferabantur Libri ut majus pretium illis accresceret P. 8. Ejus Libri ab Andronico sunt recogniti & in ordinem redacti P. 8. Editiones illius quomodo varient P. 18. de quibusdam libris an Aristotelis fuerint adhuc sub judice lis P. 19. Per 2000 annos doctis in deliciis fuit 184. alios philosophos non contemnit sed eorum dogmata inquirit 188. gratias illis

INDEX RERUM

illis agit si superficietenus etiam rem tractarint 189. veritatem amicis præfert 189. statuit satius esse dogmata propria veritatis tuncendæ causa evertere quam defendere *ibid.* docet non dubitandum de iis qua sensibus, omnibus requisitis gaudentibus, percipiuntur, neque de iis qua intellectus illicet vera esse percepit 190. Ejus Logica eur a novellis rejicitur 191. adversari illum variis calumniis immerito insectantur 202. Tempore Reformationis in Academiis Germanorum certis statutis doceari jussus 212. illum non opinatorem sed scientificum doctorem fuisse probatur 214. ordine progreditur in scientiis speculativis practicis & effectivis 215. veram sententiam exactè tenet, & falsam quoque accuratè novit refellere 215. Simplicius ejus demonstrationibus ingentem vim inesse testatur 216. Nemo felicius Aristotele scientificam res tractandi methodum docuit 216. Author ad Herennium ipsum omnibus scriptoribus in docendo præfert 216. negatur Aristotelem Veteribus Philosophis injuriam intulisse 219. Veterum potius bendicta estimat, extollit & pro inventis gratias habet 221. Methodum disputandi de re quavis ex probabilibus primus invenit 221

methodū demonstrandi quoq; primus invenit 221. negatur Aristotelem sua dogmata exscriptissim 222. falsum est eum Veterum libros combusuisse 222 Platonem sexaginta locis refutat 223. negatur illum fuisse in Platonem ingratum, & scholam adversus hunc aperuisse 224. modestum se exhibet in refutatione Platonis 226. Fattendum multa ex scriptis præsertim poliiicis interiisse 228. Aristoteles morti proximus rogatus, quid ægrè ferret? Resp. quod totam philosophiam non absolvisset 229. quare veteres peripatetici nullos ediderint comment. in Arist. 229. propter defectum quandam scriptorum Aristoteles minimè rejiciendus 229. quam modestè sua inventa extenuet 230. in aula Philippi Reg. Maced. octo annos versatus est 242.

Ars in dupli est differentia vel imitatrix vel perfectrix 267. inde patet quis sit sensus dicti: naturalia præstant artificialibus. *ibid.*

Aspera definiuntur 153.

Augmentatio quid 180.

B.

Beatam vitam consequi cur adeò facile non sit 245. beatitudinis ut reddamus capaces requiritur ejus cognitio 246. Bo-

ET VERBORUM.

Bonum inter & malum an detur medium 171. Bonum & malum quo sensu dicantur summa esse genera, Boni summi desiderio quilibet effervescit 245 seq.

C.

Carthesius autor philosophiae Carthesiana; Scepticorum somnia ex orco revocavit & deteriora iis commentus est 205.

Casauboni Editio Aristotelis Averianensis præstat Lugdunensi & quibus de causis P. 18.

Categoriarum Liber Aristot. habet Authorem P. 1. Categoriarū libri duo inventi sunt in Alexandrina Bibliotheca P. 2. illarū inventor Archytas celebratur P. 5. dividit lib. Cat. in tres partes 1. illarum propriam sedem in Dialectica esse probatur 36 seq. dupliciter considerari possunt vel physicè vel logicè 35. 36. quomodo ad metaphysicam & alias scientias quoque spectent 36. Categoriarū præstant aliquem usum ad Analyticā cognitionem 44. inde tamen non sequitur illas spectare ad Analyticā 44. Alexand. Aphrod. Librum Cat. vocat principium tractationis logicæ 45. Adrastus illum librum ante-Topicum inscripsit. ibid. non obstat quod Aristoteles de Categoris agat in Me-

taphys. aliter enim de iis tractat Dialecticus aliter Metaphysicus 40 50. 54. refellitur Antonius Bernh. Mirandulanus docens: de Categoris eodem modo in logica & metaphysica tractari 49. licet species Categoriarum in Dialectica & affectiones earum afferantur, tamen non accuratius hic quam in Metaphysicis tractantur: solvit alia objectio Tractationem Categoriarum ad Dialecticam non pertinere 54. alia solvit objec-
tio à notionibus desumpta 55. alia à modo essendi & prædicandi 58. tandem solvit argumentum: Categorias ad nullam prorsus spectare scientiam 60. Categoriarū sunt certæ figuræ prædicationis 66. Earum subjectum est substantia singularis 67. prædicabilia à Categoris quomodo differant 67. Definitionis excusat genus metaphoricum ibid. Definitio Categor. non est strictè sic dicta & univoca sed descripicio sicutem & quare 68. singulæ Categorie secundum prius & posterius dicuntur 69. 115. refellitur Neotericorum definitio 69. seq. ex illa Porphyrii arbor promanavit, quæ refutatur 71. de numero Categoriarum diversæ veterum extant sententiae 73. 74. probatur numerus denarius 76. aliae sunt principales aliae minus principales 77. minus prin-
cipales

N n



INDEX RERUM

cipales Archytas mixtas cur appellariit 78. refutantur adversariorum sententiae & primò qui unum constituunt prædicamentum 78. seq. illorum qui duo 79. seq. divisio Categoriarum in ens per se & ens in alio adæquata non est 82. solvitur objecatio , quod accidentis licet varium sit, tamen unicum prædicamentum constituere possit 82. seq. licet genus de aliis in quid prædicetur quam species, manet tamen una categoria Substantia 83. refutantur illi qui tres saltem statuunt Categorias 87 refutantur illi qui novem fingunt 87. Duplex est sensus quando dicitur: Categoriarum divisionem esse realem & entis realis 89. Categoriae cur in infinitum augeri non possint 90. seq. refutantur qui undecimum prædicamentum fingunt 94. illi ineptè interpretantur Aristotelem 96. una eademque res ad varias Categorias referri potest 154.

Cogito ergo sum, nullum planè est principium philosophicum 191. Communia ἔργα ἐν τῷ αὐτῷ ἔργῳ quænam dicantur 6. cur corum tractatio sequatur tractationem synonymorum 13. vocabula vel communia ab uno quid 14.

vocabula ad unum quid *ibid.* illa Ammonius recte distinxit 14. Aristoteles sèpè promiscuè ea usurpat, describit ea, quod per prius & posterius ita dicantur 15. alibi tamen ritè quoque distinxit 15. sèpè vocab. ab uno cum vocab. ad unum coincidit 15. non sunt simpliciter sed quodammodo saltem æquivoca 16. neq; sunt strictè sic dicta synonyma *ibid.* quædam eorum proprius ad naturam homonym. quædam ad synonym. naturam accedunt, quædam quasi media inter hæc sunt 17. seq. quæ proprius ad synonym. accedunt, in genere definiuntur; qua ad æquivoca accedunt, vel in primaria specie definiuntur, vel per enumerationem partium exponuntur; quæ media sunt naturæ distinctionis definitionibus explicantur 18 seq. Scholastici communia hæc confundunt cum analogis & refutantur 19. in illis definitionibus quomodo procedendum 102.

Consequens. Non statim quod consequenti inest ipsi rei inest 129.

Contradixisse viros doctos sibi experientia testatur P. 5. 6. Contradictiones dantur in Libro Categoriarum tum apparentes tum vera *ibid.*

Con-



ET VERBORUM.

Contraria an magnum & parvum sibi sint? 126. &c. idem sibi ipsi contrarium esse non absurdum 127. Contrariorum definitio Pselli rejicitur & melior insinuat 168. Contraria non sunt uniusmodi 169. examinatur alia definitio Contra riorum generalis 169. alia sunt mediana alia immediata, medium Contrariorum duplex est, alterum participationis alterum negationis 170. media Contra vel unum vel plura habent media, alia ha bant medium nominatum alia innominatum, Contrariorum. Confectaria 176.

Corpus quid 119. suo modo ad prædicam. Substantiæ referri potest *ibid.* cur corpus inter species quantitatis referatur, cum sit substantia *ibid.*

Corruptio quid 180.

Cynicæ philosophiæ author est Antisthenes 204.

D.

Defectus in Aristotele quales den tur 228. seq. eos ipse agnovit 231.

Definitionis voce non accurata in telligitur semper definitio 3. singulares substantiæ accurate non possunt definiri 4.

Dæliberatio est rerum fortuitarum 268.

Democriti scripta Epicurus longè post Aristotelem legit, quod & Cicero attestatur 223.

Demonstratio est proprium Ob jectum analyt. 46.

Densa definiuntur 153.

Dialecticæ inventionem & con summationem Alex. Aphr. in Aristotele extollit 231. Dia lectica S. Patrum Testimonio non nocet sed prodest veritati Theologicæ 255. Dialectica taxatur à Tertulliano, Origene, Gregorio Nazianzeno, verum non artificium sed abusus illius 256. ratio cur patres durius de Dialectica loquuntur 256. Ipsi patres egregii fuerunt Dia lectici 256. Loci dialectici quomodo utiliter in Theologia adhiberi possint docetur 258.

Aixotropia reji. itur 72.

Differentiæ Constitutivæ essentia les sunt; divisivæ generis acci dentia sunt & non essentialiter de eo prædicantur 28. non est ipsum genus 79. simpliciter spectata, in omnibus sunt præ dicamentis 97. differentiæ hoc commune habent cum substantiis quod non sint in subiecto more accidentium 110. eas quare Arist. excluderit ex præ dicam. Substant. *ibid.*

Diminutio quid 180.

Diogeni Laërtio cur fides quan doque

N n 2

INDEX RERUM

doque deneganda 225. de illius Historia Philosophica judicium Francisci Patricii *ibid.*
Discretum natura prius, Continuum natura posterius 52. 69.
Dispositio quid 146. dispositio & habitus quomodo differant 146. non constituant diversas species, sed unicam tantum quantitatis 147.
Disputandi artificium à nonnullis culpatur 250. hinc male apud quosdam Aristoteles Inventor Dialectices audit *ibid.* Ejus variæ recensentur utilitates 250 malè per nudos peragitur Syllogismos 252. Disputationes Theologæ proficua esse ostenditur 253. negantes refutantur 256. 257. cum negantibus principia non est disputandum verum non planè, sed saltem non ex illis principiis 254. Hoc nomine Tertullianus taxat Aristotalem quod dialecticam tradiderit 256. quis sensus sit dicti Aristotelici: de iis quæ sunt contra bonos mores non esse disputandum 260.
Domus est proprium Objectum Oeconomics 46.

E

Editiones Aristotelis quamnam optimæ & præcipue commendentur. P. 18.
Eide vel specie differre idem

quandoq; Philosopho est, ac λόγῳ vel definitione differre 29.
Eloquentia non solis naturæ & ingenii viribus absolvitur 261. nec solis sufficit præceptis adhaerescere; non consistit in verborum lenociniis & pigmentis; Duce destituti legitimo multi ad eloquentiam non perveniunt 262. Aristoteles optimus ad Eloquentiam dux 262. Illum summopere laudavit in hoc genere Cicero & Plutarchus 262. propter abusum non est reprehendenda 263.
Ens non potest esse Genus Communis omnium Categoriarum 78. seq. Ens per se quid 79. Ens rationis quadrifariam dicitur 94. Ens rationis non novum requirit prædicamentum *ibid.* Ens rationis non dependet à solo intellectu 95. 96. non est verum genus substantiæ 106.
Esse in alio quot modis dicatur 102 esse in subjecto non uno modo dicitur 106.
Ethica & Politica gravioribus contradistinguuntur disciplinis 15. Exemplis homines cur facilius moveantur quam Enthymematis 244. Exempli species duplex 265.
Exoterica. vide Acroamatica. In Exotericis multa turbare Aristotalem

ET VERBORUM.

stotelem docet Cicero P. 13.
illi accedit Alex. Aphr. P. 14.
Exotericis scriptis quinam libri
Aristot. annumerandi P. 13.
seq. In Exotericis pricipue de
rebus moralibus & politicis egit
& quare P. 14. Libri de Historia
Animalium exoterici non sunt.

P. 20. F

Fallacia figura dictionis committitur, si diversa Categoriae confundantur 42. etiam si diversæ species Categoriae Ejusdem commisceantur, *ibid.*

Fide vera instructus tamen gratia
Dei excidere potest 40.

Figura propriæ quid 68. ex Geometria ad alias scientias est
translata 68. solvit objecio
quomodo figura ad qualitatem
referri possit, cum tamen
alibi quantitatibus subjiciatur 152.
forma & figura simul constituant
quartam speciem quantitatis 152. & 153. Forma à figura
quomodo distingvatur;
forma & figura alia naturalis,
alia artificialis 153.

Flavius Vopiscus ita vixit, ut de illo
Aurelianuſ dixerit, eum non
ut vivat, sed ut bibat natum esse
238. G

Gassendus pessimus Aristoteloma-
stix 203. ex Ramo perfectio-
nem se consecutum esse dicit
208 probaturus contra Aristot-

telem non dari scientiam ineptè
concludit 208. & refutatur
209. seq. Sensus esse fallaces
jejunè per simile probat 210.
Aristoteli tamen alibi summam
laudem tribuit 218. Invehitur
in Aristotelem, quasi omnia sua
ex aliis exscripterit 221. refu-
tatur *ibid.* Cum patricio ingra-
titudinis Aristotelem erga Pla-
tonem accusat 224. & refuta-
tur *ibid.* seq. Conqueritur de
defectu Operum Arist. 228. Immerito clamat sibi liberta-
tem philosophandi ademptam
234. Libertas, quam crepat
Gassendus, nihil aliud nisi pru-
ritus insolens contradicendi est
234. dicit sibi nihil adeò un-
quam arrissime quam incompre-
hensibilitatem Pyrrhoneorum.
236. Contradictionibus variis
se involvit 236. calumniatur
Aristoteles ex germana philo-
sophia Sophistiken effecisse 252.
Genus eodem modo atque species
in quid prædicatur 83. Genera
sunt triplicia, quædam neq; sibi
invicem sunt subalternata, neq;
sub aliquo tertio continentur,
quædam sunt subalternata, quæ-
dam sub uno quodam tertio
continentur 28. diversorum ge-
nerum diversæ sunt differentiae
diversorum generum eadem
quoq; possunt esse differentiae

INDEX RERUM

28. seq. Scotti explicatio hu-
jus regulæ refellitur 30. seq.
Genera subalterna aut strictius
aut latius sumuntur 32. subal-
ternorum generum eadem sunt
differentia tam constitutiva
quam divisiva 33.
Generatio definitur. 180.

H.

Habitus incommodè ad substanti-
am refertur 87. Habere & ha-
beri cur diversa non faciant
prædicamenta 92. Haberi con-
tinetur sub situ *ibid.* Haberi
dupliciter considerari potest, vel
respectu habentis vel rei habi-
tae. *ib.* Habitus quid 146. Ha-
bitus & dispositio quomodo
differant; Habitus quomodo
etiam omitti possit; qui habi-
tum & dispositionem diversas
qualitatis species esse putant,
falluntur 147. Habitus alius
corporis alius animi 147. an
alius sit acquisitus & non aequi-
sus, alius naturalis & infusus
147. Prædicamentum Habitus
definitur 163. varia sunt, que
non ad prædic. Habitus perti-
nent 163. seq. Ejusd, Conse-
ctaria 164. Habitus ut oppo-
nitur privationi definitur 172.
Habitus & habere habitum
quomodo differant 173. Ha-
bitus & privationis duo sunt
Consectaria 175. Habendi

modos octo recenset Aristote-
les 182.

Heteronyma quid sint 7. sunt du-
plicia; quare de iis Aristoteles
nihil agat 7.

Hippocrates, de Ejus Scriptis oc-
casione variantis stylis multa
sunt discordia P. 4.

Historia sicut nobis ipsius Universi-
tatis & rerum naturæ Tabu-
lam 243. Plutarchus eam ful-
erum, Aristoteles fundamen-
tum scientiarum appellat *ibid.*
Virtutes morales ex illa insi-
gne nascuntur incrementum;
variae Ejusdem utilitates
recensentur 244.

Homo sola contemplatione Deo
assimilari potest 268 & 269.

Homonyma quæ dicantur 1. qua-
re definiantur per dicuntur non
sunt? 2. vocabulum Nomen
hic latè sumit 2. Ut nomen
in homonymis sit idem, spe-
candum non ad formale sed ad
materiale 2. Inde fit, ut que-
dam sophismata non spectent
ad fallaciam æqvivocationis;
sed accentus aut figuræ dictio-
nis, *ibid.* per vocem definitio-
nis non accurata intelligitur de-
finitio 3. eadem possunt esse
æqvivoca & univoca pro diver-
so respectu 5. æqvivoca dupli-
cis sunt generis, alia stricte, alia
minus stricte sic dicta, vel con-
silio

ET VERBORUM.

filio facta 5. hæc quintuplicia
6. Homonymis opponuntur.
heteronyma 7.

I.

Idem quid 135.

Ignorantia est causa odii in Philosophiam, sed non omnis; verum quæ vocatur ignorantia prava dispositionis 201.

Impotentia Naturalis species qualitatis est & definitur 148. an possit esse in praedicamento dubitatur, & dubium solvit 149. Impotentia non uno modo dicitur. ib.

Infinitum per se ad quantitatem spectat, sed tamen nec æquale, nec inæquale 129.

Injurius in alterum ut quis sit, quid præcise requiratur? 219.

Ionica Philosophia Thales Milesius originem dedit 204.

Italicam Philosophiam Pythagoras Samius condidit 204.

Judicij boni vis in quo sita sit 231. Julianus Apostata scholas Philosophorum claudere jussit 194.

Juvenes cur prudentes non sint 241.

K.

Katynoëcia Veteribus Græcis idem est atque accusatio 63. 74. Teste Dexippo Aristoteles vocem **katynoëcas** ex foro in lycium transfluit: 64.

Katynoëgen idem quod prædicare affirmare & quidem rotunde

64. unde Categoricè respondere & breviter absque tergiversatione se expedire 75. hinc **katynoëja** Aristotelî (1) idem est, quod affirmatio alicujus de aliquo 65. (2) idem quod modus affirmationis vel prædicamentum 65. Categorie sunt certæ figuræ prædicationis 66. **katynoësmeyov** quid 78.

L.

Lævitas & asperitas ad quodnam prædicamentum pertineant?

153. Lævia definuntur ib. **Aeyōðura** in duplice sunt differentiationes, vel enim sine vel cum complexione dicuntur 24. Refutantur Neoterici, qui inde distinctionem Termini simplicis & complexi fabricantur, ibid, tres modi eorum, quæ cum complexione dicuntur, refelluntur 25.

Libri Categoriarum autorem alii volunt esse Aristotelem, alii non P. I. prior sententia variis astruit argumentis; soluntur adversariorum argumenta P. 3. seq. Libri Aristotelis alii sunt Exoterici alii Acroamatici P. 4. Categoriarum liber exotericus est, ibid. Libri alicui Authori recte adjudicantur ex sententiarum consonantia & dissonantia P. 5. Categoriarum liber teste Ammonio & Simplicio ab ipso Aristotele cintatur

INDEX RERUM

tatur P. 9. Lib. Categor. & Problematum revera exoterici sunt P. 19. Libri de Historia Animalium non sunt exoterici, neque liber Mirabil. Auscult. 20. Libri Aristotelis quinam sunt acromatici P. 20.

Libertas philosophica in quo consistat 232. & 233. alia vera, alia fictitia, *ibid.* illam commendant Aristotelici veri 233. Libertas, quam crepat Gassendus, est saltē pruritus insolens contradicendi 234. hæc libertas refutatur, *ibid.* qui sic liberè philosophantur, mancipia sunt propriæ phantasæ, ut Francis. Patrit. 235. fictæ libertatis philosophandi quinam sunt fructus 236.

Linea quid 119.

Locus non constituit prædicamentum ubi 87. quâ talis est in prædicamento relatorum 87. dupliceiter considerari potest; eum Arist. ad quantitatem continuam referit 119. ex sententia Veterum est spatium imaginarium & tanquam peculiaris species quantitatis 120. propriè nihil aliud quâm superficies, *ibid.* Locus per se est quantus; solvit Plotini objecțio, *ibid.* Locus superior & inferior non sunt contraria 128. Destrinam de loco Aristoteles

difficilem putat esse, quia Veteres de eo nihil tradiderunt 249.

M.

Magis vel minus tale ut aliquid dicatur duo requiruntur 155. magis & minus substantia non recipit 113. neq; quantitas 128. qualia recipiunt 155. relata videntur recipere 141. non omnes actiones & passiones recipiunt. 160

Magnum & parvum quomodo relata sint, egregiè docet Plotinus 126. non sunt sibi contraria 127. majus & minus per se quanta sunt, 127.

Margitæ homines sunt miselli 191. Messala Corvinus ex gravissimo morbo omnium rerum imò proprii nominis oblitus 146. Metaphysica ex quoniam capite omnium scientiarum sit nobilissima 269.

Motus localis quomodo fiat secundum Aristotelem in ubi 93 falsum est quod in motu circulari mutetur Situs *ibid.* ejus species sex sunt 180. motus localis quid; motui opponitur quies 187. singuli motus singulis sunt contrarii 181.

N.

Natura prius dicitur etiam id, quod licet reciprocetur cum altero

ET VERBORUM.

tero tamen causa illius existit
104.

Notiones primæ & secundæ quid
sint 55. incongruè vocabula vo-
cantur notiones *ibid.* primas
Graci Interpretæ vocant vocabu-
la instituti primi 56. per se
non sunt in prædicamentis, sed
reduktivè saltem & quidem pri-
mæ ad decem prædicamenta in
quibus res sunt, pertinent, se-
cundæ ad prædicam. Relat. 97.
Numerus quid 118. est quantitas
discreta; numerus numerans,
& numerus numeratus quid 121.

O.

Objectum proprium unius scientiæ
etiam in alia potest, sed
alio modo, tractari 46. 47.

Oblivionis Insignis quedam affe-
runtur: Exempla 146. seq.

Όροπατοποιίην saltem doctori a-
nalytico non dialectico com-
petit 23. in *όροπατοποιίᾳ* duæ
regula observandæ 142.

Opinio finis Cujus est Librorum
Exotericorum P. 17. aliud di-
ctionis genus ad scientiam ali-
ud ad opinionem accommoda-
tum P. 17. est finis dialecticæ
37. Opinionem quoque de non
enibus habere licet. *ibid.*

Oppositorum Regula, quot mo-
dis scilicet unum dicitur, tot
modis etiam alterum, non est
universaliter vera 84. Opposi-
tio alia spectatur in syllogismis
alia in propositionibus, alia in
terminis 165. Opposita sunt

quadruplicia 166. malè una
generali definitione vulgo
comprehenduntur *ibid.* defini-
tiones vulgares refutantur 166
relativè Oppositorum definitio
examinatur 167. contrariè op-
positorum definitio ex Psello
rejecitur & accurior traditur
168. privativè oppositorum
definitio traditur; quomodo
ab aliis oppositis differant 174.
Contradictoriæ Oppositorum
definitio exhibetur 175. quo-
modo à cæteris differant 176.
Oratio & opinio quomodo su-
scipient contraria 114. quo-
modo negari possit illa susci-
pere contraria *ibid.* Oratio quid
118. quantitas esse probatur
ibid. est saltem per accidens
quanta 124. quare Aristoteles
Orationem in Metaphys. non
inter quanta recenseat 124.

Oratores olim politicorum Titu-
lum affectarunt 237.

Ordine quali Aristoteles utatur in
tradendis scientiis speculativis,
practicis & effectivis 214. 215.

P.

Parabola quid 265. non coinci-
dit cum similitudine *ibid.* simi-
litudo parabolæ contradistin-
gvitur 266.

Paronyma unde dicantur & quid
sint 20. invenitur in illis deno-
minans, denominatum & deno-
minativum 21. quatuor con-
ditiones ad illa requiruntur; *ibid.*
Scholastici ea dividunt in paro-
nyma

oo

INDEX RERUM

-
- | | |
|--|--|
| <p>nyma voce, significatione & voce ac significatione simili 22. paronymica & accidentalis prædicatio non est unum & idem 22 ad paronymicam semper requiritur ut subjectum non sit illud ipsum quod dicitur, 24.</p> <p>Passio malè ad actionem referitur 87. non uno modo sumitur 149. dubitatur num passio sit qualitas, quia à passione non dicimur quales & dubitatio hæc solvit 151. alia est in corpore, alia in anima 152.</p> <p>Passionis prædicamentum distinguitur à specie qualitatis 157. alia perfectiva, alia destruktiva, 158. alia realis alia intentionalis 159. non omnia verba passivi generis ad passionem pertinent 159. generari & mori non sunt passiones contrariae 160. patibilis qualitas & passio species qualitatis 149. & quidem unica 150. non uno modo dicitur; definitur 150. vel ab ortu inest vel non ibid. quænam differentia inter patibilem qualitatem & passionem, ibid. à patibili qualitate subjectum propriè denominatur quale, à passione vero non 151. aliae sunt in corpore, aliae in anima 152.</p> <p>Patricius pessimus Aristotelomafstix 203. Gloriam Aristoteli ipse concedit magnam scientiam & studii; testatur omnem antiquitatem Ejus sapientiam esse admiratam 217. immerito Ari-</p> | <p>stotelem reprehendit 235.</p> <p>Peripateticæ Philosophiae autor Aristoteles 205. non illius Philosophia sed Corruptores ejus sunt culpandi 252.</p> <p>Philosophiae veræ eversio minatur ruinam Ecclesiæ 194. quantum donum Dei sit 199. varia Ejus utilitates; facilimam ad superiores Facultates sternit viam, ib. à quibusdam ut pestis habetur; Ignorantia est causa odii in Philosoph. 201. altera causa est invidia 202. Calumniæ quoq; quibus Aristotelem immerito insequantur adversarii, in causa sunt contemptus præfertim Philosophiae Aristotelica 202. illud odium adjuvant quædam in Arist. difficultates 203. Philosophia in se considerata non nisi una est 204. ast <i>χειρῶς</i> considerata varia; Cujusvis Philosophiae auctores recensentur 204. seq. Veterum Philosophorum dogmata sunt obsoleta ab Aristotele examinata & eversa 205. seq. quæ bene docuerunt, sunt ab ipso retenta 206. cur potius ab Aristotele Philosophia quam ab alio addiscenda 206. in nulla Philosophia minus absurditatum invenitur quam in Peripatetica 210. Platonica & Stoica multos haereticos peperit 211. Peripatetica præstat ceteris, quia in eam multi sunt commentati 211. in Christianorum omnium scholis recepta 211.</p> <p style="text-align: right;">qua-</p> |
|--|--|

ET VERBORUM.

quæ dām in illa desunt, de quibus nihil scriptit morte prævenitus 229. Philosophia Græca, teste Clem. Alex. non nocet sed prodest Veritati divina 255. Philosophi novelli Aristotelem & omnes antiquos ac recentiores contemnunt Philosophos 184. Illorum recententur insolentiae 180. Philosopho vero quænam innovare licet, ib. Fundamentum Philosophie novellæ primum est confusio luminis naturæ cum lumine revelationis 185. suam philosophiam à libro de anima incipiunt, in renovatione mentis eam statim esse volunt, in auditoribus suis requirunt μετάφορας, & refutantur 185. Secundum fundamentum est contemptus scientiarum philosophic. 186. Tempus omne legendo codici sacro volunt impendi; refutantur ib. Tertium est affectata obscuritas; quartum audacissimum contradicendi studium; quintum ratio docendi ἀμέθοδος & ἀσυλλόγιστος 187. seqq. Fructus novellæ philosophie sunt seqq. fastus animi 188 novitatis studium 189. principiorum evidentissimorum abjectione & vanissimorū introductio 190. Hinc illorū principium primum: de omnibus dubitandū vel semel ad minimū in vita 190. syllogisticam doctrinam volunt esse abdicandam 192. & refutantur; similibus omnia probant; defini-

tionē hominis vulgarem improbant; divisionē entis in substantiam & accidens rejiciunt aliam suppeditantes, melius dividi Ens in Deum & Creaturas, refutantur, docentpræceptorum dogmata ut præjudicia abjicienda esse, proprio genio indulgendum, novas veritates quærendas, Rusticos æquè esse Philosophos ac Aristotelem 191; alius fructus novellæ Philos. est Evangelica doctrinæ corruptio & Ecclesiæ Christi turbatio 193; ultimus fructus par. im ad Quakerismum, partim ad Atheismum dicit 194 stupenda illorum & impia recententur somnia 194. in quo similes sint Juliano, ib. Causæ qvare illi in tam apertas lapsa sint stoliditates, ib.

Plato odio flagrans in Democratum, scripta ejus concremare volunt 223. Sexaginta locis ab Arist. refutatur, ibid. Vir fuit ipsius Apollinis Oraculo sapientissimus 224. dicitur Aristotelem mulo comparasse 224. In Platonis refutatione admodum modestum se præbet Aristoteles 226. Communionem uxorum docuit, quam Aristoteles refutavit 260. Poëtica. In illa desunt quædam Aristotelis scripta 229.

Hοίων in Categoris non strictè sumitur 157. definitur. Politicæ dignitas in quo consistat 239. Ejus multiplex utilitas 240. Ejus difficultas 241. ejus scientia cadit in Viros proiectioris artatis

INDEX RERUM

241. quibus mediis difficultas tollatur; Aristot. eam optimâ methodo conscripsit 24. teste Laertio 158. Rerump. genera collegit 242. Politici homines callidi & versuti affectant nuncupari 238. Politicorū titulum multi sibi vendicant ib. Politici libri Aristotelis admodum sunt manci; Stroza defectum implere satagens duos libros confecit, unde in Parisiensi editione X. libri numerantur 228. 229. Ipsius judicium de Aristotelis & propriis libris 229. Polyónyma opponuntur Synonymis; alia sunt Logica alia Grammatica 12. cur de iis nihil egerit Aristoteles, ibid. cur potius Synonymis quam homonymis annexantur ibid.

Porphyrii arbor, quam in prædic. Substant. inserere solent, refellitur 72.

Postprædicamenta an sint Aristotelis, disqviritur P. 8. eorum occasio quænam 165. sunt numero quinque, ibid.

Potentia naturalis prior est naturâ habitu 54. est species qualitatis & definitur 148. potentia & impotentia non duas sed unam constituant speciem 148. non uno modo dicitur prædicari de aliquo tanquam subiecto quid 27.

Prædicamentum. vid. Categoriae. Deus est in prædicamento substantia 100. quomodo in prædic. possit collocari & quomodo non ibid. modi tres, quibus aliquid in

prædicamento esse dicitur directè indirectè & reductivè 98. Unum quid & quidem per se est in prædicam. 98. æqvivoca & Entia per accidens removentur à prædicamentis. Artificialia sunt in prædicamentis, ibid. non omnia entia per accidens sunt extra prædicam. 99. Communiter ex prædicamentis excluduntur Transcendentia, eminentia & deficiente sed minus rectè ibid.

Principium Aristoteli est: sensus esse primum *κείμενον* in naturalibus: Item impossibile idem simili esse & non esse 190. novellis philosophis aliud primum principium arrideret: Cogito ergo sum 191. & egregie refutatur. ib. principia prima ex se ipsi nota sunt 232.

Privatio definitur 172. tria ad illam requiruntur ib. alia est absentia habitus succedentis, alia habitus jam existentis 173. alia totalis alia partialis; privatio & privatum esse quomodo differat 173.

Prius dicitur quatuor modis, ratione Temporis, tum prateritum futuri, natura prius est duplex, ratione Ordinis & ratione dignitatis 178. 179.

Problematum Sectiones in Aristotele annumerandas sunt libris exotericis P. 13. problema speciei coincidit cum problemate generis 57. problema differentiæ etiam ad generis problema refertur ibid.

Proprietate à similitudine differt 6.

Propria absolute spæcata in variis sunt Categoris; aut sub modo proprii spæcata sunt in Relatorum Categ. 97. Prudentiam nobis duobus modis acquirere possumus vel per casus proprios vel per alienos 245.

Pytha-

ET VERBORUM.

Pythagoræorum de numero Categoriarum optima est sententia; ab Aristotele accepta 74. licet fundamentum hujus numeri à denario petitum non sit firmum 76. Q.

Quale. In quale quænam rectè dicantur prædicari 85. an ex duobus prædicandi modis in quid & in qualibet duo falso tem prædicamenta esse rectè concludatur 85. in quale prædicatur latè & strictè 86. qualitas sumitur quoq; vel latè vel strictè 145. in ejus definitione genus omnissimum; qualitates de substantiis secundis dicuntur tantum secundario 146. secunda à prima specie est distincta 148. quedam qualia paronymicæ à qualitate sua dicuntur quedam non paronymicæ 154. proprietates qualitatis recensentur 155. Hæc proprietas qualium est contrarietas non competit figura & forma 1b. neq; intermedii qualitatibus, hac assertio qualitas recipit magis & minus primo & per se qualitati convenit, aliis categoriis per accidens 156. à qualitate dicimus similes & dissimiles, quod maxime proprium qualitati 156.

Quando malè ad actionis prædicam. refertur 87. malè quoq; ad quantitatem refertur 87. definitur 161. Ejusd. Consecutarium ib. solvit dubium an in quando detur contrarium 161.

Quantitas sumitur vel propriè vel impropriè 117. est commune ad unum, quod proximè ad synonyma accedit. Ejus definitio 118. aliud discreturn aliud continuum ib. quedam positionem habent, quedam non 123. quanto per se duplices sunt generis 125. per accidens quanam dicantur ib. per accidens non uno modo dicuntur ib. tria quantitatis sunt contraria 126. seq. quisnam Regulæ sensus: quanto nihil est contrarium. Solvit Objetio de magno & parvo 126. non recipit magis & minus 128. maximè proprium

quantitati est, esse aequalē & inæqualē 128. solvit Objetio de infinito 129. quantitas licet maximè sit aequalis & inæqualis, tamen non recipit magis & minus 129.

Quantum malè ad prædicamentum qualitatis refertur 86.

Quies tot modis dicitur quot modis motus 181. R.

Ramus. Ab illo Philosophia Ramæa non men habet; fuit homo magna persuasione & exigua eruditio 205. quid in Ranieis taxandum 207. Illorum methodus nulla est; de Ramæa audiatur Judicium Snelli 208. Ramæi philosophia ex Academia Julia profligata est 212.

Raritas & densitas ad quodnam prædicamentum pertineant queritur 153. rara definitiuntur ibid.

Regulæ anteprædicamentales tres sunt 27 de sensu regulæ primæ ib. sensus secundæ 28. secundæ Regulæ diversa inventur Lectio 29. circa explicationem Regulæ secundæ Scotus refutatur 30. Regulæ tertiae sensus 33. ejus additio rejicitur ibid. Conimbricenses circa verum ejus sensum falluntur 34.

Res in dupli sunt differentia, vel dicuntur de subiecto vel sunt in subiecto 25. Res universales non sunt unus rationis 37.

Relatorum proprietates omnibus non competit 52. incommodè ad prædicam. qualitas referuntur 86. Consestar. seqq. falsa sunt: Relata suscipiunt contraria, Relata suscipiunt magis & minus 116. exilè Entis ratione habent & veteres tantum ea hominum opinione constare tradiderunt 131. eorū definitio; cur in plurali definiantur ib. hanc definitionem tradit Aristotel. ex sententia Veterū ib. propria ejusd. accuratior est 132. ad omnem relationē tria requiruntur 133. Relata & Correlata vel sunt completa & totalia vel incompleta

INDEX RERUM

plete & partialia 133. unum tamen idemque relatum pro diverso respectu potest esse completem & incompletum *ib.* fundatum relationis aliud est remotum aliud propinquum 134. non tamen in omnibus duplex occurrit; fundamenta relationum duplicitis sunt generis 134_c seq. relationes quae in unitate fundantur rursum sunt triplices *ibid.* Relata in quibus fundamentum est multitudine triplicis generis sunt 135. quidnam in Relationibus que in unitate & numero fundantur observandum sit 137. Relatum & Correlatum quandoque; diversa sunt nomina; aliquando uno nomine effertur 138 quomodo à Scholasticis vocentur; Psellus quomodo relata dividit; alias dividuntur in relata rationis & realia *ibid.* tria ad realem relationem requiruntur *ib.* alia Relata dicuntur esse secundum dici alia secundum esse 139. alia praedicalentia alia transcendentalia 139. sed divisiones haec Relatorum non sunt species sed distinctiones eorum qui propriè & impropriè dicuntur 139. relata rationis & secundum dici ad praedicamentum non pertinent, sed realia & secundum esse 140. relatorū Confess. *ib.* Sensus Regule verus Relatis inest contrarietas 140. relata suscipere magis & minus de omnibus verum non est 141. non omnia Relata in genitivo sed & Dative ad se invicem referuntur 141. Rhapsodi quinam olim fuerint 221. Arist. non fuisse Rhapsodom probatur *ibid.* Rheticam artem naturali facultati inferiori esse judicat Sextus Empiricus 266. refutatur 267. solvit Objetio: Naturalia praestare Artificialibus 267. S.

Sapientis viri indicium est si ordine cuncta proponat 214. deinde si veram sententiam satis perspectam habeat & falsam refellere possit 215. Scire propriè quid 207. scientia non me-

lius quam ab Aristotele hauritur 207. non omnes homines scientiae similes sunt capaces 209. Scholastici quare inepti sint doctores 207. distinctionibus sculent *ibid.* Sentire pertinet ad Categor. passionis 77 Similia quenam dicantur 156. Simil natura dicuntur quae non tantum reciprocantur, sed quorum alteram alterius causa non est 104. alia sunt tempore alia natura; species ejusdem generis dicuntur esse simil. 179. quomodo modis prioris opponatur 180. Situs male ad praedicam. Actionis referuntur 86. Situs & ubi non coincidunt, sed diversa faciunt praedicamenta 92. seq. ad situm pertinere raritatem & densitatem, levitatem & asperitatem docet Aristot. 157. nec sibi alibi contradicit *ib.* Situs definitur 162. aliis naturalis aliis voluntariis 162. naturalis hujus loci non est *ib.* tria eius Confess. 163. solvit dubium an situs habeat contraria *ib.* species magis substantia dicitur quam genus & cur 105. specierū infimorum nulla magis est substantia quam altera; licet nobilior sit substantia 105. (237.) Sophiste politicorum sunt emulatores Stoica Philosophia Authorem agnoscit Zenonem Criticum 205. Stoici *εὐτοχεῖται* asseruerunt & commendarunt 260. eos propterea Aristoteles in Ethicis refutavit *ib.* Stylus Aristotelis qualis ex mente Simplifici P. 2. ex mente Ammonii P. 3. ex stylo non firmum de Authore scripti aliquius sumitur argumentum P. 4. Ejusd. Authoris stylus pro diversa extare & materia variare potest. P. 4. Stylus Arist. in Exotericis fluidior & superior, in acroamaticis concisior & obscurior, P. 4. Subiectum alias dividitur in logicum s. prædicationis & physicum s. inhae-nis 26. ad exactius intelligendam divisionem

ET VERBORUM.

visionem rerum tenendum subiectum aliud esse proprium aliud vero alienum; utrumq; iterum duplex 26. Substantiae non possunt dari communes affectiones si, substantia singularis diverso respectu ad omnes referri potest Categories 77. Substantia non re^te definitur per ens per se 80. prima est basis praedicamentorum 82. impradicam. substantia aliquid dupliciter esse potest ib. substantiae secundae licet in duplo sint differentiae, unam tamen saltem constituant Categ. 83. Substantiae secundae per se non sunt relata 132. alia est prima alia secunda 101. non omnia genera & species sunt statim substantiae secundae ib. quomodo in secundis prima insint docetur 102. primum magis sunt substantiae quam secunda 103. prima cognitione prior est secundis, primae quomodo natura priores secundis 103. seq. quomodo sublatius substantiae primis tollantur eorum accidentia 104. secundarum altera magis altera minus substantia appellatur 104. seq. Substantia est Vocabulum ab uno sed media naturae 105. Vulgaris logicorum definitio refutatur 106. alia adhuc refellitur 106. divisio in primam & secundam minus accurata est & ad captum vulgi directa 108. prae*ter* illas materia quoque substantia dicitur item forma; cur in metaphysicis secundae magis substantiae dicantur ab Aristotele, quam singulares 108. Consecutaria substantiae numero sex sunt 109. quo sensu substantiae secundae in nullo sint subiecto 109. substantiae prima sola rō dē 11 significant non secundae 111. secundae quomodo à differentia distent quomodo non 112. vera mens afferetur Consecutaria illius substantiarum nihil contrarium est 113. quānam mens illius Consecut. Substantia non recipit magis & minus 113. vera mens confe-

ctarii Substantiam contraria recipere posse 114. substantiae & reliquorū praedicam. Conse^rt. non sunt affectiones propriae qua omnibus eodem modo Superficies definitur 119. (insunt 115. Sylburgi Editio Graeca Aristotelis omnibus editionibus præstat P. 19.

Syllogismus est proprium objectum partis prioris analyticae 46.

Synonyma definiuntur 8. quare describantur per dicuntur non vero per sunt; quare habetur λέγεται in singulari non in plurali, alia sunt propriæ & strictæ, alia impropriæ & latè sic dicta, alia latissimè sumpta 9. sed iis opponuntur polyonyma 12. discrimen polyonymorum grammaticorū & logicorum ib. T.

Tempus ad quantitatem continuam refert Aristoteles 119. Tempus non est quantum per se 121. solvitur Objectio ibid. in metaphys. Aristoteles Tempus quantis per accidens accenset 122. Aristoteles sibi non contradicit dicens Tempus esse quantum per se & quantum per accidens 122. licet definatur per numerum, tamen non est quantum discretum sed continuum 122. solvitur Objectio tempus non esse continuum per se licet Termino communis copuletur 125.

Terminus nullus propriè loquendo est complexus 25. Terminus communis quid 118.

Theophrastus libris Analyt. addidi libr. de Affirmatione & Negatione 229.

Tractari res duplo modo potest vel περιγραφικῶς sive ἀνελέγει, vel λογικῶς & παχυλῶς P.

16. 17.

Transcendentia minus recte appellantur ea quae sunt supra prædicamenta 99. ratio vera quare talia excludantur prædicamentis ibid.

V.

Ubi incommodè ad prædicamentum sub-

INDEX ORATIONUM ET PRÆFATIONUM.

substantia aut qualitatis referuntur 85.
haud recte quoque ad prædicamen-
tum Quantitatis 87. Ubi & situs non
coincident 92. 93. definitur 162. Ejusd.
Consecaria.

Verum est affectio Entis & qua tale est
in prædicam. qualitatis 96. Veritati
si adveretur nostra doctrina, pro-
pria effata evertenda sunt 227. Ari-
stoteles veritatis insignis amator est
226. Illi præceptores non sunt ante-
ferendi 226 seq. Ipse Plato edocuit A-
ristotelem, veritatem amicis esse ante-
ferendam 227. quidam conantur e-
vincere nullam plane dari veritatem
247. refutantur 248. diverse opin-
iones hominum adjumento sunt veri-
Unitas definitur 118. (tati 248. seq.)

INDEX ORATIONUM IN UTRAQUE APPENDICE

1. Oratio de Novellis Philosophis co-
rumque philosophia 183.
2. Conclusio Disputationis pro loco 196.
3. Præfatio de Causis odii erga Philo-
phiam imprimis Peripateticam 199.
4. De Philosophie Aristotelice praetibi
præstantia 203.
5. An Aristoteles tantum Opinatur fu-
erit? 213.
6. Aristotelem non affecisse injuriā
Veteres Philosophos 218.
7. De sc̄iūtia Aristotelis in Platonem
Ingratitudine 223.
8. De prætentia Aristotelis Imperfec-
tione & defectu 228.
9. Aristotelicos non esse Mancipia Ari-
stotelis 231.
10. De præstantia & Dignitate politi-
ces 237.
11. De Politices Utilitate atque diffi-
cilitate 239.

INDEX ERRATORUM.

In Dedicatione lin. 6. lege devotā. I. præfat. p. 16. I. 22. utilitatem. p. 18.
I. 31. lege 1619. p. 65. I. 10. lege Philo pro Philosophis. p. 93. lin. 1. lege localis.
p. 149. lin. 10. lege impotentia. p. 184. lin. II. lege qualēm. p. 202. I. 13. lege plu-
rimū. p. 203. I. 20. lege facultate. p. 204. I. 6. lege philoſophi. p. 211. I. 31. lege
alterius. p. 226. I. 2. lege veritatis. p. 247. I. 1. lege sequantur. p. 261. I. II. lege XVIII.

Universalis natura ſep̄e eft ἀνώνυμος
9. Universale aliter in metaphyl. ali-
ter in Logicis definitur 54.

Univoca univocata, & univoca uno-
canta quenam dicantur II. seq.
Σοία ſep̄e significat quidditatem etiam
accidentis 4. Vocabulum Σοίας in
definitione Homonymorum non in-
omnibus exemplaribus legerint Andro-
nicus & Boetius 4.

Vocabula instituti primi, & instituti se-
cundi quid fiunt. 56. ab aliis ea mutuo
accipere & ad suam artem transferre
mos erat Veteribus 64.

Ulxorum Communio eft inhonesta 260.

Z.

Zeno fatum afferuit & omnia delicta
paria aſtimavit 205.

ET PRÆFATIONUM OCCURRENTIUM.

12. De studiis Historici commodis 242.
13. De necessaria S. B. cognitione 245.
14. De vera Veritatis Existentiā 247.
15. De Disputationum Utilitate 250.
16. De Iniquo Aristotelicorum contem-
ptu ejusque cauſa: nimirum di-
ſputatoria artis abusu 251.
17. De Disputationum in Theologia
utilitate atque necessitate 252.
18. De Ulo Disputationum in Theolo-
gia 255.
19. An disputare liceat de eo cuius pars
altera eft contra bonos mores 259.
20. De Eloquentia vera ac fucata 261.
21. De Laude Eloquentie 263.
22. De Parabolæ & Similitudinis diffe-
rentia 265.
23. De Artis Rhetoricae præ naturali
Facundia præstantia 266.
24. De summa homini perfictione quā
ipſa metaphysica constituit 268.

SACRA MUSICA

... etiam librum regis novis annis ad eum quod
ad suorum amicorum manus datur ut eis de
tempore regni eius et regni filii regis eius. Quod
liberum est et non debet esse a nobis.

... etiam librum regis regni eius et regni filii regis eius. Quod
liberum est et non debet esse a nobis.
... etiam librum regis regni eius et regni filii regis eius. Quod
liberum est et non debet esse a nobis.

... etiam librum regis regni eius et regni filii regis eius. Quod
liberum est et non debet esse a nobis.
... etiam librum regis regni eius et regni filii regis eius. Quod
liberum est et non debet esse a nobis.

119

15. OCTOBER

16. ANNO

Ge 2049


ULB Halle
005 753 112

3



vD 18

W



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



ULI RABEN,
Floris Regiomontani,
TIAE PRO-
ONIS LOGI-
ETAPHYSICÆ,
SIVE
ENTARII
RUM CATE-
UM ARISTOTELIS,
is primi semestris à Professione
mum non modò Auditoribus suis
n Disputationibus publicis ventilati,
STUDIOSÆ JUVENTUTIS
TIORES RECLUSI,
s in Commentarios hosce Proœmiō
roriarum, & de Distinctione librorum
Exotericos & Acroamaticos.
APPENDICE GEMINA:
philosophis eorumq; Philosophiâ, Præfati-
m Inauguralem pro LOCO novæ hujus Pro-
onibus aliis publicis antehac præmissa-
io aliqua Philosophica dilucidè discutitur.
CIBUS NECESSARIIS.

Anno M DCC IV. EX OFFICINA,
confirmata, GEORGLANA, ejusq; Sumptibus.